Universidad de Deusto
Biblioteca

SOT
DEFENSIO
CATHOLICAE
CONFESIONI

Universidad de Deusto
Biblioteca

Castillo

num 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Societatis Iesu. Burgis. 1662.

Defensio Catholicę

CONFESSIONIS, ET SCHOLIORVM CIRCA CONFESSIONEM, ILLVSTRISSIMI Ducis Vvirtenbergensis nomine editam, aduersus Prolegomena Brentij.

Auctore F. Petro de Soto, ordinis sancti Dominici, professore Theologiæ.

FACULTAD
DE
TEOLOGIA
Univ. de Deusto
BILBAO

ANTVERPIAE,
Apud Martinum Nutium sub Ciconijs.
Anno Salutis. M. D. LVII.

Cum priuilegio Regis.

BIBLIOTECA OVETENSIS SOCIETATIS IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONfessionem nostram cathólicã, & scholia circa suam, hoc est, nómine illustrissimi Ducis Vuirtenbergensis éditam, cõfessionem fidei Brẽtius acerbissimè (vt ostẽdit) tulit: atq; in eã acerrimè mox insurgendũ sibi esse existimans, præmittit apológiam, sed dum illã parat, prolegómena quædam præmittit, in quibus quatuor locos tractat, scilicet de officio principum secularium in Ecclesia filij Dei: de auctoritate sacræ scripturæ: de traditionibus: de cathólica Ecclesia & in eis omnem auctoritatem, circa dogmata, & cõtrouersias fidei principibus secularibus tribuit, & aufert Episcopis: & quidem cuiq; priuato ásserit esse necesse, iudicare de omni, etiã concilij, imò & Angeli doctrina, nulliq; licére alterius iudicium sine suo sequi: alióquin, inquit, licitũ fuit Iudæis, iudicio Annæ, & Cayphæ in damnatione Christi cõsentire, & repugnare illicitũ, & de me dicit, quòd in varias formas me vertã, cùm scripturæ auctoritate premor, et inde ad traditiones, nunc ad patres, nunc ad Ecclesiã confugiã. Nos his Brentij máchinis, quibus, quasi arietibus, conatur quatere, non solũ omnem cathólicæ Ecclesiæ perpetuò stabilitam fidem, sed ius etiã omne, & fas euertere. Quatuor alios locos opposui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus, quibus noſtra defendimus à ſuo ímpetu, atque quantùm pro virili póſſumus, detégimus hæreſum & ſchiſmatum laqueos, & quomodo caueri poſſint, oſtendimus. Sunt igitur hi quatuor noſtri loci:

i. De vna, et viſibili Eccleſia neceſſariò agnoſcẽda.

ij. De vno certo, & præſenti Iudicio vltimo, circa dubia fidei neceſſario: rationeq́ eius, & órdine.

iij. De vtilitate, adeoq́ neceſſitate aliorum iudicium ſequendi circa illa.

iiij. De Ignorantia, atque errore excuſante vel nõ.

His certa ſcripturæ, & Eccleſiæ auctoritate, rationeq́, & experientia confirmatis (quod fécimus cauẽtes, quantũ fieri potuit, contentiones, & veritati in primis elucidandæ intenti, ac bréuibus deinde refellentes, quæ in contrarium adducta ſunt) ſperamus, oſtenſum eſſe ómnibus, totam doctrinam Brentij in Prolegómenis ſecũ manifeſtè pugnare, atque ita, vt álterum Goliath, qui agminibus Dei viuẽtis exprobrare eſt auſus hanc doctrinã, eiuſq́ auctorẽ, qui non veretur omnes totius orbis Chriſtiani Epiſcopos Eccleſiam Aſoticam dícere, & Concilium Nicænum erraſſe, proprio ſuo gladio transfoſſum, & iugulatum relinquí: quod in fine omnium tibi, Lector óptime, ante oculos ſtatuemus.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO D. CHRISTÓPHORO DVCI wirtembergenſi, & Teccenſi, ac Cómiti Montis Beligardi F. Petrus de Soto S. D.

EN ſecundò iam te interpellare cogor, Princeps illuſtriſsime, tuáque vel otia, vel negotia interturbare, & primò quidem (vt tunc dicebam) id egi ignotus, ſed iam nũc, vt timeo, etiá ingratus, & inuiſus. Cur enim nõ timeã potuiſſe apud te Brentium, doctorem in primis tuum, quem audis, & ſuſpicis, cuius conſilio fidei, & ſalutis tuæ cauſas committis: cur inquam non timeam potuiſſe eum apud te, quod totis viribus agit, prætenſis etiam grauiſsimis cauſis? Verùm quoniam non pro defenſione mea, aut alia huius vitæ vtilitate, vel cauſa, ſed pro æterna ſalute tua, tuorúmque, pro Eccleſiæ honore, ac auctoritate, pro Chriſti gloria reſpondendum eſt, nil vereor; etſi enim tot impetitus opprobrijs, tot conuicijs, totq; grauiſsimis criminationibus inſectatus à tuo Brentio, vt obrutus iam, & ſuperatus videri poſsim: quia tamen cauſa Chriſti agitur, illi totam committens, non omnino deſpero, te pro tua prudentia, æquitate, & iuſtitia auditurum me, reſpondentem non de cauſa tota ſolùm, quam in vniuerſa hac lucubratione noſtra, quam aduerſus προλεγόμενα Brentij elaborauimus, tenuiter quidem, & exiliter egimus: ſed etiã de accuſationibus, & criminationibus eius, quas in literis ad te datis prætexit aduerſum me, quas etiam nos, ijs ad te peculiariter datis, refellendas ſuſcepimus: non alia cauſa, quàm ne propter ea, quæ falsò mihi obijcit, cauſæ ipſi, quam ſuſcepi, derogetur. Quis enim non videat in iudicio patronos, atque aduocatos ab omni criminatione liberos eſſe oportere, cùm alioqui etiam iuſtis, ac innocentibus partibus quàm plurimùm obſit actorum, ac aduocatorum infamia? Poſtulat igitur ratio, vt audiar ipſe à te, reſpondens ijs, quæ contra me,

qui catholicæ veritatis causam egi, excipiuntur: & non inauditum damnes, vbi multò verius te damnaris. In ijs enim omnibus, quæ contra nos dicuntur, vt cum Augustino dicam, magis pro me habeo vnde gaudeã. Beati enim eritis, inquit Christus, cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersus vos mentientes propter me. Cæterùm pro his docemus, qui ijs accusationibus aut fallunt, aut fallũtur, vnde fit, vt veritati claudatur aditus ad eorum sensus. Nos igitur in hac causa sola veritate innixi, & fisi auxilio illius, qui veritatis & auctorem, & patronum se semper exhibuit, accedimus cõgressuri cum Brentio, omnibus instructo armis, quibus apud te, tuósque plurimùm possit: non aliter certè quàm Dauid in funda, & lapide, sed prius in nomine Domini, aduersus Philistæum gladio, hasta, atque galea, & clypeo munitum. Sed iam ad rem. epitomen in primis sophisticæ, ac monasticæ doctrinę me scripsisse tibi dicit: & quidquid ab alijs diffusè sparsum est, collegisse in breuia illa scholia, & catholicam confessionem. Hoc testimonium libenter amplector, & gratias ago Brentio, quòd me non propria, & priuata mea, sed catholicis omnibus, & in antiqua religione permanentibus communia tradidisse testis est. certè id conati sumus, & Deo adiuuante, quàm diu viuemus, conabimur, vt non pro sensu nostro, sed pro catholica tantùm veritate certemus. nec timemus sophistæ, & monachi, aut matheologi nomina, quæ non in me solùm, sed in omnes antiquitùs fundatam in Ecclesia doctrinam sequentes, Brentius iactat. Congratulor potiùs, quòd ab eo hoc audiam, qui hostem se totius catholicæ Ecclesiæ exhibet, & Concilium Nicænum falsum, & contra Euangelium docuisse asserit. gloriosum certè duco vituperari cum Cõcilio Nicæno, atq; ab eo matheologus dici, qui in hoc Cõcilio toti Ecclesię se ausus est opponere. Quid igitur sperare, aut audire potest ab eo vllus veritatis assertor, qui neq; Concilio Nicæno pepercit, & concilio nostrum, quod in edenda confessione catholica secuti sumus interpretatur sinistrè, atque detorquet callidis verbis in alios, & occultiùs quasi susurrans, seminat inter te, & vicinos discordias. Non sumus, inquit,

Lib. 2. contra Iul.

quit, tam hebeti ingenio, vt non intelligamus quo consilio, & quorum instinctu hypocrita ad suscipiendum hoc officium excitatus sit: & quibus operam suam nauauerit. Vbi tuo tantùm testimonio, Princeps optime, vti volo. nosti quàm syncerè, in confessione illa nostra edenda, actum est: nosti candidissimum illud Cardinalis Austani pectus, propter quod & toti Germaniæ, & catholicis omnibus agnoscitur catholicæ, & auitæ, semperque ab Apostolis seruatæ religionis tenacissimus obseruator, cui ob singularem hãc pietatem totum me tradidi. is te, & ob priuata in se beneficia, & ob insignem modestiam, quam semper de te prædicat, magno amore prosequitur, atque obseruat, laudátque (quod ab eo non raro audiuimus) studium quoddam tuum, & amorem eius, quàm putas, pietatis. Ille igitur arbitratus nihil circa fidem, non syncerè, & palàm agi debere, nec incertis, aut ementitis auctoribus quicquam emittendum esse: cùm significasset tibi, quòd pararem respondere & contradicere tuæ confessioni, accepit dignum te, iusto scilicet, & sapiente Principe responsum, id tibi non futurum ingratum, sed libẽter potiùs id accepturum. De qua re nec semel inter vos sermo, vt intelligo, fuit. hic nihil callidè, aut occultè, sed candidè & manifestè actũ est. confessio illa tuo nomine illustrissime princeps edita, vt recens, vt cultè, ac artificiosè concinnata: &. pietatem, ac modestiam præ se ferens, multos posse mouere metuebatur. eram vicinus, & inter illos agebam, ad quos peruenerat. cogitaui itaque resistendum esse, consensu eius, & auctoritate, cui merito seruiẽdum erat, vt legitimo Episcopo. ille non improbauit, sed apertè tibi etiam notum esse voluit. quòd ipse sicut nullo iure, nulla æquitate prohibere poteras, non solùm non prohibuisti, sed vltrò etiam, & candido animo probasti. Nihil hic est, quod sagaci, & acuto ingenio egeat, vt agnoscatur: nunquid occultè præsul ille dignissimus catholicam, & antiquam fidem confitetur & sequitur? nos etiam qualescunque non erubescimus Euangelium. scio te etiam ingenuè dicere, quòd non sis vlli, ob diuersam sententiã in religione infensus, sed cupias omnibus verum sensum. Hæc sunt digna (vt alia mittam) amico

Universidad de Deusto
Biblioteca

æqui, & recti: propter quæ meritò debeamus credere, te nihil contra conscientiam agere. Apud hunc igitur, apud te inquã, non opus erat consilia hæc abscondere, & catholicæ fidei cõfessionem occultè, & inscio te edere: quod non aliud foret, quàm indigna de te sentire. Arguit me iracũdiæ, & impotẽtiæ animi: quòd non potuerim mihi tantisper tẽperare, vt vel prima congressione saltem, aliquam veræ mansuetudinis, ac pietatis notam ostentarẽ. Hæc de me ait, cùm econtrà asserat, confessionis tuæ concinnatores simpliciter, & perspicuè, ac citra vllius hominis cõtumeliam, omnia recitasse: hoc animo, vt si ita res tulisset, cum bonis, & doctis viris de ea conferrẽt. Ab ijs igitur criminationibus, non aliter apud te prudentissime princeps agam, quàm re ipsa, & verbis, quę ipse in superiore libello, quem impugnat ille, dixi ab impotentia animi, & iracundia ipsa temporis mora poterat me satis purgare. triennio enim fermè, post editam confessionem tuam, edidi catholicam nostram, & biennio integro, postquam meditari cœperam responsionem, me continui. solet dies sufficere ad magnam animi impotentiam sedandam, multò magis credi potest, annorum etiam tempus suffecisse. certò aulim affirmare me attentè, & sedulò curasse, ne quid acerbè dictum audiretur: dedique impensè operam, ne quid diegrem, quod ad causam necessarium non foret, ita vt in causam ipsam, non in personas dictum apertè videretur, quicquid duriùs dici necessitas postulabat. multa huius rei exempla ostendere possem, in quibus etiam videri poteram nimius fuisse in hac modestia: quum te loquentem dux illustrissime faciunt, atque dicentem, quòd des operam propagandæ piæ, vel Apostolicæ doctrinæ, & iuuandæ Ecclesiæ Christi. Ego dico, quid si hæc doctrina est impia, quid si Ecclesia, cui faues, est congregatio Sathanæ? & addo certè iudicio nostro, catholicorum scilicet, impia doctrina, & Sathanæ Ecclesia est, quam promoues: sicut tuorum iudicio nostra doctrina, & Ecclesia sunt Sathanæ, atque ita dubiam doctrinam promoues. Quid hîc rogo iniuriæ est? aut quid, quod non in confesso sit omnibus? Potuissem exempla patrum sequens dicere, durum aliquid, sed

sed malui temperare, & agere argumentis, vt dicunt, ad hominem, vt ex datis à vobis probarem, meritò dubiam habendam esse fidem vestram: vt hac ratione impetum illum, & feruorem in ijs sequendis moderarem, & retardarem, atque ita paulatim ad maturiùs expendenda, & cogitanda omnia adducerem. Quum viderem hoc facilius esse, quàm omnia reuocanda esse, ac reijcienda persuadere. hunc tenorem in tota confessione nostra, & scholijs tenui: vsquequo tandem omni doctrina absoluta, ad perorationem ventum est. in qua cùm ex persona tua dicitur, quòd nullius erroris vel in doctrina, vel in reliqua Ecclesiæ administratione, tuorum concionatorum sis conscius: ego apertè dico, illos sequi damnatos iamdudum in Ecclesia errores Arrij, Iouiniani, Vigilantij, & aliorum. hoc quis non videat, si verum est, maximè pertinere ad causam, de qua agimus, & necessariò dicendum fuisse mihi, nisi vellem causæ fidei deesse? quantùm habet ponderis, apud rectè expendentes rationem fidei suæ, cùm probatur aliquid priùs damnatum in Ecclesia? si non apertè probo, Augustinum, Epiphanium, Philastrium, Hieronymum, Bernardum inter damnatas hæreses ab Ecclesia referre, negare offerendum sacrificium pro defunctis, ieiunia Ecclesiæ obligare quenquam, cœlibatum esse opus Deo gratum, & matrimonio meritò præferendum, venerationem reliquiarum, & luminarium vsum licita esse, & sancta, esse purgatorium, inuocandos sanctos, orandum pro defunctis: Si hæc inquam omnia, quæ habet confessio tuo nomine edita, ab illis patribus non referuntur inter hæreses damnatas ab Ecclesia, damner ego, vt contumelioſus conuiciator. si verò tam aperta profero testimonia, non est quòd reprehendar, qui veritatem causæ necessariam, & non nisi in fine, cùm iam taceri non poterat, dixi. Commendat ille modestiam confessionis tuæ, quando nullo contradicente edita est. non est certè magnum, nullo resistente, mansuetè agere. Sed an veram mansuetudinem præ se tuleris Brentius, cùm à me contradictum est suis, res ipsa ostendit. Certè si contumeliæ, & conuitia, & maledicentiæ, & amarulentiæ tollantur è medio prolegomenorum Brentij, vix

tertia pars supererit,& non in me tantùm, sed in omnes vniuersi Christiani orbis Episcopos. quod vt faciat, præfatur mihi imputandum esse, si quid duriùs in prælatos dici videtur,sed de ijs plus satis. Illud præterire non possum, quòd paratos dicit se, & socios in hac confessione edenda ad conferendum cum bonis, & doctis, si res ita tulisset: ita scilicet me à bonorum,& doctorum virorum numero excludens. Et quidē,nec bonum,nec doctum me, aūt credere, aut affirmare ausim,nec vllam mihi iniuriam fieri reputo, si hoc ipsum de me alij sensserint. Cupio saltem bonus, vel ex parte aliqua esse,& doctus: quantùm gradus meus,& ingenium,atque studium patiuntur. Verùm nolo te latere, optime princeps, qui sint Brentio boni,& docti, cum quibus paratus est de sua cōfessione conferre, idque ex verbis ipsius, audi, nec detrectamus(ait loco de sacra scriptura)cū quibusuis modestis,& eruditis viris conferre de doctrina pietatis: Asotus autē, & reliqui eius,qui cum ipso consentiunt,prælati sciant, quòd non sunt vera Ecclesia,nec ministri veri Ecclesiæ, sed sint hostes Christi,& Ecclesiæ eius, quare siue probent, siue improbent, scripta veterum patrum,nihil ad nos. Et paulò pòst, colluuiō Asoticorum prælatorum,non alio loco ducimus, quàm synedrion Annæ, & Cayphæ. In quibus verbis, vt omittam summam conuiciandi licentiam & libertatem, illud tantùm à te considerari volo, optime princeps, si omnes totius Christiani orbis Episcopi, qui antiquam religionē sequuntur, indigni sunt,cum quibus Brentius quicquam conferre velit,si nō inferiores impietate, & malitia, quàm crucifixores Christi: Ideóque nec Auc dicendum est eis: Qui sunt rogo reliqui, cum quibus conferre posset Brentius,nisi qui eum illo cōsentiunt,discipuli videlicet Lutheri? Nam omnes alij sunt hostes Christi,& Ecclesiæ, nisi fortè Sacramentarios, Zuinglianos, & Anabaptistas, & similia monstra iudicat, dignos esse cum quibus conferat,& solos catholicæ,antiquæ & semper agnitæ Ecclesiæ adhærentes reijciat,vt Christi hostes. Non credo illum hoc cogitasse, sed vtcunque sit, id constat, Brentium, cum nullo Episcopo,Romanam sedem agnoscente,cum nullo de-

lo denique his subdito conferre quicquam velle. Ego verò fateor me subditum esse illis, & debere, & velle. Quid igitur mirum,si nec bonus sim,nec doctus Brentio, cui omnes Episcopi totius Galliæ, Hispaniæ,Germaniæ denique, & Italiæ, cæterorumq; Christianorum regnorum æquales sunt crucifigentibus Christum. Hic animus Brentij, hæc sententia tam constans satis ostendit, vnde omnia alia eius verba proficiscantur,fontem, ex hoc thesauro cordis quid aliud proferri potuit,quàm maledicentiæ,& conuicia? Quid opus est pluribus,hac vnica ratione,veluti spongia,delebo quicquid nigro suo illo carbone Brentius contra me descripserit. Quid mirum, quòd in oculis Brentij tam deformis, & abominandus, videar,quàm me depingit, cùm ei omnes inter se consentientes,& agnoscentes Romanam Ecclesiam, omnes scilicet totius orbis Christiani Episcopi,principes,populi, præter paucos quosdam Germaniæ, idque vix à triginta annis, videantur hostes Christi? Quid ergo pluribus verbis in omni hac causa, criminationum Brentij contra me, opus est? hoc vnico verbo omnia diluuntur, non potuisse illum aliter iudicare de membro quodam infimo, qui de vniuerso corpore totius Christiani orbis tam duram apud se, & constantem sententiam tulerit: vsqueadeo,vt Anabaptistas,Zuinglianos, & omnes alios ab Ecclesia alienos, visus sit illis preferre. Sed vrget maximè aduersum me, & tibi iterum atque iterum ingerit: quòd nec nomini tuo pepercerim. Hoc enim agit manifestè, non alio consilio,quàm vt hoc nomine, non tantùm à me & animum tuum,& aures auertat,sed etiam aduersum me conuertat,& quidem vt ego in me sententiam feram,dignum certè est,vt & impudens, & imprudens iudicer,si in te, cui consulere & inseruire cupio, idque ago quantùm possum in illa confessione: & denique in quem nihil mihi auctoritatis vsurpare possum,aut debeo contumeliosus sim, aut offendam eū, apud quem audiri cupiam. Accusat Brentius, quòd dixerim tibi,deciperis,falleris, quia homo es, & falli potes. pateré vt hoc dicam de te,circa ea,in quibus nec es,nec pro officio teneris doctus, & consummatus esse. Hæc est vniuersa, quam

exaggerat

Universidad de Deusto
Biblioteca

exaggerat iniuria & contumelia;qua te afficio accusante Brẽ tio.verba negare non possum quæ scripsi:Sed quàm iniquè, & siniſtrè Brẽtius hęc interpretatus sit,atq; traxerit in contumeliam,quæ certè nulla in eis est,sed potius laus te digna, & de qua meritò gloriari debes. Iam audi primùm verba mea truncam quidem,& his quæ præcesserunt,atque consequuntur,quibus muniuntur quodammodo, & illustrantur, destituta refert, quare, nisi vt in alios sensus trahi possint? Egò, cùm in vltimis verbis perorationis tuæ dicitur, daturum te operam, vt nihil desiderari in te possit officij,quo vera tranquillitas, & salus in Ecclesia conseruari possit, admonui te, quòd quàm diu auctoribus illius confessionis,& quibus veteris tanquam consiliarijs credideris, nihil agere poteris quod ad salutem,& tranquillitatem Ecclesiæ esse possit: idque tribuo non malitiæ tuæ, non iniquitati animi,sed consilijs eorũ. Itaq; dixi,cùm tuo nomine diceretur, daturum te operam,vt non desis tranquillitati salutis Ecclesiæ, testimonium hoc vt fide dignum susceipimus, non dubitamus quòd quæ facis circa religionem, tranquillitati Ecclesiæ prodesse speres. Hæc præmisi veraciter,& ex animo tibi credes, & ab omnibus credendum esse asserens, prout debebam ijs verbis te iuxta conscientiam agere testatus.mox addidi:Sed audi obsecro,quod synceriter dicimus, deciperis proculdubio, inponitur tibi ab ijs qui humanitate tua, ingenuitate, & candore abuntur. Sic itaque dixi, te decipi, & falli, vt illud humanitati, & synceritati dederim. Hæ sunt virtutes principum propriæ, quibus cùm abuntur iniqui, facilè eos decipiunt. & statim adiunxi,falleris quia homo es,& falli potes,patere,vt hoc dicam de te,quod tui de sanctissimis, & doctissimis patribus passim dicunt.Quare igitur hæc omnia omisit Brentius,quę plena sunt officijs in te, & quibus apertè ostenditur, quòd quãtùm fieri potuit laudaui, & cõmendaui: in errore, de quo tacere non poteram,ingenium, & indolem, & quantùm potui excusaui.Errare certè,& decipi, malum est,sed nõ semper peccatum,aut peccato coniunctum,vel si peccatum est, non parum excusatur, quũ circa illa est, quæ minimè pertinent ad

ad munus eius,qui errat.Propterea dixi,te circa ea errare, in quibus non teneris pro officio doctus esse,& consummatus. Hæc pertinent ad te excusandum.sed fortè grauem iniuriam Brentius dicet illatam tibi, cùm dixi, quòd in ijs non est doctus,& consummatus. Hanc verò ego potiùs laudem duco. quis non intelligat,modestiæ esse, etiam in ijs, qui perpetuo studio lectionis insistunt,& acquirendæ sacræ scripturæ agnitioni vacant, agnoscere gradum, & eruditionem propriam, nec se credere in sacra doctrina consummatos, nec ab alijs credi velle,qui delectantur opinione eruditionis, & sibi,vel alijs hoc appetunt videri,in ijs,quæ professionis suæ nõ sunt: vt Iurisperitus in re medica, hic in iurisprudentia scioli esse possunt loquaces, sibiq; fidentes:sapiẽtes verò,graues,prudẽtésque minimè.scientia verò scripturæ,Hieronymo teste,non ad omnes pertinet,sed proprios discipulos vult: non minùs quàm aliæ disciplinæ.In illa igitur velle doctos videri principes,nulla ratione modestiæ esse credimus,quibus notum est inter temporales curas,quàm parum ocij ad vacandum studio relinquatur.Itaque,qui te in hac consummatum non esse asserit,nec studium eius,plenamque eruditionem ad te pertinere dicit,commendat in te modestiam, & ostendit vanas laudes adulatorum, tibi non placere. Cur Brentius cùm vsque ad illa mea verba, patere vt hæc tibi dicam, quandoquidem tui de sanctissimis, & doctissimis patribus passim hoc dicunt: peruenit. postrema hæc omisit, nisi quòd apertè videbat,illis se manifestè redargui.asserit in ijs prolegomenis, esse suos errores,in patribus,& alienas à sensu scripturæ interpretationes,& secum frequenter pugnare. Hoc dicit de Augustino,de Hieronymo,& Cypriano, meritò itaque ab eo quæro, an hoc sit iniuria in hos patres,an non. si non,nec vllam in te dixi iniuriã, nec nomini tuo quicquã detraxi, qui errasse te multò modestiùs retuli,quàm Brentius de Augustino, & Hieronymo.Si verò hæc est contumelia,contumelioſus est Brentius sua sententia in patres.Scio ego Augustinum,& reliquos non grauatim audituros,si redarguerentur errasse, & deceptos fuisse circa scripturæ sensum, modò, vt Augustinus ipse inquit,

inquit,non temerè, sed certa auctoritate, vel ratione id astrui posit.aliter autem id dicentem certè vt temerarium reijcerēt.omittò inde,quod posteà ago, quàm firma ratione impingat errores patribus.Illud est certū fidei,& scripturę doctrinā magis ad illos,quàm ad te pertinere,eosque huic studio multò magis insudasse, quàm tu . Igitur non est dubium , minùs hæc de patribus dici posse,quàm de te : quòd scio te, nec negaturum nec grauatim quidem auditurum. Verùm igitur , & dignum de te sensi,cùm dixi,patere,vt dicam te falli , & decipi:Siquidem tui hoc dicunt de patribus.Agnosce obsecro te, ingenue princeps,quòd hæc non adulatoria sunt,non fraudulenta oscula blandientis,atque ideo quod meritò dici potest odientis. Nam reuerà odit quisque , quem immoderatè laudat. si quid habent verba illa,quod durum sit, cogita meliora esse vulnera diligentis , quàm fraudulenta oscula odientis inimici.ostendit te amare,qui apertè imperfectum tuum tibi proponit,simulque te laudat,cùm significat,hoc tibi non futurum ingratum:illos potiùs time,qui blandiuntur,& adulantur, & vt apertè dicam, nullus tibi nocentior inimicus est, quàm Brentius.nullus (inquam)vlla maledicentia tantùm tibi nocere potuit,tantùm incommodi , & detrimenti, non dicam iam animæ, sed substantiæ, gloriæ, & nomini tuo inferri potuit:nullus inquam coniuratus hostis tantùm tibi nocere, quātùm Brētius in ijs prolegomenis,quibus maximè putauit tibi fauisse.Hoc si non manifestè ostendero , idque ex ipsius verbis,habear mendax. Loco igitur primo de officio principum secularium in Ecclesia sic proponit , quod assumit probandum:ostendemus, diuina clementia adiuti, quòd non ad prælatos illos tantùm , imò ne quidem vlla ex parte ad ipsos,quippe qui iam non Ecclesiæ membra sint : sed præcipuè ad pios principes,& ad eos, qui tam ex ministrorum Ecclesiæ numero,quàm ex reliquo hominum , qui doctrinam Christi agnoscunt,cœtu, in consilium adhibentur,pertinet de doctrina religionis cognoscere , & iudicare . Hæc sunt eius verba, quæ toto illo loco conatur multis rationibus confirmare. Itaque non longè pòst,proposito exemplo Dauid,ex Psalmo centesimo

centesimo tricesimo octauo:nónne qui oderunt te, oderam: & super inimicos tuos tabescebam ? Perfecto odio oderam illos,inimici facti sunt mihi,ita ait: Rex suo ipsius exemplo significat,hoc esse verum officium regum,& principum,vt impiam doctrinam ex animo detestentur,& crudeles hypocritas,qui sunt viri sanguinum, persequātur.sed quomodo poterit princeps impiam doctrinam detestari , nisi antè cognouerit,& iudicauerit,quæ doctrina sit impia? & vltra progrediēs, Lex Moysis,inquit,Armat manus cuiusuis , etiam priuati aduersus eum,qui suadet idololatriam seruandam . Et loco illo Deuteronomij.citato.Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius,vel vxor, aut amicus, eamus, & seruiamus dijs alienis,non acquiescas ei:neque parcat ei oculus tuus,vt miserearis,& occultes eum,sed statim interficies eū , & infert : Quòd si maiores nostri exercuissent seueritatem legis huius,aduersus eos,qui primi deserta doctrina Prophetica, & Apostolica,introduxerunt aliena sacra , quæ ignorauerunt patres nostri, nouas, & impias sectas monasticas, quas detestatur verbum Dei,nouam & Aristotelicam doctrinam religionis, quā abominatur Euangelion Christi:nō dubitamus , quin rectiùs se haberent res Christianorum , & tranquillior esset Ecclesia Dei.Vide igitur, illustrissime princeps, quanta fiducia hoc loco, Brentius principibus tribuit iudicium doctrinæ fidei,& armat illos ad persequendos etiam, atque interficiendos hypocritas, & falsos doctores, citatis verbis illis, statim interficies eum:atque affirmat apertè tranquilliorem futurum statum Ecclesiæ,si seueritas huius legis seruaretur, & hac ratione auctoritatem principum,atque ita tuam putat se defendere, & clamat aduersum me, quòd vos omnes gradu deiecerim.ita se credit , magnam apud te inire gratiam , quòd tam acer sit vindex, & propugnator auctoritatis principum . sed interim oblitus mihi esse videtur vestrorum supremorum principum,quos & clementissimos dominos fatemini,Cæsaris scilicet,& Romanorum regis . Hos non potest negare vetos principes esse,& supremos dominos Germaniæ.Quid illi circa religionem iudicarint: & scriptum Cæsaris de damnatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione Lutheri, in comitijs Vvormacienſibus, & aliorũm comitiorum receſſus, & decretum illud conſenſu etiam omniũ ordinum Auguſtæ editum, de ordinatione circa religionis, & Eccleſiarum ſtatum, vſque ad definitionem concilij ſeruanda, ſatis oſtendunt: atque vita ipſa horum principum apertè cõtra omnia loquitur, quæ Lutherus circa ſacramenta, & fidem mutauit, & vos ſequimini. Si ergo ad eos pertinet iudicare, cur non vultis ſtare eorum iudicio? certè, teſte Brentio, Dei ordinationem tranſgredimini, quotquot in religione contraria eorum iudicio ſequimini. ſiquidem neque ille negat, neque vos, illos eſſe principes legitimos. niſi fortè eos impios eſſe dicat Brentius, & propterea addit ſemper, hoc iudicium pertinere ad pios principes. neſcio an hoc ſit dicturus. Quod ſi dixerit: iuſtiùs ipſe in omni iudicio reijciendus eſt. Cur enim ſi vitam, mores, opera, & reliqua horum principum geſta ſpectemus, illos impios, & vos qui contraria creditis, pios iudicabimus? Si pietas cultus Dei, diuinarumque rerum obſeruantia eſt, quis inter principes magis pius, quàm illi? Ac denique cur credi poteſt, Deum ſubtraxiſſe illis lucem, quam vobis dedit? Verùm vtcunque ſit, ſi impios illos dicat Brentius, atq; ideo eos hac auctoritate priuet: nónne ad ſeditionem, & rebellionem excitat populos? Summi hi principes attentè, & ſeriò, de ſalute ſua, & oĩm veſtrũm cogitãtes dãnant omnes nouas Lutheri doctrinas. Rebelles ergo ſunt, qui non obediunt. Rurſum ſi exemplo regis Dauid, & mandato legis, principes debent, Brentio teſte, aduerſarios eius doctrinæ, quam piam iudicant, odio perſequi, & interficere: Cur non Cæſar, & Romanorum rex, ſi hoc egerint iniuſtè egiſſe iudicandi ſunt? Itaque his verbis, quibus tuam auctoritatem Brentius putauit ſtabilire, excitauit, & armauit aduerſum te potentiam, & vires horum principum, & ſimul definiuit, te, atque omnes teneri eorum ſequi iudicium. Finita eſt igitur tota cauſa religionis, & omnes, qui illorum iudicium non ſequuntur, obnoxij ſunt iræ eorum, & morti. vbi nihil reſtabat iam vobis refugij, quàm ad eorum clementiam. Hanc verò ſententia Brẽtij ſubtrahit, cùm, inquit, officiũ illorum eſſe deteſtari, & ſeueriter

ueriter perſequi impiã, iudicio eorũ ſequentes doctrinã. Hęc quàm ſint pernicioſa tibi ipſi, Brẽtio, & omnibus nouũ ſequẽtibus Euangelium, ipſe iudica, & vide. an non vltimæ damnationis ſententiam in vos omnes protulerit? Verùm aliquid reſtat, quod his reſponderi poſsit in Brentij doctrina, & hæc omnia effugere, atque eludere quis valeat ſequens nouum Euangelium. Eodem enim loco de principum auctoritate, nõ ſolùm, ait, ad vniuerſam Eccleſiam Dei, & ad eum cœtum, qui in nomine Chriſti publica auctoritate, conuenit, verum etiam ad vnumquémque hominem priuatum, qui eſt Eccleſiæ membrum, pertinet de doctrina religionis iudicare, & veram, ac falſam internoſcere. Et pòſt pauca quædam apertè dicit, quòd confirmato Euangelio miraculis, nullo modo (verba enim eius iam referam) licitum eſt, in cauſa æternæ ſalutis, alienæ ſententiæ ita hærere, vt eam ſine noſtro ipſorum iudicio amplectamur. Itaque priuatis omnibus auctoritatem dat, dubia fidei ita definiendi apud ſe, vt non ſolùm poſsint aliorum non ſequi iudicium, cùm ſuo repugnat: ſed etiam, vt teneantur nullius iudicium ſequi, quod ſuo non conuenit, etiã principis ſui. neq; enim principes excipit: ſed nullius, ait, iudicium, licitum eſt, in cauſa æternæ ſalutis ſequi, ſine ſuo. Itaque iubet omnibus, vt diligenti iudicio expendant, vtrum, quæcunque doctrina, vel prædicatio, etiam Apoſtoli, vel Angeli conueniat vel pugnet cum Euangelio, quod prædicatũ eſt, & confirmatum diuinitùs. Igitur iuxta hæc priuatus tenetur, non ſolùm poteſt, iudicium ſui principis expendere, & an conſonet Euangelio, vel repugnet iudicare: etſi repugnare cognouerit, non obedire. Poteſt ergo quilibet, quod ſibi viſum fuerit, ſequi, & principi ſuo, aliter præcipienti, liberè reſpondere, quod aliter iudicet, & iuxta hanc rationem liber eris tu, & reliqui principes, qui nouum Euangelium ſequimini, in cauſa religionis, à legibus Cæſaris, dicentes, vt iam diu cœpiſtis, nõ poſſe vos cõtra conſcientia agere. ſed vide obſecro, quid inde fit. certè, vt ſubditi tui ſimiliter tibi non pareant, cùm & ipſi idem excipere poſsint: ſe ſcilicet non poſſe contra conſcientiam obedire. quo verbo omnium ſubditorum

rum tuorum obedientia subtrahitur. Iuxta primum igitur superiores tui debent omni seueritate persequi te, tuamque fidem: Iuxta secundum verò subditi tenentur tibi non obedire, in causa fidei. cùm iudicauerint nō esse obediendum. Quis rogo potest tibi maius detrimentum adferre, quàm qui te medium constituit, inter superiores tuos, & subditos, & vtrosq; aduersus te armauit? atque quod de te dicimus, cogita in cęteris principibus: & vide qualis erit respublica, In qua, neque principes, superioribus suis, neque subditi eorum ipsis obediant. Et interim Brentius clamat contra me, quòd seditiosus sim, & sensu eommuni earear, & agar spiritu vertiginis, cùm hæc omnia doctrina Brentij apertè contineat. Quæ rogo est alia seditio verior, quàm ista, in qua inferiores omnes aduersus maiores permittuntur rebellare: & quis maior defectus cōmunis sensus, quàm auctoritatē dare præcipiendi, imò & ad hoc agendum astringere superiorem, & inferiores non obligare ad obediendum? Omnis lex docet, ei, qui auctoritatem habet præcipiendi, obediendum esse: eum verò, cui nullus obedire tenetur, neque potestatem habere præcipiendi. Quis nō intelligat legē, & decretū omne superioris vanū esse, ridiculum, & puerilem ludum, si vim, vt dicunt, compulsiuā non habeat? hic verè est vertiginis spiritus. quem si sequantur homines, & principes in subditos, & subditi in principes insurgant, & sine vllo ordine tumultuentur necesse est, & quid plu ribus opus est? Hæc tam apertè sibi ipsis contradicunt, vt Brētius ipse, qui tum de auctoritate principum primo loco affirmat, & potestatem tribuit definiendi dubia, imò hoc illis imponit: post hæc omnia demum secundo loco de scriptura, sic mihi respondeat. Rogas ergo, quem tandem iudicem & quod iudicium agnoscamus? Breuissimis, & perspicuè respondeo, eum iudicem agnoscimus, quē in symbolo fidei, iam inde ab incunabulis didicimus, viuorum, & mortuorum. interea temporis, dum ille patefacit sententiam suam, vel particulariter, vel vniuersaliter: Vos magni sapientes, & potētes vsurpabitis iudiciū contra nos, & persequimini nos, certè hęc fuit fors Ecclesiæ Dei. Omitto inde quantam contineant hæc verba,

ba, in se ipsis calliditatem, & qualiter ad pertinaciā moueant, & quàm falsò dicantur. Illud tantùm ex his considerari volumus, quòd solùm Christi iudicium vult agnosci. Frustrà igitur est omne principum iudicium, vanum, & puerile, & verè conuincitur, spiritu errorisagi, & omni humana ratione carere, qui hæc tam contraria sibi ipsis affirmat. atque ita vt cæcus in eos irruit, & eos primos offendit, quibus prodesse vult. quæ quæso tenebræ maiores vnquam fingi potuerunt, quàm istæ? quare non est, quòd vlteriùs respondere debeam Brentio, de omnibus, quibus me calumniatur. Hoc sit satis, vt ab omni eum repellam testimonio, & indignum fide ostendam: quòd sibi ipsi tam apertè contradicat, & quæ affirmat, neque in se stare possunt, sed se ipsa destruunt: auctoritas scilicet principum, & subditorum libertas. Te igitur princeps optime, appello, & obsecro quàm humillimè, vt attentè cogites, quale sit illud Euangeliū, & quæ doctrina, quæ defendi nō potest, nisi tantis falsitatibus, & tam manifesta contradictione. Deinde vt simul expēdas, an falsò ego dixerim, in præcedēti cōfessione, iacta esse semina totius schismatis, & diuisionis. Hi enim sunt illius confessionis fructus, quos nunc Brentius profert, Qui nullam agnoscit Ecclesiam, & nullum concilium, qua ratione vnitatē Ecclesiæ seruare poterit? qui nullius iudicium se qui debet sine suo proprio, cui parebit? quòd si hæc sint vera, quis nexus in Ecclesia? quomodo teneri poterit in eodem sensu, & in eadem scientia, circa fidem, & cultum Dei, vt Paulus iubet, cum alijs, qui solùm propriū sensum iudicē habet, & solius Christi iudiciū agnoscit? Et vide an nō proprio suo gladio velut alter Goliath, Brentius prostratus, & interfectus iaceat. in præcipua causa, & primo loco de auctoritate principum, quod cùm in alijs omnibus locis facilè fieri possit, interim ne pluribus te grauem, & modum excedat hæc epistola, supersedendum duxi: finémque impono humili hac obsecratione: Per salutem tuam æternam, per iudicium, quod omnes expectant, te optime princeps obsecro, & obtestor, attentè cogita Brentij doctrinam, & quàm inconstans, quámque sibi contraria sit. cùm aduerteris, & expende quid tibi agendum sit,

& quid respondendum Christo, in iudicio illo vltimo, quòd sequutus fueris doctores, ac doctrinam tam apertè sibi ipsi contrariam, & hoc ipsum vt agas, Christum humillimè rogo: & tu similiter roga cum Paulo, vt Deus domini nostri Iesu Christi, Pater gloriæ det tibi spiritum sapientiæ, & reuelationis, in agnitionem eius, & illuminet oculos cordis tui. Amen.

DE VNA, VISIBILI, ET CERTA Ecclesia Christi necessariò agnoscenda.

L.or 1.o

CVm omnes Ecclesiam Christi & prædicemus vnicam eius sponsam, & ad illam nos pertinere gloriemur: omnes, inquam, qui tam diuersa & contraria de ijs, quæ ad verum Dei cultũ, & salutem nostram pertinent, sentimus: apertum fit, consentientibus etiam omnibus, aut nos, aut illos extra eam esse, quæ nullo modo contraria in doctrina religionis, & salutis nostræ patitur. Meritò igitur, primò omnium, vera est agnoscenda Ecclesia, & syncero corde amplectenda ab his, qui salutem suam charam habent. Quod cùm semper necessarium fuerit, nũc certè eò magis, quò magis abundant sectæ, hæreses, nouitates doctrinæ, quas meritò dixerim diluuium aquarum multarum: aquarum inquam infideliũ, quo miserrimè suffocantur, quicunque ad veram Ecclesiam, tanquam ad alteram Noe arcam non confugiunt.

Ca.1. Quòd oĩbus est necessarium Ecclesiam agnoscere.

Quæ omnia cùm agnoscamus, & nos, & Vvirtenberg. cum quibus & egimus, & nunc agimus: illi nihilominùs Ecclesiam describunt, quæ semper incerta sit, & occulta, & à nullo manifestè cognosci possit, etiam per fidem, non tantùm nũc, cùm religio tanta sententiarum diuersitate scinditur, sed nec tunc etiam, cùm nulla est de fide controuersia. quod ex eorum confessione, quã impugnauimus, manifestum est. Capite enim de Ecclesia, post enumerata maxima quidem eius priuilegia, sed, vbi (inquiunt) hæc Ecclesia sit, quærenda, & an iura eius sint certis terminis circunscripta, alij aliter sentiunt: & vt omittamus nunc quæ ibi respondẽt, certè capite de concilijs, ita inquiunt: non quiuis hominum cœtus pro vera Ecclesia haberi potest: & vt maximè multi aliquoties in nomine Christi conuenire videantur, tamen pauci sunt electi, & non est omnium fides. Quare nos in Catholica assertione, non debuimus hoc omittere, vnde vel maximè & salus hominum, & controuersiarum finis pendet. Igitur Ecclesiam non solùm certam, & manifestam, sed visibilem etiam, & sensibus perspe-

Cap.2. Ad Ecclesiã agnoscendã primò esse ostẽdendã, quòd sit certa, et manifesta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctam docuimus.quod cùm nunc potissimùm impugnetur à Brentio,in suis prolegomenis : hinc putauimus meritò fore nobis incipiendum. vt primùm omnium necessarium esse ad salutem , certam manifestámque habere Ecclesiam, scripturæ,& fidei rationibus , atque patrum auctoritate confirmemus : quò deinde, quæ illa sit, & vbi, faciliùs possit agnosci.Principiò igitur illud Dei consilium,de congreganda Ecclésia ex hominibus,est nobis attentissimè cogitandum.mox enim, vt ab hominibus sibi religionis cultum exhiberi,Deo placuit , non id priuatim, & quasi solitariè, atque à quouis seorsim,& separatim ab alijs:sed potiùs in aliorum cœtu, & gregatim fieri voluit : non quò interiora illa cordis sacrificia, laudis,confessionis, gratiarumque actionis, de quibus Psal. Sacrificium Deo spiritus contribulatus : &, Sacrificium laudis,honorificabit me:respueret: sed quò iudicaret,se hominis creatorem,qui mox vni creato, & consorti ex eo formatæ procreationis, fœcunditatisq; beneficium contulit,atque ita in societatem vnam, sub vno summo Deo, omnes ab illo vno principio propagatos , atque in vnius Dei religionem & Ecclesiam coadiuuari debere,modò creationis integritas seruaretur, constituit. vnde & homini indidit quandã societatis colendæ,quærendæque propensionem, & reuerà indigentiã, atque necessitatem, cùm aut nullus , aut certè vix quisquam inueniri possit,qui in omnibus vel huius transeuntis vitæ necessarijs rebus sibi ipsi prospicere, sufficereque possit. Sed vt interim hæc omittamus,quod ad Deum colendum,agnoscẽdumque attinet:potuit quidem ille,si ita vellet,cuique homini apud se priuatim,aut per domos manifestare seipsum : &, qua ratione coli ab eis vellet,ostendere:Qua in re minùs certè videbatur necessaria societas aliorũ . Deo enim facile est, singulis inspirare,quod sit satis cuiq; , eósque ita in suam continere obseruantiam.quod cùm noluerit,manifestè ostendit, quantùm amet in suo cultu concordiam,consensumque hominum,quantùm singularitas illa ab alijs se elongantium, & quasi despicientium , quos Deus æquales creauit, illi odiosa, & periculosa sit nobis.In humani generis principio, offerunt

Cap.3. De consilio Dei in congregãda Ecclesia ex hominibus.

Chain,

Chain,& Abel sacrificia, non singulariter, & seorsim,sed simul & in cœtu eorum,qui tunc erant hominum. vnde & publica sacrificia , publico etiam iudicio cælesti aut placuisse, aut displicuisse Deo ostensum fuit.Móxque , quia ita humana iniquitas postulauit,cùm paulatim à cultu,pietateque Dei non minima pars hominum defecisset: fuit Deo curæ suã seruare Ecclesiam intactam,& segregatam à malignorum,quam etiam iniquus ille imitator operum Dei,& æmulator gloriæ congregauit societate,& Ecclesia. Hinc legimus in illa priori ætate filios Dei, & filios hominum , piorum scilicet , & impiorum familias,gregésque colentium Deum,& contemnentium.fuit itaque & tunc , non apud aliquem solitarium Dei cultus,& professio,sed in Ecclesia,non dubium quin ministerio illorũ congregata , quos Deus iam tunc dabat pastores, & doctores,Adæ videlicet,Seth,Enoch,& reliquorum piæ illius familiæ patrum,vsque ad diluuium,& deinde secunda ætate , rursum crescente malicia , eligitur quidem Abraham, & separatur ab impiorum, & idololatrarum habitatione,sed nec solus,& sine Ecclesia, verùm cum vxore etiam sua,atque domo: statimque illi futuræ Ecclesiæ Dei certissima facta est promissio.Faciam te in gentem magnam,atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ,& constat apertè,Ecclesiam illam,iam etiam visibilibus signis circũcisionis designatam fuisse, seruatamque à Deo mira prouidentiæ suæ ratione:atque vicissim in ea ipsum fuisse agnitum , vt verum Deũ, cultibusque sibi gratis adoratum:quousque ad insigne regnũ, potentiámque perduceretur: & demum ad tempus manifestationis gratiæ perueniret.vt,& qui priùs sub promissis vixerant, & reliquæ Gentes,ad eam agnoscendam,& suscipiendam vocarentur:fieretque ex omnibus vna Ecclesia , dicente Christo , Alias oues habeo,quæ non sunt ex hoc ouili:& illas oportet me adducere:& fiet vnum ouile , & vnus pastor: Et Paulus apertè clamat de Christo: Ipse est pax nostra,qui fecit vtraq; vnum.Et:Veniens euangelizauit pacem vobis,qui longè fuistis, & pacẽ his qui propè : quoniã per ipsum habemus accessum ambo,in vno spiritu ad Patrem.Ecce vnitas illa spi

Gene.12.

Ioan.10.

Ephe.2.

Ephe.4. ritus, quam postea iubet nos solicitos obseruare, in vinculo pacis. Hæc itaque apertè nos docent, quàm diligenter Ecclesiam quærere debeamus, quàm ardenter amplecti. nónne clamant hæc omnia, vt priùs nobiscum inuicem conueniamus homines, priùs concordemus, priùs cognoscamus consortes: vt deinde non priuata cuiusq;, sed cõmunia placeãt Deo creatori omnium obsequia? cui consonat, quod in Euangelio nos

Mat.5. admonet Christus: Vade priùs, reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. non ei placet nisi vnitatis sacrificium, pacificæ illius, fraternæque charitatis, qua quisque prout se, proximum amat, in Deumque curat reducere, aut per eum ipsum reduci. huic loquitur: Si duo ex vobis con-

Mat.18. senserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. cùm priùs de Ecclesia dixisset, dic Ecclesiæ. Et quæcunque ligaueritis &c. & postea vbi duo, vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Itaque contextus nos docet, quod dicitur duo ex vobis, ad eos, qui Ecclesiam agnoscunt, & in eius vnione Deum colunt, referendum. Ex vobis (ait) quibus dixerat, dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, &c. & quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cæ-

De simpli. Præl. lis, quomodo enim (vt verbis Cypriani, hæc exponentis dicã) potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesię, & cũ ipsa fraternitate non conuenit? Hoc ipsum & per Ma-

Mala.2. lachiam Deus ostendit, cùm inter ea, quæ erga cultum suum, in sacerdotibus, & reliquo populo inordinatè, præpostereq; fiebãt, hoc etiam dicit: nunquid non pater vnus omnium ve-

Cap.4. Deo nihil esse gratũ, quod extra Eccle siã offertur strûm? núquid nõ Deus vnus creauit vos? quare ergo despicit vnusquisque vestrûm fratrem suum, violans pactum patrum vestrorum? Hæc itaque Dei voluntas nobis est meritò summi facienda, quam maiori sapientiæ prouidentia à Deo non dubitamus constitutam, quàm vt à nobis satis, digneque intelligi possit. Certè extra Ecclesiam suam, extra societatem eorum, quos sibi elegit in populum, nihil ei placet, nihil est gratum, tot enim vinculis, tot nexibus vult nos in mutuo amore deuinctos esse, tot officijs hinc inde & exhibitis, & susceptis

nostram

nostram charitatem coalescere, & augeri curat, vt nulli quãtumuis in remotissimo secessu à se seruato, nulli inquam vel Paulo, vel Antonio liceat, vel momento quidem temporis, non se gerere vt Ecclesiæ membrum, non agnoscere societatem aliorum, non pro alijs esse solicitum. Vt enim Paulus de 1.Cor.12. membris corporis inquit, Deus ita temperauit corpus, vt pro inuicem solicita sint membra, & si quid patitur vnum, compatiantur & alia. cuius rei, quæ summè necessaria est, illud exemplum nos maximè admonet, quod in Paulo à Deo ipso exhibitum est. Prosternitur de cælo, vocaturque à Christo, & conuertitur, imò vt quibusdam videtur, nec omnino improbabiliter, & rapitur vsque ad tertium cælum, & posthæc omnia mittitur ad eum Ananias, qui illum baptizet. vt videas (inquit Actuum.9. ille) & implearis Spiritu sancto, mittitur ad eum minister Ecclesiæ. ob quam aliam, putas, causam, nisi vt fratres agnoscat, vt societatem colat, vt non nisi in Ecclesia Christi sibi salutẽ speret, vt denique sacramenta percipiat, visibilia scilicet signa, & per ea copuletur Ecclesiæ? quod postea amplius etiam se cu- Ad.Ga.1.2. rasse ostendit, conferens cum alijs Apostolis Euangeliũ, quod à Deo sciebat se accepisse? Sed & Cornelius ille, licet dignus cui appareret Angelus, suásque orationes exauditas significaret: Petro tamen traditur imbuendus, per quem non tantùm sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid denique diligendũ esset, audiret. Poterãt quidem hæc omnia per Angelum fieri, sed, vt Augustinus inquit, In prologo libri de doc. Christ. nimiùm esset abiecta humana conditio, si per homines homini-bus verbum suum non ministraret Deus. Charitas etiã ipsa, quæ homines nodo quodam vnitatis constringit, langueret, si in his quæ ad Deum sunt, homo homine socio non egeret. Denique hac ratione Ecclesia verè Dei templum esse osten- 1. ad Cor.3. ditur, dicente Paulo, templum Dei sanctum est, quod estis vos, ostenditur inquam, cùm Deus ex Ecclesia sua oracula, sua verba nobis edit, nostrasque orationes, cultusque, quos ei exhibemus, & sacrificia non aliundè suscipit, quàm ex Ecclesia: de qua illud psalmi meritò accipi debet: Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur muri Hieru- Psalmo 50.

 salem:

salem: Ecclesiæ scilicet, quasi vnici templi Dei. vnde & sequitur. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos, laudum scilicet, & orationum, cæterorumque Deo placentium operum.

Ca. 5. Quòd Ecclesia sit visibilis.

In hac itaque dispensationis diuinæ ratione de constituenda Ecclesia, de necessaria omnibus vnione ad eam, ideo putauimus primò lectorem tenendum, quoniam ex ea iam satis ostenditur, Ecclesiam hanc Dei oportere cognitam esse sensibus, & perspectã. Si enim ad hoc à Deo ædificata est, vt homines contineat & vniat, vt ad eam congregentur, & confluant, quibus curæ est, Deo gratos, probatósq; esse: si Ecclesia est hominum, atque ideo humana societas, licet altiori virtute, fide scilicet, charitate, à Deo infusis, constans: si denique coire debent homines in hanc societatem, vt grata sint Deo eorum obsequia, quomodo id fieri potest, nisi se agnoscant? aut quomodo se agnoscent, nisi sibi inuicem suos animos manifestet? Hoc verò qua ratione fieri valet, nisi visibilibus, externisque signis? Non est Ecclesia hæc Angelorum, non spirituum dũtaxat, sed hominum corporalium sese adiungẽtium, inuicemque conuenientium in fidem, cultúmque Dei, secundum gradus, functionésque diuersas, tanquam diuersa membra: vt alij suscipiant, alij tradant diuina, alij regant, regantur alij, quæ omnia obsecro quomodo fieri possunt, nisi se mutuò videre & alloqui possint? Nunquid Ecclesia illa prior antiqui populi inuisibilis erat? Nunquid non perspecta, & cognita eis ipsis, qui ad eam pertinebant? Abrahæ familia, Iacob filij, & nepotes, omnésque propagati ex eis, in Aegypto, & in deserto peregrinantes, & in terra promissa constituti, sacerdotes, ministri, templum, sacrificia, lexque ipsa, quibus omnibus constabat illa Ecclesia, nónne cognita erant etiam sensibus? Accedamus ad Euangelium ipsum, & primordia Ecclesiæ: Discipuli illi, qui congregati erant foribus clausis, cùm ipsa die resurrectionis ad eos venit Iesus, cum quibus quia non erat Thomas, non vidit ipsum, putas non erant vera Christi Ecclesia? putas non visibile, & manifestum erat, eos esse Christi discipulos? Illi ferè centum viginti, qui post ascensionem Christi

Cap. 6. Ecclesiam Dei ante Christũ & post visibilem fuisse & esse.

Ioan. 20.

reuersi

reuersi sunt, & ascenderunt in cœnaculum, erantq; perseuerantes in oratione, quorum omnium primi Apostoli descripti sunt, in quos venit Spiritus sanctus, an non sese videbant, & corpore etiam conueniebant secum? nónne corda fatebantur sibi abscondita esse, cùm dicerent: Tu Deus, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his. & tamen eos esse Ecclesiam illam, quam Christus reliquerat, sensibus ipsis manifestum erat. Quid de illis tribus milibus, qui die Pethecostes baptizati sunt, de quibus dictum est, quod erant pariter, & habebant omnia communia, quorum numerum Deus quotidie augebat, dicemus? De omnibus denique, qui primò Hierosolymis sub Apostolis crediderunt? de quibus dicitur, quòd facta est persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Samariæ, & Iudeæ, præter Apostolos, quid sentiendum? nónne omnes hi, qui Ecclesia dicuntur, erant visibiles, & visibiliter se vniebant, & ipsis atque cęteris omnibus constabat, quòd priori illi congregationi accesserat? Illa etiam, de qua dicitur: Ecclesia quidem per totam Iudęam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur, ambulans in timore Domini, nónne visibilis erat? Et ne plura dicamus, Ecclesiæ omnes, quibus Apostolus scribit sic eas compellans, Ecclesiæ, quæ est Corinthi, Ecclesiæ Thessalonicensium, de quibus ait. Volo in Ecclesia quinque verba loqui, atque ita constat, eas veras fuisse Christi Ecclesias, nónne fuisse visibiles, certum est, ad quas scribere, & loqui Apostoli poterant, ipsæque sibi inuicem communicare? Ecce tot Ecclesias, & visibiles, imò vnam semper visibilem, à Patriarchis & Apostolis agnitam, ipsos cognoscentem, cuius consuetudinem Paulus contentiosis objecit, quando rogo facta est inuisibilis? quando sic mutata fuit, multò certè insensibiliùs, & inuisibiliùs, quàm eam inuisibilem dicunt sectarij? Aut quomodo iam fideles conueniemus, quomodo constituemus Ecclesiam, quomodo illi nos adiungemus, quæ est omnino abscondita à sensibus? nisi fortè quis dicat, incertis quidem & incognitis nobis, Deo verò manifestis nos debere coniungi, sed Deo id intendentes, vt veræ, quam Deus cognoscit, Ecclesiæ participes iungi.

Actuum. 8.

Actuum. 9.

1. Cor. 12.

1. ad Cor. 11.

Ca. 7. Quòd non sufficiat Ecclesiæ incognitæ cognitæ conticipes iungi.

ticipes sumus, quanquam nobis occulta sit: quod & intueor dixisse Brentium in suis his prolegomenis, sic enim primo illo suo loco de officio principum adducto, exemplo illorum septem milium, qui non curuauerunt genua ante Baal: quasi quia absconditi erant, ideo visibili Ecclesiæ non participarēt, & vt membra populi Dei, qui templo, & sacrificijs communicabant non se gererent. quod neque scriptura dicit, nec certè verum est, & tamen, ac si hoc esset, ait: cùm ea Ecclesia, quæ in medio impiæ nationis diuinitùs conuersatur, libenter consentimus, & inuocationem nostram coniungimus. Sicut enim vnus est Christus, ita vna est fides eorum, qui eodem spiritu Christo coniunguntur. vides vt vult nos ignotis coniungi, atque ad Deū id referre, quod vtrunque tolerabile foret, si nostra cum Ecclesia coniūctio, sicut à Deo exigitur, ita etiam soli illi debita esset. modò autem ipsi etiam Ecclesiæ id debetur, vt scilicet illius stemus iudicio, pareamus sententijs. quod qualiter rogo fieri possit, si sit soli Deo cognita? nullus enim iam erit pastor, nullus Episcopus, aut si sit, nec ipse cognoscet oues, nec oues ipsum: deleatúrque illud ex Euāgelio: proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. aut si ad solum Christum hæc referenda putamus, deleatur quod Petrus scribit. Pascite qui in vobis est gregem, & Paulus. Dedit scilicet Christus in Ecclesia sua pastores, & doctores in consummationem sanctorum, aut frustrà hæc omnia sint, si nullus, quem habeat pastorem, aut quas oues agnoscere potest. Nam si hi inuicem se agnoscant, agnoscit se Ecclesia, quæ reuerà non aliud est, quàm Christiani populi, & ministrorum Christi congregatio. i. subditorū, & prælatorū. Si verò ipsa cognosci non potest, nuda verba sunt illa, quæ de Ecclesia audienda, de iudicandis ei fratribus peccantibus, vt emendentur, ab ea scripta sunt: & quicquid auctoritatis Ecclesiæ datur in ostendendis libris canonicis, sensu verò illorum, definiendisque dubijs, & controuersijs fidei, quæ omnia in sua confessione Vuirtenber. fatentur, nec in suis prolegomenis

Ioan. 10.

1. Petri. 2.

Gala. 4.

gomenis Brentius negat, vanum est. Quorsum hæc concessa sunt à Christo Ecclesiæ absconditæ à sensibus, cùm non nisi per sensus hæc præstari, aut suscipi possint ab hominibus? Denique remissio ipsa peccatorum, quæ non nisi horum ministerio, qui claues Ecclesiæ habent, fieri valet, incerta omnino, imò nulla erit, si nec cognitus sit is, qui habet claues, nec is, qui illis est subiectus. Et quid opus est de his plura dicere? Decantatissimū illud Augusti. verbum, quod & cōpertissima experientia, seculorum omnium consensu, firmata, rationéque certissima ipse probat, audiamus, quòd hæc omnia confirmat, & colligit. Cùm enim ille contra Faustum disputaret, de iusta, rationabilique mutatione sacramentorum legis veteris, quæ signa erant venturi Christi, mox quò noua alia instituenda ostenderet, quod ita factum esse ipsa res, fidēs que manifestant. hāc causam protulit: vt scilicet in religionē Christianā consociarentur fideles, In nullū autē, ait, nomē religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur. Quid verò aliud est Ecclesia Christi, quàm hominum in vera Dei religione societas? Hoc verò omnium gentium exemplo, & ipsa natura Augustinus docet, non nisi visibilibus signis fieri posse, quibus exteriùs significet cuilibet alteri consonum cum illo sensum in ea religione. Vbi cō-

Ca. 8. Quòd visibiliū signorum neēcessitas ostēdat Ecclesiā visibilem.

Lib. 19. ca. 11

Ca. 9. Quòd vis societas humana est visibilis visibilibusq; signis constat humanaq; fi-

sidera mihi, rogo, omnium humanarum societatum modū, vis societas rationémque. In militiam vnam, in regnum vnum conueniunt, homines, data sibi inuicem, & in primis principi, sub quo conueniunt, fide: quæ omnium, quæ in militia, aut regno sunt, sanctissima est, & super omnia religione etiam colitur. Hanc fidem testantur semper, publicéque præ se ferunt in militari tessera, aut symbolo (quod Augustinus etiam caracterem vocat) hanc fidem, eiusque symbolum quàm diu quis seruat, si alia statuta regni, vel militiæ transgrediatur, punitur pro qualitate delicti, nō ideo alienus iudicatur, aut desertor. fidem porrò hanc veram quisque in se agnoscit, in alijs credit humana quadam persuasione, fide inquam humana, qua constant omnia, quæ inter homines fiunt: cùm scilicet cuiq; de seipso

litari

rem

Universidad de Deusto
Biblioteca

de seipso, suóque corde, quod ab alijs videri non potest, creditur, & quousque ostendatur mendax, fide dignus habetur. sine hac enim nulla humana commercia, nullus conuictus, nulla respublica, denique nulla officia starent. amicum dicimus, conciuem, commilitonem, qui ita se exhibet, & huius rei certi etiã sumus: adeò vt aliud dicentẽ nec audiendũ quidem ducamus, nisi eius quod dicit, dederit testimonium. Nec enim certitudinẽ hanc humanam aufert, quod aliquos in his mentitos fuisse sciamus, & pro militibus proditores, pro ciuibus hostes se exhibuisse. adeò valet apud homines fides humana, vt quamuis hæc aliquando fuerit prodita, non tamen vnquam, ob illa, hanc rationem conueniendi reliquerint homines: quippe qui nec aliam certiorem habere possint. sed ita in Deorum, etiam falsorum, diuersorumque cultum conuenerunt Gentes omnes, diuersis etiam sacramentis, & signis, sed visibilibus, & manifestis omnibus. Nunc ex his ad Ecclesiam Christi accedamus: & vide eam hac etiam ratione congregari, antiquis omnibus ita testantibus, iam inde ab initio, hæc ea fieri, dat nomen recipiendus, adscribitur tyrocinio, constituitur inter catechumenos, consignatur cruce, audit, & discit, tandem reddit symbolum fidei, baptizatur in nomine trinitatis, coit. tatis, atque ita Christianus effectus agnoscitur pro tali, habetur que ab omnibus, & frater nominatur, & est. fidem quidem suã ille solus intuetur, alij oẽs, Ecclesia scilicet, his signis illũ in suorum numerũ constituit, agnoscitq;, & ipse agnoscit alios, mutuisq; orationibus, & pijs operibus alijs cõmunicat. si peccat, defertur ad Ecclesiam, aut à se, aut ab alijs corripitur, & aut emendatur, aut excommunicatur in medicinam. Denique & si compertum fuerit, aliquos, aut ab illa quã professi sunt fide occultè defeciisse, aut fallò etiam vel subdolè eam professos fuisse, nõ ideo tamen aliud ab his, qui ad Ecclesiã veniũt, iudicatum est fore exigendum, nec aliam expectandam, aut expetendam diuinam reuelationem. En tibi societatem humanam ratione, viáque humana congregatam. Hæc est Christi Ecclesia, in qua, etsi diuina multa sunt, gratia scilicet Dei, virtutes, & veræ felicitatis intentio, finis scilicet, & via, merita & premia, ipsa tamen humana societas, more humano, adima-

Cap. 10. quòd Eccle sia more a- liarũ humanarum socie tatũ coeat.

tur,

tur, visibili, scilicet, & sensibus ipsis perspecto. sicut enim cùm Deus nobis loquitur in scriptura sua, loquitur quidem diuina, quæ excedunt omnem humani iudicij modum, sed loquitur idiomate, & verbis humanis, eadem ratione significantibus, eadémque ratione exponendis, qua exponuntur nostra. Ideóque nonnunquam ambigua sunt ex collatione aliorum locorum, atque contextu explicanda: Ita in congreganda Ecclesia vtitur humanis, sensibilibusque signis, quibus conueniunt homines, sibique vt homines noti in cultu vero Dei verisantur. sed addit ipse multa verè diuina priuilegia, & dona: Hæc igitur omnia nos diximus in catholica nostra assertione breuissimè quidem, sed non minùs verè, non minùs necessariò. In capite enim de Ecclesia, quum Vuirtenberg. incipiunt Ecclesiam suis tenebris conspergere, dicentes verè catholicam, atque Apostolicam Ecclesiam non ad vnum certũ locum, nec ad vnum certum hominum genus alligatam esse, quod non negamus, verum sensum habere posse: nos diximus, quo omnia essent aperta, oportet Ecclesiam certam esse, visibilem scilicet, & sensibus ipsis corporeis perspectam, non minùs quàm sint aliæ humanæ resp. auctoritas etiã ministrorum, & gubernatorum eius certa, & manifesta esse debet. quare nec gratia, nec certè interior aliqua virtus requiren da est, vel in membris, vel in ministris eius, præter publicam, & legitimam fidei professionem, & vocationem, vt ad eam pertineant, & eius munera integra perficiant. Hoc ibi diximus, & nunc iterum dicimus, ex proximè dictis satis explicatum. Nam ibi diximus: Ecclesia hominum est congregatio, quos humano more oportet conuenire. Et rursum in capite de Concilijs, quum illi similiter Ecclesiam incertam conatur reddere, vt videlicet nullum sit concilium certum, cui parere debeant, dicentes, non quiuis hominum cœtus pro vera Ecclesia haberi potest: & vt maximè multi in nomine Christi conuenire videntur, tamen pauci sunt electi, & non est omniũ fides. vbi vides qualiter cùm occulta requirunt, Dei scilicet electionem, & fidem, Ecclesiam soli Deo cognitam esse volunt: cui certè soli cognita est, & sua de nobis electio, & ve-

Cap. 11. Conferũtur ver ba confessio nis Vuirtẽ. & catholicæ assertionis de his.

ra

Universidad de Deusto
Biblioteca

ra fides omnium. Ibi ergo nos rursum dicimus, Ecclesia cui promissio illa Christi facta est, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, visibilis est, nec ex electione Dei, aut vera fide, & charitate interiùs pendet, vt quis ad eam pertineat siue vt subditus, siue vt prælatus, sed vt vnum membrum sit, hæc requiruntur. Vtrunque horum citat Brentius in suis prolegomenis, loco secundo de sacra scriptura. Vtrunque agnosco, & probatũ ostẽdo, ex his, quæ diximus. quoniam illa Christi Ecclesia, cui facta est promissio, erat Hierosolymis in tribus, aut quinq; & multis alijs milibus, qui crediderant, similiter & Samariæ, & per totã Iudæã, illa erat visibilis, & tamẽ Apostoli fatebantur se nescire corda, sciebant tamen illam Ecclesiam, illosque agnoscebant sibi subditos, se illorum pastores, & ministros. nec aliud requirebant. Hæc nos dicimus. Quoniam verò Brentius hoc non attendens non solùm impugnat, sed exhibilat, contemnit, & irridet, respondendũ est illi, quia inde etiã erit hæc certitudo Ecclesiæ multò lucidior. Conamur enim, vt non solùm visibilem, & certam astruamus Ecclesiam, sed exhibeamus etiam oculis ita, vt qui veræ fidei credere voluerint, videant oculis, tencantque manibus Ecclesiam. Primò igitur, inquit Brentius de me, vide quòd faciat Ecclesiam visibilem, & sensibus corporeis perspectam, delendus erit igitur illi articulus symboli Apostolici, Credo Ecclesiam sanctam, catholicam: & erit sic reponendus, video, & sentio Ecclesiam sanctam, catholicam. Hoc est Brentij contra me tam efficax argumentum, vt non putauerit pluribus agendum, quasi solum hoc proposuisse sufficeret. Vt igitur videas hominis in his, quæ scribit, considerationẽ, imò vt videas negligentiam, oscitantiámque sibi fidentium, & quibus nihil non creditur à suis, sic ei respondeo: imò potiùs à respondendo ei me libero, & vt sibi respondeat, rogo. Si quia video Ecclesiam, ideo non possum eam credere sanctam & catholicam: Si quia video illam, delendus mihi est articulus. Credo Ecclesiam: deleatur igitur Brentio, & omnibus, etiam iuxta hunc eius sensum, ille alter, Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. videt enim ille, & videmus nos baptismum, resq; sic

Ca. 12. quòd Ecclesia videtur, & tamẽ creditur.

est exterior sensibus exposita: Deleatur Petro, Andreæ, Ioanni, cæterisque Apostolis, & cunctis, qui Christum in corpore videbant, alter articulus: Credo in Iesum Christum, filiũ Dei, vnicum Dominum nostrum, viderant enim Christum. Imò illud verbum Euangelij deleatur, quod Christus Thomæ inquit: Quia vidisti me Thoma, credidisti, si quia vidit, non potuit credere, negemusque fidem Thomæ, & reliquorum Apostolorum de Christo, quem viderunt. quòd si in hoc loco Brentius dixerit cum beato Gregorio, Thomas aliud vidit, aliud credidit, hominem vidit, Deũ credidit, & ita cæteri Apostoli viderunt Christum, hominem crediderunt, Messiam crediderunt eum esse, quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, crediderunt Dei filium. Similiter videmus baptisma, videmus exteriùs admoueri aquam corpori: credimus id fieri in remissionem peccatorum. idem nos dicimus de Ecclesia: videmus congregationem baptizatorum in fidei confessione, videmus Christianum populum, Christi ministros, videmus Ecclesiam: credimus verò illam, quam videmus, congregationem esse veram Ecclesiam Dei, sanctam esse, catholicam esse, & Apostolicam. Hoc non aduertisse, summa est incogitantia, aduertisse verò, & tacuisse, intolerabilis impostura. Sed hæc vtcunque toleranda: aduerte alia multò grauiora. Docet & ipse Ecclesiam esse visibilem, cùm sibi id ad sua asserenda vtile videtur. Docuit, inquam in his suis prolegomenis: sed priusquam ad id accedamus, diligenter est hìc obseruandum, quod Ecclesiam inuisibilem facere, atque incertam, commodum est, & quidem efficax medium ad nullam agnoscendam Ecclesiam, nullique obediendum. quod Brentio, suisque, quoties de consilio agitur, de fide Ecclesiæ, maximè placet. nec tunc cogitant, eodem medio fieri, vt ipsi nullam possint statuere Ecclesiam: & tamen suas vocant Ecclesias, & in sua Ecclesia, vt alios nunc omittamus, Brentius certa, visibiliaque membra constituit, pios videlicet suos principes: de quibus, quòd sint membra veræ Ecclesiæ præcipua, & summa dubitare non permittit. quod qualiter, rogo, fieri potest, si Ecclesia non sit visibilis, & manifesta? sed qua ratio-

Ca. 13. quòd nihil cõstet in Ecclesia, nisi visibilis agnoscatur, ex aduersarij testimonijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne ab eo hoc constituatur, audi. In primo loco, in quo plus quàm in cæteris versatur, & acerbiùs in me inuehitur, quasi suorum principum iniuriam vlturus: Agit enim de officio principum secularium, in Ecclesia filij Dei, in ipso principio, cùm ad hunc locum ventum est, ita ait: Negari non potest, quin principes, qui filium Dei, & Euangelium eius sua fide complectuntur, sint in populo Dei præcipua veræ Ecclesiæ mẽbra. Hæc ille. vbi obserua, quod veræ Ecclesiæ inquit, sed audi, vt illud astruit. Est enim hoc suæ sententiæ non minimũ fulcimentum. post pauca cùm dixisset, quod hi principes vocem Christi audiunt, & sequuntur ipsum, ipseque Christus vicissim eos cognoscit, & dat eis vitam æternam, ita ait: Nouit quidem Dominus, qui sunt sui: quod autem ad nos attinet, Ecclesiam Dei eum cœtum iudicamus, qui baptismo, in nomine Christi, & auditu Euangelij sanctificatus est: vt Christũ vnicum suum seruatorem agnoscat, & profiteatur. vbi vide, qualiter iam ad externa signa confugit, Baptismum scilicet, & auditum Euangelij, professionémque fidei. Si hanc vocamus Ecclesiam veram, si huius veræ Ecclesiæ principes sunt membra, vtique visibilis est vera Ecclesia. Nam hæc omnia sensibus sunt conspicua. quòd enim inquit, vt agnoscat vnicum suum seruatorem, quacunque ratione id intelligat, hoc significat, Baptismum, auditumque Euangelij huc tendere, ad hoc ordinari, vt agnoscatur Christus. hoc ipsum manifestiùs ostẽdit illa distributio Brentij: nouit, inquit, Dominus, qui sunt sui, sed quod ad nos attinet, &c. Alia ergo ratio est, qua Deus suos nouit, alius modus, quo nos inuicẽ agnoscimus. & quis, rogo, alius, nisi quia Dominus cor, nos autem externa iudicamus? Nos, inquam, Ecclesiam agnoscimus humanam, humanoque more. alioquin quomodo possemus aliqua eius mẽbra certa habere, quomodo aliquam auctoritatem cuiquam in ea tribuere, quod nunc Brentio necessarium erat? sed ne coniecturis rem agamus, audi iam apertiora: post quædam enim ad ea, quæ dixerat, confirmanda citata ex Paulo, scilicet, corde creditur ad iustitiam, ore, &c. & ex Psalmo, & Euãgelio: ego dixi, dij estis, de his dictum, vt Christus docet, ad quos

quos sermo Dei factus est, ita ait: quòd si Paulus vocat Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, ac etiam priuatorum hominum familias, quæ Euangelium Christi agnoscunt, Ecclesiam Dei, quomodo non etiam populorum principes, qui Euangelium Christi fide sua amplectuntur, in Ecclesia comprehendentur, quæ cùm nec nos, nec vllus vnquam catholicus negauerimus, Brentius tamen probat, coactus agnoscere, non posse sibi constare, quod volebat, vt principes aliquam haberent auctoritatem: nisi certam, visibilemque, nempe humanam, Ecclesiam priùs ostenderet. quod efficaciter fecit, adductis testimonijs Pauli. Igitur, Brenti, iam non alia tibi adducam contra te, quàm tua. Si ideo non potest credi Ecclesia sancta, catholica, quia videri eam nos dicimus: & delendus mihi articulus ille. Credo sanctam Ecclesiã, &c. ergo Romanorum, Corinthiorumque non erant Ecclesiæ Dei, visibiles enim erant, ad quas Apostolus loquebatur, quibus scribebat: delenda igitur tibi sunt illa verba, Paulus Apostolus, &c. &: qui mecum sunt fratres Ecclesijs Galatiæ: & illud eiusdem loci, eram autem ignotus facie Ecclesijs Iudeæ, quæ erant in Christo. Nam Ecclesiæ istæ visibiles erant, videbantque alios, quibus ideo Paulus ignotus erat facie, quia non adierat illa loca post suam conuersionem. Dele inquam hæc omnia, & die, illos tunc non credidisse sanctam Ecclesiam, Catholicam: & vide, an non apertè contra te dixeris, & contra tuas Ecclesias, quas vocas. Ego enim, quam video Ecclesiam, credo sanctam esse, & catholicam: tu verò, non videri, fateris Ecclesiã, atq; ideo ei nõ credere cõuinceris. nec enim aliquã visibilẽ societatẽ hominũ credis Ecclesiã: quare nec vllã humano more cõstãtẽ. Ex quo sequitur, quod aut nõ credas, aut ea fides euanida sit, & nulla, in nullumq; vsum, cùm nullũ iudicẽ, nullũ pastorẽ certũ habeat, quã credis Ecclesia. quare ei denũciari nõ valet frater peccans, nec in aliquo eius aut expectari, aut agnosci iudicium. quo fit vt tua omnia, quæ de auctoritate principum dicis, sint vana, nec tuiipsius memor primò, cùm tua vis constituere, visibilem probas veram Ecclesiam Christi: & posteà, cùm nostra impugnas, inuisibilem. Itaque videant, qui

Ad Gala. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Brẽtium sequuntur,qui illi sese committunt, quem habeant ductorem fidei:qui nec oculos habet,quibus videat,nec fidẽ, qua credat Ecclesiam sanctam,catholicam, nec constantiam doctrinæ, aut vllam æquitatem:sed, quod cùm sibi vtile cogitat esse,probat,posteà,cùm sibi aduersatur, impugnat. Denique,qui nec suam hãc cæcitatem agnoscat. Nec enim negari potest,eum,nec qualiter credenda esset Ecclesia,nec qualiter videnda, intelligere:& tamen id non cogitans,exhibet se magistrum,& tanquam exorando cuncta semper summa cum fiducia profert.videátq; omnes,omnibus,qui nos Christianos gerimus,agnoscendam esse Ecclesiam corpoream, corporeisque sensibus perspectam.magis sanè mirãdum in Brentio est, quòd Ecclesiam non esse visibilem, nihil adiuuat suam cautam, nec quòd sit visibilis, satis est ad nostram. Quanquam enim visibilis sit Ecclesia,non ideo tamen certa, non ideo nõ quilibet nostrũm dicet eam esse suam.Certè Brentius cognoscit suam Ecclesiam Stutgardianam,vel Tubingensem,aut,vt à toto ducatu dicamus,Vuirtenbergẽsem, istæ sunt visibiles, & reliquę eis cõmunicantes:Ego verò Hispanicas meas,Complutensem,vbi sacro renatus sum fonte, Salmanticensem, in qua initiatus sacris,& monastico ordini adscriptus, Toletanam,vbi sacerdotio consummatus,Anglicanam,etiam,in qua nunc ago,atque Oxoniensem,& quam istæ omnes, vt caput agoscunt,Romanã, aliasq; eidem communicantes,& has omnes visibiles. Itaque nos visibilem, & illi visibilem agnoscimus Ecclesiam, nec ideo mox est finita causa de Ecclesiæ certitudine: Cur ergo tantoperè hoc impugnat, quod nec causam impedit, nec nostram firmat, sed commune est vtriusque,quodque ipse apertè fatetur. Hoc magis certè reprehendendum in me videri poterat,quòd agens contra incertã, quam illi docent,Ecclesiam, visibilem dixerim: quòd si solùm dixissem,meritò reprehendi insufficiẽtiæ deberem. non aufert incertitudinem, quòd visibilis probetur Ecclesia, sed non id tantùm illis locis dicimus, verùm certam etiam illam asserimus,ad fidei certitudinem id referentes: de qua in ipso capite de Ecclesia locuti sumus,ex fide principium Ecclesiæ, &

Ca.14.quòd Ecclesia sensu visibilis, sed fide certa sit.

& originem,atque successionem requirenda ostendentes. nõ itaque sola illa perspicuitas sensus, sed multò magis fidei certitudo est,qua nobis manifesta fit Ecclesia. vbi ne quem fallat, aut teneat verborum, quibus in hac re loqui contingit, diuersitas, & quam rem contra nouatores agimus,sit apertũ: aduertendum est, eos Ecclesiam illam Christi, quam credimus ex Euangelio stabilitatis promissionem à Christo habentem,credere,& affirmare,veraciter esse in hoc seculo: sed dicunt,nullam congregationem hominum videri posse, de qua credamus,quòd sit illa Ecclesia. quare illam, quam credunt veram Christi Ecclesiam, inuisibilem esse asserunt, atque ita incertam,& absconditam. Nos verò diserti fatemur,eã,quam credimus,esse Ecclesiam Christi,videri à nobis: ideóque non ambiguam,sed certam esse. itaque res fidei agitur, illis dicẽtibus,non credimus veram Christi Ecclesiam videri posse: nobis econtrà asserentibus,nos credere, veram Ecclesiam videri à nobis,vt ergo certum aliquid statuatur,ostendendum est, atque probandũ, illa, quæ fides certa docet, necessaria esse, vt aliqua humana congregatio, sensibusque subiecta sit Ecclesia Christi vera,aduersarij verò omnino contrarium asserunt,necessaria scilicet esse ad Ecclesiam ea, quæ sensus omnes effugiunt.quare in nulla hominum congregatione videri possunt.contrarium igitur huius nos probandum suscepimus, & ostendendum, quæ ad Christi Ecclesiam necessaria sunt,ex certa fide illa ipsa videri.quod in præcedentibus fecimus,probantes,eas hominum congregationes, quæ videbantur, creditas fuisse veram Ecclesiam Christi, & in sequentibus notiùs fiet,cùm ostenderimus,quæ sint, ex quibus Ecclesia Christi constat:sed priùs auferenda sunt impedimẽta quædã,quæ ab aduersarijs nobis opponuntur. De his ergo dicẽdum est nobis incipiendũ,quæ post ea,quæ de visibili Ecclesia dicta sunt,meritò hunc tenebit locum. De hac enim eótra me Brentius multùm,diuq; loquitur,ita,vt ferè nõ aliud his totis prolegomenis agat,quàm sanctitatem Ecclesiæ prædicare:quasi ego aut catholicus aliquis eã negemus.sed, quid inde conficiat,non est difficile videre,nempe, vt incertam, ignotam *Cap.15. à sanctitate est nobis incipiendũ,quæ post ea,quæ de visibili Ecclesia dicta sunt,meritò hunc tenebit locum. De hac enim contra me Brentius multùm,diuq; loquitur,ita,vt ferè nõ aliud his totis prolegomenis agat,quàm sanctitatem Ecclesiæ prædicare:quasi ego aut catholicus aliquis eã negemus.sed, quid inde conficiat,non est difficile videre,nempe, vt incertam, ignotam* *cãt,vt eã in sanctã, certam effi ciant.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ignotam eam reddat. Denique hinc aliud contra me, quia visibilem Ecclesiam assero, argumentum sumit. Clamat enim in loco illo secundo de scriptura rursum in me, quòd palàm, & impudenter (sic enim loquitur) affirmem, non requirendam gratiam, aut interiorem aliquam virtutem, vel in ministris, vel in membris Ecclesiæ, præter publicam, & legitimã professionem fidei, & vocationem: cùm reuerà ego dixerim, hæc non requiri, vt ad Ecclesiam pertineant, & eius munera integrè perficiant. Agè igitur, atque iam omisso Brentio, & omni contentione, attentè Ecclesiæ sanctitatem consideremus, vt deinde qualiter peccatores, & peccata ad eam sese habere possint, agnoscatur. Sanctam esse Ecclesiam Christi, Ecclesiam catholicam, omnibus modis, omnique ratione, qua aliquid sanctum dici valet, sanctam inquam, & perfectam, absolutámque omnibus numeris, in hoc quidem seculo, pro modo huius peregrinationis, & elongationis à Deo, in futuro verò prostratus illius, veræque felicitatis perfectione, & vnione, ac transformatione in Deum, certa fide tenendum est. Est enim sponsa illa dilectissima, de qua Paulus inquit, quòd Christus sit caput, saluatorque corporis eius, & quòd dilexit eã, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam sponsam suam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Quod sanctitatis Ecclesiæ maius encomium dici potest? De qua alibi dicit, quòd sit columna, & firmamentum veritatis domus Dei, Ecclesiáque Dei viui. & Psal. ait, quòd sit ciuitas illa Dei, de qua gloriosa dicta sunt, in qua magnus Dominus, & laudabilis nimis, quæ ædificatur exaltatione vniuersæ terræ, quam Deus ipse inæternum fundauit. Ipse, inquã, qui ait: Super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: cui per Esaiam tam magnificè loquitur. Sicut in diebus Noë inquiens, istud mihi est, cui iurauí ne inducerem aquas diluuij vltrà supra terram, sic iurauí vt non irascar tibi, & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet

Cap. 16. Sanctitas Ecclesiæ probatur sacræ scripturæ auctoritatibus.

Ad Eph. 5.

1. Timo. 3.

Psalm. 47.

Esaiæ. 54.

cedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miserator tuus Dominus, paupercula tempestate conuulsa, absque vlla consolatione. Ecce ego sternã per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphyris, & ponã iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filijs tuis, & in iustitia fundaberis. Et alibi idem. Non adijciet, inquit, vt pertranseant per te incircumcisus, & immundus. Est itaq; Ecclesia sancta, quasi dicata Deo, verumque eius templum. Tẽplum (inquit Paulus) Dei sanctum est, quod estis vos, est inuiolabilis, est firma, vti à Deo constituta. Si quis, inquit ibidem Paulus, templum Dei violauerit, disperdet eum Deus. Est denique immaculata à sordibus, pura ab omni contaminatione, & virtute perfecta, quam in Canticis sic frequenter compellat sponsus dulcissimis verbis. Amica, inquiens, mea, speciosa mea, columba mea, immaculata mea: cui dicit: Tota pulchra es, & macula non est in te. Et denique de illa ait: Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ, adulescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ, quoniam omnium animarum, omnium sanctorum, & merita, & dona eam decorant: quæ ex illis omnibus constat, & omnes complectitur. Vna itaque est matri, & genitrici, diuini scilicet bonitati, æternæ prædestinationi, cælesti beatitudini. Illi Hierusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra vnica, & electa, est filia, catholica Ecclesia: Extra quam nullus est à Deo electus, nullus beatitudinis particeps. In hac igitur Ecclesiæ sanctitate certũ est, omnes diuinas promissiones, omnia dona cælestia includi: De eis iam vel nonnihil dicamus ad ædificationem, & consolationem nostram. Primò igitur ei promittitur vera Dei, perfectáque cognitio, speculatio, inquam, illa deiformis, puritati cordis, veræque mundiciæ coniuncta: De qua dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ponam dixit Esaias vniuersos filios tuos doctos à Domino. Vnde & Paulus, nos omnes, ait, reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur,

Esa. 52.

1. Corin. 3.

Canti. 3.

Cantico. 4.

Can. 6.

Ca. 17. Quãta in sanctitate Ecclesiæ contineantur.

1. Corin. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mamur,à claritate in claritatem,tanquam à Domini ſpiritu, nos,inquit,omnes Chriſtiani,miniſtri Chriſti,Eccleſiæ membra ſpeculamur Dei gloriam:quod eſt, nondum quidē apertè,& ſecundum ſpeciem,ſed tanquam in ſpeculo, & álonge, Verùm quòd ſatis ſit ad nos transformandos, pleneque affi-ciendos Deo,diuinisque rebus,Deum diuináq; agnoſcimus. Huic tam perſpicuæ cognitioni accedit illa Spiritus ſancti, Chriſtique perpetua aſsiſtentia,quibus dirigitur, & gubernatur Eccleſia,& ſalutaribus conſilijs,inſpirationibus & perſuaſionibus,cuique tempori conuenientibus,& oportunis erudi tur. quæ omnia teſtamento illo vltimo Chriſti confirmata habemus.Rogabo,ait,Patrem,& alium Paracletum dabit vo
Ioan.14. bis,vt maneat vobiſcum inæternum, ſpiritum veritatis,quem mundus non poteſt accipere, quia non nouit eum, nec ſcit eum,vos autem cognoſcetis eum: quia apud vos manebit,& in vobis erit.Et ibidem:ille docebit vos omnia,& ſuggeret vobis omnia,quæcunque dixero vobis.Et rurſum: Docebit vos omnem veritatem.Et de ſe:non relinquam, ait,vos orphanos:
Ioan.16. Veniam ad vos,& vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad
Matth. 28. conſummationem ſeculi.Inter hæc etiam eſt ſyncera prædicatio Euangelij.promittitur enim Eccleſiæ,nunquam hanc in ea defuturam, ſed ſemper audiendum eſſe Euangelium,&
Eſa.59. prædicandum,hoc eſt, inquit per Eſaiam, fœdus meum cum eis,ſpiritus meus,qui eſt in te,& verba mea, quæ poſui in ore tuo,non recedunt de ore tuo,& de ore ſeminis tui,& de ore ſeminis,ſeminis tui dicit Dñs, ámodo,& vſq; in ſempiternū. His coniuncta eſt perſuaſio ipſa,quā Deus, vt Euangelio credamus,in corde noſtro operatur,per dona Spiritus ſancti,ſapientiæ ſcilicet,ſcientiæ,conſilij, & intellectus: quibus fit,vt non tantùm credamus,verùm etiam diſcernamus, quæ aliena ſunt,fugiamusque ab eis,tanquam à latronis,& lupi voce: di-
Ioan.10. cente Chriſto de ſuis ouibus,Agnoſcunt vocem meam,& ſequuntur me:alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocē alienorum. Et Ioannes, Vos in-
1.Ioan.2. quit vnctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia. & deinde vnctionem,quam accepiſtis ab eo,manet in vobis: & non ne-

ceſſe

eeſſe habetis,vt aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio eius doceet vos de omnibus,& verum eſt,& non eſt mendacium.Et quidem hæc ad cognitionem pertinent.Iam verò quæ ad affectum,verámque in Deum charitatem ſpectant, non dubiū eſt,in ea etiam ſanctitate contineri,& permitti, gratioſa ſcilicet,& liberalis Dei miſericordia,veraque peccatorum remiſſio,& conuerſio,atque pœnitentia, nullo noſtro merito præcedente,ſed ſola eius bonitate.quod ita eſſe vtriuſque teſtamēti verbis docemur. Ezechiel apertiſsimè,& dulciſsimè ita Ezechie 36
de his loquitur.Hæc dicit dominus Deus. Non propter vos ego faciam,domus Iſrael,ſed propter nomen ſanctum meū, quod polluiſtis in Gentibus,ad quas intraſtis, & ſanctificabo nomen meum magnum,quod pollutum eſt inter Gentes, quod polluiſtis in medio earum: vt ſciant Gentes, quia ego Dominus,ait Dominus exercituum, cùm ſanctificatus fuero in vobis coram eis.tollam quippe vos de Gentibus, & congregabo vos de vniuerſis terris, & adducam vos in terram veſtram,& effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab omnibus idolis veſtris mundabo vos:& dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, ponam in medio veſtri:& auferam cor lapideum de carne veſtra,& dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri,& faciam,vt in præceptis meis ambuletis,& iudicia mea cuſtodiatis, & operemini, & habitabitis in terra,quam dedi patribus veſtris, & eritis mihi in populū, & ego ero vobis in Deum, & ſaluabo vos ex vniuerſis inquinamentis veſtris,& vocabo frumētum,& multiplicabo illud, & non imponam vobis famem, & multiplicabo fructum ligni,& genimina agri, vt non portetis vltrà opprobrium famis in Gentibus, & recordabimini viarum veſtrarum peſsimarum,& ſtudiorum non bonorum, & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ,& ſcelera veſtra. Non propter vos ego faciam,dicit dominus Deus,notum ſit vobis, confundimini,& erubeſcite ſuper vijs veſtris,dicit dominus Deus.Quàm aperta hæc promiſsio remiſsionis peccatorum:quàm aperta prædicatio gratiæ. quàm certa deſtructio omnium meritorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostrorum in remissione peccati: quámque manifestè hæc omnia Ecclesiæ promitti audimus? In quibus & fidei donum, & certa spes, & charitas illa, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, quàm manifestissimè continentur. Hæc enim sunt sponsalitiæ arrhæ, quibus Christus sponsam suã Ecclesiã nũc decorat. Ita annunciante Osea: Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia & in miserationibus: & sponsabo te mihi in fide & scies, quia ego Dominus. In his etiam est virtus ad omnia implenda præcepta, ad omnia superanda aduersa, tentationésque Sathanæ vincendas, consolatio vera spiritus in omni tristitia, participatio meritorum Christi, omniumque virtutum eius imitatio. De his enim dicitur, Faciã, vt in præceptis meis ambuletis, & operemini, &c. De quibus omnibus apertiùs in Testamento nouo fiunt manifestissimæ promissiones, simulq; implentur. Nam de impletione mandatorum, Paulus inquit, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum. vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Impletur inquam, iustificatio legis, de qua priùs dixerat, quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, &c. quod est propter carnis nostræ infirmitatem: secundum quam dixit. Video legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Propter hanc inquam infirmitatem, quam lex auferre non poterat, impossibilis erat impletio eius. Iam verò & illa, & quicquid ampliùs à Christo præcipitur, facillimè impletur, mandata eius inquit Ioannes, grauia non sunt. Et ipse Christus: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Victoria autem in aduersis certissimis verbis à Christo promittitur. In mundo inquit pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. Et iterum: dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere, omnes aduersarij vestri. Et de tentationibus, Paulus inquit, fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentũ vt possitis sustinere. consolationem verò quantam experiebatur idem cùm

Osee.2.
Roma.7.
Ioan.16.
Luce.21.
2.Cor.10.

cùm diceret: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarũ, & Deus totius cõsolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni tribulatione sunt per exhortationem, qua exhortamur ipsi à Deo. quoniam sicut abũdant Christi passiones in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. De meritis, & virtutibus Christi ipse Paulus, Deus, inquit: propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis, & conresuscitauit: & consedere fecit in cælestibus: in Christo Iesu. Quid rogo potuit maius dici? Et pòst pauca addit. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus: Et alibi quàm apertè, quotquot in Christo baptizati estis, Christũ induistis: Et iterum. Induite vos, sicut electi Dei sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam supportantes inuicẽ, & donãtes vobismetipsis, si quis aduersus alterum aliquã habet querelam: sicut Dominus donauit vobis, ita & vos. Et quid hoc est aliud, quàm quod alibi inquit, Induimini dominum Iesum Christum. Iis etiam accedit promissio exauditionis orationum, quæ tam magnifica ab ipso Christo fit omnibus, in Ecclesia: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Vbi & verba illa pluralia petieritis, & vobis, apertè Ecclesiam respiciunt. quod magis explicat alibi: Si duo inquiens ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo. Huc etiam pertinent sacramenta, atque eorum charismata, & gratia, promissa quidem anteà, & iam à Christo exhibita. Nam de baptismo illud est Ezechielis: Effundam super vos aquam mundam. Et Zacharias. Erit, inquit, fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatorum, & menstruatæ. Et Christus, Docete inquit omnes Gentes, baptizantes eos: De Eucharistia quàm apertissimè Psalmus meminit, promissa iam vt præsentia cernens: Parasti inquiens in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Vbi etiam sacri vnguenti, atq; chrisma-

2.Cor.1.
Ephe.2.
Ad Gala.3.
Roma.13.
Ioan.16.
Matth.18.
Zacha.13.

chrismatis meminit, Impinguasti inquiens in oleo caput meū.
Esa.65. Et de ordinis sacramento per Esaiam promittit, de ijs, qui ex Gentibus conuertendi erant, loquens: Assumam ex eis sacerdotem, & Leuitas. Assumpsit verò sacerdotes, & Leuitas Christus. cùm in Euangelio inquit: Quorum remiseritis peccata, &c. Et hoc facite in meam commemorationem: & reliqua quæ ad potestatem administrandi verbum, & sacramenta collata Ecclesiæ pertinent. Et inter hæc omnia promittitur Ecclesiæ affluentia Diuinorum omnium munerum, & gratiarum diuersis quidem, sed dulcissimis ænigmatibus propheticis. Esaias, inquit, Haurietis aquas in gaudio de fontibus salua-
Eze.34. toris: Et Ezechiel pulchra metaphora loquens ex persona Dei, ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, & pascam eas in montibus Israel, in riuis, & cunctis sedibus terræ, in pascuis vberrimis pascam eas, in montibus excelsis Israel, erunt pascua eorū. Ibi requiescēt in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciā. Quid potest rogo apertiùs dici de affluentia gratię in Ecclesia? quid de sanctitate eius manifestiùs? Promittitur etiam Ecclesiæ dilatatio, & extensio per vniuersum orbem, conuersione videlicet omnium Gentium ad veram fidem eiusque magisterium. Ecce inquit Deus per
Esaiæ.49. Esaiam: Ego leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt, & erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ. Ecce isti délonge veniunt, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra Australi. leua in circuitu oculos tuos, & vide omnes, isti congregati sunt, venerunt tibi. Et
Esaiæ.54. per eundem prophetam desolatæ priùs Ecclesiæ & sub persecutionibus constitutæ inquit, dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum, extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida, ad dexteram enim, & ad leuam penetrabis: & semen tuum Gentes hæreditabit: & ciuitates desertas inhabitabit. Denique promittit & ipse Christus Ecclesiæ perfectam vsque ad finem perseuerantiam, & concordiam, atque vnionem in fide, & obseruantia mandatorum

torum eius, & tandem peruentionem ad primam ipsam, & vltimam beatitudinem, quam propriam Euangelij promissionem vltimo illo testamento suo confirmat. primò dicens: Ioan.14.
Vado parare vobis locum: & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Deinde & ad Patrem se conuertens Ioan.17.
illum orat, merita sua proponens, & quid pro eis expectet indicās. Pater, ait, quos dedisti mihi, serua eos in nomine tuo, non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Vbi quid aliud petit, quàm vltimam perseuerantiam Ecclesiæ suæ? quod vt impetret, Ego, inquit, pro eis sanctifico meipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate. En summam omnium, quæ Ecclesiæ suæ Christus & petit, & impetrat à Patre. Vnde & mox subdit: Non pro eis rogo tantùm, sed pro eis, qui crediturí sunt per verbum illorum in me. vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, ego in te: vt & ipsi in nobis vnum sint. Et vltimò: Pater, inquit, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint, mecum vt videant claritatem meam, quā dedisti mihi: quia dilexisti me ante mūdi constitutionem. Hæc est vltima Christi oratio ad Patrem pro Ecclesia sua, de qua etiam meritò illud Pauli certissimè credimus intelligi, quod exauditus est pro sua reuerentia: cuius vltimò inter ea, quæ ad stabilitatem & sanctitatem Ecclesię pertinent mentionem fecimus, quoniam hæc solidissimum fundamentum, & stabilis petra, cui totius Ecclesiæ structura innititur meritò est, dicente ad illum Patre: Postula à me, & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quod si postulatio Christi est, cui innititur Ecclesia: quæ, rogo, alia potior, quàm hæc vltima: quanquam nec hanc à cæteris separare opus est. Reuerà totus Christi cursus, tota vita, oratio fuit ad Patrem. sed hæc vltima nobis fuit totius præteritæ significatio, & clausura aptissima. Hæc igitur de Ecclesiæ sanctitate sint nobis verissimè, & syncerè dicta, quæ toto corde, & pleno ore, coram Deo, & Ecclesia eius absque cunctatione confitemur, quicquid calumnietur, & sinistrè interpretetur Brentius. Certè tota nostra fiducia, & consolatio in his est, &

totus

Universidad de Deusto
Biblioteca

totus noster conatus huc tendit, vt ad hanc Ecclesiam vel vt infima membra pertineamus,& vel fimbriam vestimenti huius Christi,atque inconsutilis tunicæ cum muliere Euangelica attingamus.Pergamus igitur,& iam de peccatis, quatenus in Ecclesia sint,consideremus.vbi vt integrè,atque ordine pro tenuitate nostra rem agamus,quoniam diuersorum graduum & rationis peccata sunt, ab inferioribus incipientes illud primò constituamus,certissimis, & scripturæ, & patrũ testimonijs,nullum esse Sanctorum in hac vita,qui non pauci sunt in Ecclesia, nullum inquam esse quantumuis perfectum,qui non in sese peccata veraciter agnoscat, & fideliter confiteatur,clamante pro omnibus Ioãne: Si dixerimus,quia peccatum non habemus,nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est: vbi vsqueadeo peccata à Sanctis non aliena putat,vt nihil magis sanctitati contrarium iudicet, quàm se peccatorem negare.Si dixerimus, inquit,quoniam non peccauimus,mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis:Si autem confiteamur peccata nostra, fidelis est,& iustus, vt remittat nobis,& emundet nos, ab omni iniquitate. Vides igitur vt sanctitatem in agnitione peccatorum,& continua emundatione constituit.Iacobus etiam ingenuè confitetur:In multis offendimus omnes: se videlicet primum includens.Et in lege veteri Daniel vir ille desideriorum,qui abstinentia, & puritate magnam futurorum cognitionem à Deo promeruit:cùm orarem,inquit,& confiterer peccata mea, & peccata populi mei: vt iam videlicet nulla restaret ambiguitas.Et Esaias,cùm Dominum meruit videre in gloria,væ,inquit,mihi,quia vir pollutus labijs ego sum.Nullus itaq; Sanctorum,aut noui, aut veteris Testamenti sine peccato se esse cogitet:quando & ex nouo Testamento Apostoli, & ex veteri prophetæ sua manifestè peccata confitentur. Iustũ legimus Zachariam patrem Ioannis,incedentem in omnibus mandatis,& iustificationibus Domini sine querela:sed tamen legis veteris sacerdos erat,de quibus omnibus Paulus inquit,quòd vt offerant dona,& sacrificia pro peccatis constituti sunt.qui condolere inquit possit ijs,qui ignorant,& errant:quoniam &

Cap.18.Oẽs sanctos in hac vita habere peccata.

1.Ioan.1.

Iacobi.3.

Danie.9.

Esa.6.

Hebræo.5.

& ipse circundatus est infirmitate,& propterea debet,quemadmodum pro populo ,ita pro semetipso offerre pro peccatis.Quod ipsa,quam Christus nos docuit, oratio confirmat. in qua omnes Sanctos confiteri peccata iubet, & pro remissione orare : Dimitte,inquit, nobis debita nostra. Cui enim non oratio dominica dicẽda est?Quod etiam vt certissimum tota antiqua agnouit Ecclesia.Cuius rei in Concilio Milenitano manifestissima est definitio,vbi Christi verba & Ioãnis etiã certissimo sensu explicata sunt,& veraciter ab omnibus Sanctis dicenda cõprobatum est.Quod cũ tantis scripturæ testimonijs manifestè probetur, ipsa tamen experientia fit quodammodo manifestiùs.Omnes enim qui conscientiæ suæ curam habent,abundè id in seipsis agnoscunt,& confitentur sanctissimi quiq;.Sed audiamus, vt Augustinus inquit, quemadmodum de hac re catholici antistites eloquia Diuina secuti sint, vt apertè intelligatur , hanc esse rectam, & antiquitùs fundatam fidem.Refert itaque Aug.Cypriani & Ambrosij apertissima de hac re testimonia:Desumamus ex eo , quæ nũc sufficere possunt,non quidem ad id probandum,quod nec necesse est,sed ad explicationem ampliorem,& ædificationem, atque consolationem nostram:vt horum trium patrum doctrina discamus nosipsos in humilitate cognoscere . Cyprianus igitur in epistola de opere , & eleemosyna sic loquitur. Et quoniam quotidie deesse non potest,quod peccetur: in conspectu Dei sacrificia quotidiana non deerunt,quibus possint peccata tergi. Et rursus in epistola de mortalitate,quàm manifestissimè inquit,cũ auaritia nobis,cũ impudicitia,cũ ira,cũ ambitione congressio est,cum carnalibus vitijs , cũ illecebris secularibus assidua, & molesta colluctatio est : obsessa mens hominis, & vndique Diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis,vix resistit . si auaritia prostrata est , surgit libido: si libido cõpressa est,succedit ambitio:si ambitio cõtẽpta est, ira exasperat ,inflat superbia,vinolẽtia inuitat ,Inuidia cõcordiam rumpit , amicitiam zelus abscindit:cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet , compelleris iurare , quod non licet: tot persecutiones animus quotidie patitur , tot periculis pectus vrgetur , & delectat hic inter diaboli laqueos stare,

Libro 4. cõtra duas epistolas Pela. ca.8.

Ioan.6.8.

Cap.10.

cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm magis concupiſcendum,& optandum ad Chriſtum ſubueniente velociùs morte properare. Et in expoſitione orationis Dominicæ quàm neceſſariò,inquit,quàm prouidenter,& ſalubriter admonemur,quòd peccatores ſumus.qui pro peccato rogare compellimur:vt dum indulgentia petitur,conſciẽtiæ ſuæ animus recordetur:& ne quis ſibi quaſi innocens placeat,& ſe extollendo plus pereat,inſtruitur,& docetur peccare quotidie,quũ quotidie pro peccatis iubetur orare. Iam Ambroſij dilucidam confeſsionem, & humilitate Chriſtiana dignam eo loco adducit Aug. ex libro de fuga ſeculi: frequens
Cap.11. nobis, inquit, Ambroſius, de fugiendo iſto ſeculo ſermo:atque vtinam quàm facilis ſermo,tam cautus, & ſolicitus affectus. ſed quod peius eſt,frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum,& vanitatum effuſio mentem occupat, vt quod ſtudes vitare, hoc cogites animoque voluas: quod cauere difficile eſt homini,exuere autem impoſsibile. Denique voti magis eſſe rem, quam effectus teſtatur Propheta dicendo:Declina cor meum in teſtimonia tua,& non in auaritiam. Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum,& noſtrę cogitationes,quæ improuiſò offuſæ mentem, animumque confundunt,atque aliò trahunt,quantùm propoſueris, ad ſecularia reuocant,mundana inſerunt, voluptaria ingerunt, illecebroſa interſerunt:ipſoque tempore, quo eleuare mentem paramus,incertis cogitationibus, ad terrena plerunque deijcimur. Vides hic membra Eccleſiæ eminentiſsima, Apoſtolos ſcilicet,& ſanctiſsimos Epiſcopos, de ſe, & de alijs omnibus quòd peccata habeant confitentes. Quomodo igitur Eccleſiam,cuius illi verè nobiliſsima membra ſunt, agnoſcere noli-
Cap.19. Quæ mus,niſi quæ ſit ſine macula, & ruga? Cur clamat Brentius, &
liter Eccle- Aſoticam Eccleſiam vocat à meo (quod ipſe inuertit) nomi-
ſia intelligẽ ne,cùm tamen fateatur, & negare non poſsit, me non pecu-
da ſine ma- liarem doctrinam,ſed communem cum omnibus,qui ſuis no
cula, & ru- uitatibus contradixerunt tradidiſſe? Cur igitur hanc Eccle-
ga ſit. ſiam,quæ ſe peccatricem agnoſcit,blaſphemat? Sic enim cla-
In fine vlti- mat proprio loco. Videamus ergo quæ filius Dei promiſe-
mi loci de rit Eccleſiæ catholicæ, vt ſciamus quòd Aſotica quàm
Eccleſia. longiſ-

longiſsimè diſtet ab illa. Et ſtatim: Chriſtus filius Dei agnoſcit ſponſam ſuam,quam diligit. & poſt citatum locum Pauli ad Ephe.5. Chriſtus diligit Eccleſiam ſuam. vbique, inquit, ſcriptura concionatur Eccleſiam eſſe Deo acceptam ſanctam,& formoſam non ſic intelligendam Aſoticam. Quare te rogo Brenti? reſpondet ille paulò antè,cùm incipit conferre Eccleſiam,quam nos deſcribimus ſuæ, quod ego dicam, non pendere ex internis,fide, & charitate, vt quis ad Eccleſiam pertineat quæ noſtra verba ſuperiùs attulimus ab eo in ius vocata:& paulò pòſt illa pleniſsimè confirmabimus, nũc interim ſat ſit,Brentio reſpondere,quòd ex dictis oſtenditur, non meam eſſe hanc,quæ ſe peccatricem agnoſcit: non à me confictam: ſed à Chriſto ipſo eius capite, ab Apoſtolis ſuis, à ſanctiſsimis Epiſcopis,vt ſe peccatricem agnoſcat ei iuſſum eſſe,& verbis,& operibus prædicatum. quòd itaque Chriſtus exhibiturus eſt ſuam Eccleſiam ſine macula, & ruga, non ad hoc tempus pertinet,non ad hanc vitam, ita Aug. dicente vt hic probatiſsimus antiſtes tertius nobis teſtis ſit, qui cæterorum omnium teſtimonijs ſubſcribit frequentiſsimè, & inter cætera exponens illud Chriſti,qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet,ita inquit: Homo in ſancto baptiſmate totus abluitur,non præter pedes, ſed totus omnino.: veruntamen cùm in rebus humanis viuitur, vtique terra culcatur. Ij igitur humani affectus, ſine quibus in hac mortalitate non viuitur quaſi pedes ſunt: vbi ex humanis rebus afficimur, & ſic affici mur,vt ſi dixerimus,quia peccatum non habemus, noſipſos decipiamus,& veritas in nobis non eſt. Et poſt hæc quibuſdam alijs confirmata ita infert: Proinde Eccleſiam,quam mũdat Chriſtus lauacro aquæ,non ſolùm in illis eſt ſine macula, & ruga,qui poſt lauacrum regenerationis ex huius vitæ contagione tolluntur: verùm in his,quibus Dominus hanc miſericordiam præbens,fecit illos de ſeculo iſto lotis pedibus emigrare. In ijs autem,qui hic morantur,etiam ſi munda ſit,quo- Cap.20.
niam iuſtè viuunt,opus tamen habent pedes lauare,quoniam Quod pec-
ſine peccato non ſunt. Sed fortè ais hæc de lenioribus pecca- cata Sancto
tis dicta eſſe,quæ non contraria ſunt Eccleſiæ ſanctitati: non rum, etſi mi
verò nima pecca

Tracta. 56. in Ioẽm.

ta, tamen sunt pœnitẽtia remittẽda.

verò de quibus Paulus dicit, quòd qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. verum est, illa sunt, sine quibus sancti non viuũt, paulò immoderatior vsus rerum concessarum, aut profusior risus, vel minùs necessarium aliquod verbum: verum est, parua hæc peccata sunt, sed quotidie flenda, canenda, atque timenda, ne in grauiora, & maiora nos trahant. Minuta (inquit Augustinus) plura peccata si negligantur, occidũt. Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent, minuta sunt grana arenæ, sed si multa imponatur premit, atque opprimũt. Quare, inquit, euigilate cũ dies est. Christus est dies, paratus est ignoscere, sed agnoscẽtibus: punire autem defendentes se & iustos iactantes, & putantes se aliquid esse, cùm nihil sint. Et subiungit, in dilectione autem eius, & misericordia, qui ambulat, etiam liberatus ab illis lethalibus, & grandibus peccatis, propter illa, quæ minuta videntur facit veritatem confessionis. Certè minora sunt hæc peccata, sed talia, propter quæ meritò & peccatores omnes se debent agnoscere: & non se existimare aliquid, cùm reuerà nihil sint. Quomodò igitur, qui hæc cogitat, non vult cognoscere Ecclesiam, nisi immaculatam, & ab omni peccato puram? aut quomodo sine præsumptione maxima ad hãc Ecclesiam quis se existimat pertinere? Verùm ad maiora iam peccata accedamus. Rogo te qualia sunt ea, quæ Paulus magnum certè veræ Ecclesiæ membrum, non tantùm timet, tanquam quæ euenire possint, cùm inquit, castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne cùm alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar: sed etiam de quibus tanquam præsentibus, dubius est. & inquit nec meipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. qui autem iudicat me, Dominus est. nónne de fide, aut infidelitate ministrorum hic agebatur re grauissima, & ad salutem necessaria. Hìc, inquit, iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. In quare Paulus sibi ipsi timet, nec audet se iustum credere. & mox admonet omnes dicens: Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium. Rogo te, vult Paulus, vt de omnibus dubitemus, an

Tract. 12. In Ioẽm.

Cap. 21. De occultis peccatis etiam Sanctorũ.

1. Cor. 9.

1. Cor. 4.

ad

ad Ecclesiam pertineant, an eius membra sint, & ministri: vt videlicet nec prælatum, nec subditum certum aliquem agnoscamus? Meritò igitur dicenti Brentio, quid si Lucianico corde, quid si Epicureo, & atheo animo sint, prælato respondebitur. Noli ante tempus iudicare, sed potiùs cõsidera te ipsum: & propter hoc humani cordis incertũ, & occultũ die potiùs cum Psalmista. Delicta quis intelligit: Ab occultis meis mũda me. & agnoscamus omnes, quod olim Donatistæ ipsi confessi sunt, occulta peccata non alienũ facere ab Ecclesia. Sed quod iã vltimũ est, nec manifesta quidẽ, & grauia ab Ecclesia excludere, aut Ecclesiã ipsam sanctam maculare, cõstantissima olim fuit omnium catholicorum pontificum aduersus Donatistas sententia, quam Augustinus noui, & veteris Testamenti manifestissimis testimonijs confirmat: in quam plurimis libris contra illos: ex quibus nunc pauca quædam, quibus hoc explicetur, peccatores & manifestõm fiat sunt afferẽda. & primò, ex prophetis quãtæ in illis, quàm duræ reprehensiones peccantiũ, & peccatorum sunt: vsqueadeo vt nonnunquam nec vllus superesse videatur bonus: sed sicut in Psalmo scriptum est, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Arguunt populum grauissimorum peccatorum, arguunt sacerdotes iudices, reges: nunquid tamen propterea separant se ab eorum communione: aut non participant eodem templo, eisdem sacrificijs, & orationibus cum eis ipsis, quos durissimè reprehendunt. Nũquid negant esse veram Ecclesiam vbi illi sunt: Esaias quanta loquitur aduersus peccata: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, &c. Et postea, à planta pedis vsq; ad verticem nõ est in eo sanitas. Vnde, tandem ait, Audite verbum Domini principes Sodomorum, auribus percipite legem Dei vestri, populus Gomorrhæ: quid rogo duriùs dici potest, & acerbiùs, quàm hoc, & cætera, quæ ibi sequuntur. vbi etiam sacrificia eorum Deo ostenduntur ingrata, & tamen eisdem eodem loco Diuinam misericordiam promittit: Si fuerint, inquit, peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. & bonitatem Dei circa eos ostendit, inquiens, Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus. Et alibi pro

Aug. Col. 3. cõtra Don. Cap. 22.

habere ostẽditur prophetarũ testimonijs.

Esa. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bi pro eodem populo orans, peccatáque eius narrans, & seip-
sum participem faciens illorum. Facti sumus inquit, vt immũ
Esa.64. di omnes nos, & quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ
nostræ: & cecidimus quasi folium vniuersi: & iniquitates no-
stræ quasi ventus abstulerunt nos. abscondisti faciem tuam à
nobis: & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. sed inter hæc
humillimæ cõfessionis verba, statim sic loquitur: Et nũc Dñe
pater noster es tu, nos verò lutũ, & fictor noster tu. ecce re-
Ier.5. spice: populus tuus omnes nos. Ieremias quanta acerbitate ar
guit frequentissimè peccata, nulli parcens. circuite, inquit,
aliquando vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quæ-
rite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, &
quærentem fidem, & propitius ero ei. quòd si etiam, viuit Do
minus, dixerint: & hoc falsò iurabunt. & mox conuersus ad
eum, Domine inquit, oculi tui respiciunt fidem, percussisti
eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere
disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & nolue-
runt reuerti. & vt intelligas, quorum sint hæc mala, statim in-
quit: Ego autem dixi, forsitan pauperes sunt, & stulti ignorã-
tes viam Domini, & iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optima-
tes, & loquar eis: Ipsi enim cognouerunt viam Domini, & ec-
ce magis & hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula.
Et introducit Dominum dicentem super quo propitius tibi
esse potero: filij tui dereliquerunt me, & post multa duriss-
mæ increparionis verba Prophetæ, inquit, prophetabant mẽ-
dacium, sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus
meus dilexit talia, quid igitur fiet in nouissimo eius? populus,
Hie.9. ait, meus, non negat Ecclesiam suam: sed affirmat potiùs,
quam tantorum scelerum reprehendit. Hieremias etiam ipse,
quando se separauit ab his, quorum tanta scelera arguebat?
Imò verò quis adhæsit tenaciùs populo huic peccatori? quis
magis doluit illius mala? quis instantiùs orauit pro illo? Alibi
petit capiti suo aquas, & oculis suis fontem lacrymarum. &
plorabo, inquit, die ac nocte interfectos filiæ populi mei. nõ-
nunquam conuersus in Deum nunquid proijciens, ait, abie-
cisti Iudam, aut Syon abominata est anima tua? quare ergo
percus-

percussisti nos, ita, vt nulla sit sanitas. ne des nos in oppro-
brium propter nomen tuum: solij gloriæ tuæ recordare, ne
irritum facias fœdus tuum nobiscum: & nec sic animo suo
satisfaciens. Quis, inquit, miserebitur tui Hierusalem, aut quis Hie.15.
contristabitur pro te, aut quis ibit ad rogandum pro pace
tua? non est opus persequi, quàm constanter, & salubriter po-
pulum ingratum & se persequentem ab imminente calamita-
te, & incendio ciuitatis miseráque seruitute, & transmigra-
tione in Babylonem eruere conatus, vt regnorum historia
ostendit: quàm amarissimè fleuit hanc desolationem, quod
Threni eius ostendunt. Denique quàm fideliter astitit reli-
ctis in ciuitate, quàm diligenter admonuit, quàm constanter
societatem, & vnitatem illorum & præsentium, & absentiũ
etiam cum illius Dei nomine admonitiones contemnerent,
tenuerit: quousque ab eis etiam mortem pateretur, quod
prophetia, & historia eius manifestant. Ezechiel acerbissimus
in reprehendendis peccatis, quàm manifestissimè malos non
esse deserendos à bonis, nec alienos iudicandos ab Ecclesia
Dei sua illa visione & edoctus est, & nos docet. Post ostensa
sibi à Deo peccata, & abominationes, inquit, magnas, quas
domus Israel facit, illa etiam, quæ seniores domus Israel in Eze.8.
tenebris faciebant: tandem, audit, ergo & ego faciam in furo-
rore: non parcet oculus meus: & tamẽ post hæc omnia, Deus Eze.9.
volens punire tanta mala, iubet viro, vt propheta inquit, qui
indutus erat lineis, transi per mediam ciuitatem in medio Hie
rusalem: & signa Thau super frontes virorum gementium, &
dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in me-
dio eius: & deinde super quem videritis Thau, ne occidatis.
non itaque corpore separantur boni à malis, non templo, aut
religione, sed affectu, quo detestantur, & gemunt pro aliorum
peccatis. Isti inter malos seruantur à Deo, & in eodem popu-
lo fide: sacramentis, & templo participant cum eis. Quæ ex
prophetis ideo adduximus, vt attentè incipiamus iam agno-
scere spiritum prophetarum in arguẽdis vitijs Ecclesiæ. Cùm
enim eundem spiritum illi habuerint, vt Paulus inquit, quem
postea Apostoli, & eorum successores, spiritum scilicet, qui

Ecclesiam illam nostræ coniungit,imò eandem facit nostram & illam: ex similitudine huius spiritus poterimus agnoscere, & Ecclesiam nostram & veros eius doctores, quibus Paulus in Timotheo illo suo præcipit, vt arguant, obsecrent, increpent in omni patientia,& doctrina: Et rursum peccantes coram omnibus argue. Sunt ergo in Ecclesia peccatores. Sed hoc iam noui testamenti apertissimis testimonijs est demonstrandum:& primò Christi, Deinde Apostolorum sunt nobis & verba,& exempla considerandæ. Iudam Christus inter Apostolos constituit: mittitque ad prædicandum cum cæteris,De quo Ioannes,quod etiam ante proditionem satis ostendit:ipsumque iam proditorem Saluator cum cæteris ad mysteria vltimæ cœnæ suæ admittit:pedes illi abluit: & proprio corpore,& sanguine reficit.quæ rogo, verior Ecclesia quàm Apostolorum,sub oculis,& præsentia Christi congregata? & tamen ab illa non est alienus Iudas,de quo inquit,vnus ex vobis diabolus est.In reliqua sua doctrina tot parabolis, & manifestissimis documentis hoc ipsum ostendit, vt nec referri omnia possint:simile inquit est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam, cùm impleta esset,educentes, & secus littus sedentes elegerunt bonos:malos autem foras miserunt. Vbi vides vsque ad finem seculi malos intus.& ne de occultis tantùm, & qui inter retia non videbantur,dictum audientes putemus, occultos tantùm peccatores esse in Ecclesia, audi à Ioanne aream vocari Ecclesiam, in qua manifesta est palea, quæ igne inextinguibili cõsumitur, cùm permũdata fuerit area. Dominus verò in Euangelio rursum ait:Simile est regnum cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo,cùm autem dormirent homines,inimicus superseminauit zizaniam. & rursum, Simile est decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, quinque prudentes.Et iterum:Simile est homini regi, qui fecit nuptias filio suo:Et egressi serui eius in vias congregauerunt omnes,quos inuenerunt bonos & malos. Nónne his omnibus parabolis prædicatio Euangelica, & Ecclesiæ congregatio significatur bonos,& malos contineri,& in ea vsque ad finem

2.Timo. 4. 1.Timo.5.

Cap.23. Noui testamenti auctoritatibus idem probatur.

Matt. 13.

Matth.25.

finem seculi nunquam defuturos vtrosque?Sagena, retéque Euangelicum ex omni genere piscium congregat: omnes capit,quousque educatur ad littus.Secus littus inquit sedentes elegerunt bonos in vasa sua,malos autem foras miserunt. & vt,quod littus significetur,intelligamus,inquit, statim sic erit in consummatione seculi:exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum.De medio inquit iustorum, de medio certè templo,& altari communi vtrisque,de medio doctrinæ, & fidei,& sacramentorum, quibus participant: Denique de medio cordium, & affectu veræ charitatis, quo iusti prosequuntur malos,fouent, & continent, quàm diu superest vlla emendationis spes:continent inquam homines ipsos, & naturam,quanquam à vitijs, & peccatis quàm longissimè affectu distent.& seminis illam parabolam explicans Dominus, ager est,inquit, mundus:bonum semen filij regni: zizania filij nequam,mundus certè in quo vtrunque semen est, non vniuersum hoc seculum,in quo Gentes, & idololatræ, omninoque alieni à Christo inhabitant: sed Ecclesiam suam intelligendã mox ostendens, & in ea vsque ad finem seculi futuros malos ait:sic erit in consummatione seculi,mittet filius hominis Angelos suos,& colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem.Vides de regno suo Christum loqui, de mundo scilicet illo suo,de quo Paulus dixit: Deus erat in Christo mundum reconciliãs sibi:de mundo inquam reconciliato,vt Aug.& catholici Episcopi contra Donatistas intellexerunt.& vt omittamus interim in hoc loco,quid sit illud iuxta germaniorem sensum,finite vtraque crescere vsque ad messem:quid,inquam,aut præcipiatur, aut insumetur gubernatoribus,aut ijs,qui gladium portant in Ecclesia: meritò illud ad eos referimus,qui intempestiuè, atque immoderatiùs sui etiam ipsorum obliti clamant Ecclesiam sanctam,& immaculatam nullo modo peccatores agnoscere, aut in se habere. Dicamus itaque illis, finite vtraq; crescere vsque ad messem: ne fortè eradicantes zizania simul eradicetis & triticum:ne in desperationem multos trahatis,qui cùm infirmitatis,& peccatorum suorum conscij sunt,& quotidianos lapsus suos agnoscunt

2.Cor.5.

Collatio.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scunt,si ideo se ad Ecclesiam pertinere non credent, quia pec catores non habet:neque eius gremio foueri, eius orationibus, & charitate adiuuari desperabunt: & vt Paulus inquit, desperantes semetipsos tradent in operationem omnis immundiciæ.nunc non discerni potest ab homine qui triticum sint,qui zizania.nolite itaque ante tempus iudicare. Denique de inuitatis ad nuptias bonis,& malis,atque in conuiuio nuptiarum recumbetibus, hoc est in fide incarnationis Christi, & communione sacramentorum, apertè dicitur: Multi sunt vocati, pauci verò electi.& virgines illæ cum lampadibus egressæ sunt obuiam sponso,& sponsæ cum fide scilicet,& certa expectatione iudicij: & tamen audiunt multæ ex eis fatuę, scilicet nescio vos.Et tandem in illa non tam parabola,quàm historia vltimi iudicij,& discretionis malorum à bonis: separaturum apertè se dicit Christus malos à bonis:sicut pastor, *Matth.25.* ait,segregat oues ab hœdis.separandos itaq;,cũ ait,in iudicio vltimo,satis ostendit vsq; ad illud simul futuros nõ separatos in Ecclesię societate,fide,& sacramentis. Sed apertiora nunc audiamus,non sub tropis, sed manifesta documenta Christi. Si peccauerit,ait,in te frater tuus,corripe eum inter te, & ipsum solum.itaque non,quia peccat,ideo tanquam alienus tibi habendus est:sed tunc magis agnoscenda fraternitas. Nam si te audierit lucratus eris fratrem tuum: quòd si non audierit inquit adhibe tecum vnum,vel duos, vt iam non in te tantùm,sed in illos etiam, si noluerit resipiscere, peccet: & ab eis contra illum ferri testimonium possit. nec tamen perseuerans etiam,& coram pluribus peccans non est negandus, sed agnoscendus frater:sed dic Ecclesiæ vt videlicet, si fieri potest,ab ea emundatus fratrem tuum lucreris.Iam si nec Ecclesiá audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.iudicio,inquam, Ecclesiæ separatus,atque excommunicatus vt alienus habeatur ab ea,nec tamen & tunc omnino alienum ab Eccle- *1.Cor.5.* sia hunc habendum Paulus docet, cùm incestuosum Corinthium,quem priùs excommunicauerat, & Sathanæ tradiderat in interitum carnis,iubet à cæteris in omni charitate su- *2.Cor,2.* scipi:ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur. quapropter,ait,è contrario magis donetis, & consolemini, & confir-

metis

metis in illum charitatem.non itaque excommunicati ipsi ita præcisi ab Ecclesia sunt, vt mox ad eam vel tunc etiam non pertineant saltem vt præcisa, sed quæ curatione rursus inseri possunt, membra:tenentur etiam & tunc Ecclesiæ legibus: & ipsa eos disciplinam sustinentes non aliter respicit quàm pater filios,quos dura correptione emendare cupit.Ob hoc enim medicinales pœnas illis imponit: & salutem illorum quærit vt spiritus eius,inquit Paulus, saluus fiat. Vnde aper- *Thessa.3.* tiùs Thessalonicẽsibus loquitur: Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam,hunc notate:& ne cõmiseremini cũ illo,vt confundatur. quid hoc aliud est, quàm excommunicare?sed statim subdit:Nolite quasi inimicum existimare: sed *Cap.24.* corripite vt fratrem.Quæ certè si attentè consideremus,agno *Quòd in* scemus Ecclesiam Christi in hoc seculo non aliud esse, quàm *Ecclesia* medicinas quasdam, medicaminum videlicet apothecas, & *Christi pec* medicorum,atque,infirmorum domus,& habitacula, in qui- *catores tan-* bus non aliud agitur, quàm ægrotantium, & infirmorum cu- *quam ægri* ra:& sub vno illo medico Christo adhibetur solicitudo, vt *fouẽdi sint.* nullius morbo,ægritudini,vel vulneri desint oportuna remedia,nullius imbecillitati fomenta,& auxilia necessaria subtrahantur.Nam quid est aliud quàm quod Christus dicit: non est opus valentibus medico,sed malè habentibus,quàm vt intelligamus nullum morbum, nullum peccatum, quàm diu in Ecclesia,qui eo laborat,sustinetur, vel medicinali pœna,vt eum feruet, satagit à cura, & medicina Christi alienum reddere hominem,atque ita nec omnino ab Ecclesia eius,in qua & ipsi, qui medendi curam habent agnoscunt ab alijs etiam id sibi præstari oportere.vnde & Paulus saluberrimè admo- *Gala.6.* net:fratres inquiens si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis,considerans te ipsum,ne & tu tenteris. alter alterius onera portate,& sic adimplebitis legem Christi. quibus verbis quanta,vt ita dicam,lenitiua adhibuit fomenta peccãtium vulneribus.non inquit abijcite illum, tanquam alienum ab Ecclesia:sed instruite inquit non cum obiurgatione,& austeritate,sed cum blanda instructione in spiritu inquit leni-

 tatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis accedite ad illum, cogitantes quod & vos simili, aut grauiori morbo laborare post modicum fortè continget: considerans inquit teipsum, ne & tu tenteris. Vnde & priùs cùm peccantis meminisset, mirum est quibus verbis extenuauerit malitiam, & grauitatem culpæ, idque ex consideratione naturæ peccantis: si præoccupatus inquiens fuerit homo in aliquo peccato: ac si diceret, cogita quòd homo est fragilis, & infirmus, non Angelus, vt propterea mirandum sit, quòd peccauerit: nec etiam Dæmon vt deploratus haberi debeat, sed homo qui ignorantia, obliuione, aut insultu hostis facilè præueniri imparatus potest: atque ita magis præoccupari & ante plenâ consideratione peccasse credi potest. Denique vult vt in illo seipsum quisque cogitet, alter inquit alterius onera portate: & tâdem claudit omnia seueriſsima sententia. Nam qui se inquiës existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. quid est aliud: nam qui se existimat, &c. quàm apertè ostendere omnem, qui peccatores abominatur, qui contemnit, ideo id facere, quia se existimat aliquid esse, cùm tamen reuerà nihil sit, nihil inquam sit omnis homo quantumuis sanctus, quantumuis humilis: à quorum animis longè est, vt se aliquid esse putent: quâtò magis qui aliquid putat se esse, quod nõ est aliud, quàm se seducere? Quibus omnibus manifeſtiſsimũ fit, quàtùm errent, qui peccatores ab Ecclesia alienos faciunt: quàm durâ in se sententiam proferant: imò quàm suiipsorum obliti sunt, qui cùm veram Ecclesiam talem arbitrentur, ad quam non nisi sancti, electi, & prædestinati à Deo pertinet: tamen seipsos, & suos, quibus blandiuntur iactant ad eam pertinere. Nobis verò hæc satis esse debent, vt & leuia, atque minora peccata, & grauiora etiam, sed occulta, imò & eadem ipsa manifesta, atque publica ab Ecclesia alienum non efficere: eũ, qui nõ publico iudicio ab ea separatus est, nec tũc quidẽ perpetuò, & omnino: sed quanto tempore, & quatenus ipsa Ecclesia id iudicauerit oportere, agnoscamus. Nam postea de his latiùs agemus, cùm Brentio respondebimus. Est verò iam hoc loco attentiùs considerandum qualiter hæc duo cohæreant,

Cap. 25. falsò ab aduersarijs confictum esse in scriptura Ecclesias duas distingui, aut Ecclesiã dupliciter sumi.

reant, tanta sanctitas, munditia, & perfectio, & tot peccata, tot sordes, & infirmitates: vtrunque enim necesse est in Ecclesia esse: quia vtrunque sacra scriptura testatur. Ecclesia immaculata est: Ecclesia malos habet, & bonos: nigra, ait sum, sed formosa. vbi primò occurrit nobis suffugium, quod aduersarij, quo elaberentur, inueniunt. Duplicem enim Ecclesiam distinguunt: & in scriptura sacra aiunt nomen Ecclesiæ dupliciter sumi: pro prodestinatorum societate quandoque: nonnunquam verò pro congregatione eorum, qui per baptismum sanctificantur, & coëunt in vnius fidei Christianæ cõfessionẽ. Videó Brentiũ huic inniti à suis inuẽtæ distinctioni. Sic enim mihi dicit: Audes tu Ecclesiã illam, aduersus quam non prævalebunt portæ inferi, hoc est veram, & firmam ita infamare? &c. illam, inquit, quasi alia sit, contra quam portæ inferi prævalent: & rursum hoc est veram, & firmam, ac si alia sit, aut falsa, aut verisimilis, & infirma. tantũ hoc igitur nouũ duarũ Ecclesiarũ discrimẽ à suis excogitatũ Brẽtius nouit: quasi ad verã Ecclesiã pertineat sanctitas, ad alterã porrò falsam, & infirmã, peccata. & ideo hic semper distinguit verã Ecclesiã, & cui promissio stabilitatis facta est, ab alia nescio qua. sed quàm lõgè hoc à vero sit, quàm recès adinuentũ, & ab omni scripturę, & patrum sensu alienum, non est difficile ostẽdere. regnũ cælorum putátne Brentius falsam esse Ecclesiam? quis hoc rogo audire potest, & tamen Christus dicit simile regnum cælorũ sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, malos scilicet, & bonos. sic hæc, quæ omnes congregat, si non habet prædestinatos, & electos, quomodo rogo habet bonos? si non habet reprobos, quomodo malos? non ergo cõgregat ex omni genere piscium. Rursum si hæc non est vera, & firma Ecclesia, quæ malos habet, quomodo verum regnum Christi est, dicente Christo: mittit Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Abi igitur Brenti, & dic verum regnum Christi non esse veram, & firmam eius Ecclesiã, (Sic enim ille loquitur) aut quod Christus vocat regnum suum, tu dicito non esse verum regnum, sed falsum, aut verisimile tantùm, & apparens. & reuoca nunc ab inferis omnia Manichæorum

Loco de scriptura.

rum figmenta, vt cùm ſcriptura dicit, verbum caro factum eſt, non veram carnem, ſed phantaſticam tãtùm intelligamus: & cùm dicit Chriſtum de virgine naſci, mori, & reſurgere pro nobis, dicas omnia non verè facta eſſe. nec enim aliter dicitur, de regno Chriſto auferenda ſcandala, quàm ipſum crucifixum pro nobis. Si itaque illud non verum dicis eſſe regnum, ita de his licebit dicere. non eſt opus multa ex ſcriptura perſequi ſimilia: certè nec vnum locum dabunt, vbi de vna harum Eccleſiarum, quaſi ab altera diſtincta, ſermo fiat: quamuis diuerſa dicantur. De eadem Eccleſia certè Paulum
1. ad Tim.1. audio de ſe dicentem, quòd primus omnium peccatorum ſit: de eodem audio Chriſtum dicentem, vas electionis eſt mihi.
Actuum. 9. nunquid propterea duos Paulos cogitabo? aut duos Petros, quia modò dicitur ei. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: &: Beatus es: modò: Vade poſt me Sathana, non ſapis, quæ Dei ſunt. Quòd ſi in vno homine hæc tam diuerſa, cur non in vna tot hominum congregatione? ſumus inquit Paulus inuicem membra: & certè in eodem corpore ſecundum diuerſa membra ſanitatem, & ægritudinem videmus. cæcutit oculus, pes ſolidiſsimè figit greſſus, vacillat manus, & caput conſiſtit firmum. nunquid non propterea vnum corpus membra ſana, & infirma habens? Abſit igitur, vt in ſcriptura, duas Eccleſias Chriſti inueniamus. ſed vt iam à re ipſa ſumamus rationem, cui, rogo, Eccleſiæ denunciandus eſt frater peccans? ſi inuiſibili, & ſanctæ (talem enim fatentur Eccleſiã prædeſtinatorũ) fruſtrà præcipitur hoc: ſi verò, vt neceſſe eſt, viſibili, & manifeſtæ, quæ & peccatores habet: vera eſt hæc Eccleſia Chriſti, quam audire iubemur, & eius iudicium ſequi, in vitandis peccantibus fratribus. Denique Eccleſia, quam prælati gubernandam ſuſcipiunt, nónne vera illa eſt, de
Actu. 20. qua Paulus dicit Epiſcopis: Poſuit vos Spiritus ſanctus regere Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo? & tamen niſi ſit viſibilis, regi non poteſt. viſibilis ergo, & certa ſenſibus ipſis eſt Eccleſia, acquiſita, & redempta à Deo, de qua Eſaias dicit:
Eſa. 62. Vocaberis ciuitas quæſita, & non derelicta: & populus eius ſanctus redempti à Domino, vt inquit eodem loco propheta.

Eccleſia,

Eccleſia, in qua Paulus docet Timotheum, quomodo oportet eum conuerſari, certè Eccleſia eſt Dei viui, columna, & firmamentum veritatis: tamẽ in ea verſatur Timotheus. quomodo ergo ſi non eam videt, & certè conuerſatur in ea, vt eidem Paulus iubet, factus exemplum fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, & caſtitate. Denique conuerſatur, cùm peccantes coram omnibus arguit. Illa ergo peccatores habet: illa eſt magna domus, in qua non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea: ſed lignea, & fictilia, quædam quidem ad honorem, quædam quidem in contumeliam. Senſum patrum circa hoc ſatis explicat ſymbolum fidei, vnam inquiunt ſanctam Eccleſiam catholicam, vnam certè, non duas dicunt, & eandem vniuerſalem, toto ſcilicet orbe diffuſam, & ſanctã. Nam ſi duas Eccleſias agnouiſſent in ſcriptura patres illi, & modò vnam, modò alteram nominari, non ita confuſè vnam dicerent Eccleſiam: maximè cùm nõn dubium ſit, illos Eccleſiam intellexiſſe concionem baptizatorum omnium, & confitentium Chriſti fidem, & hanc non dubitant ſanctam dicere. Et ne multis hoc agamus, ſit ſatis ad hoc confirmandum ducentorum octoginta ſex Epiſcoporum catholicorum Carthagini aduerſus Donatiſtas teſtimonium. calumniabantur Donatiſtæ, quòd duas Eccleſias catholici aſſererent: aut dupliciter accepiſſent Eccleſiam. Reſpondent illi Eccleſiam, quę nunc habet permiſtos malos, ſe nõ aliam dixiſſe à regno Dei, vbi non erunt mali commiſti: ſed eandem, inquiunt, ipſam vnam, & ſanctam Eccleſiam nunc eſſe aliter, tunc autem aliter futuram: nunc habere malos miſtos, tunc non habituram. Quid, rogo, manifeſtiùs poteſt dici? Calũniabantut Donatiſtæ catholicos, quòd aliã dicerent Eccleſiã, ad quã pertinet, quòd Chriſtus exhibiturus eſt ſponſam ſuam, non habentem maculam, aut rugam, hoc eſt cæleſtem illam, & beatam ſocietatem: alteram verò in hoc ſeculo, quæ malos habet, quòd eis, quanquam peccatores ad Eccleſiam non admitterent, non probandum videbatur. Reſpondent verò catholici, vt oſtendimus, id ingenuè negantes: ſed eandem Eccleſiam eſſe, & huius ſeculi, & in qua ſunt mali, inquiunt, & cæleſtis patriæ, in qua nulli

1. ad Tim.3.
1. Timo. 4.
Eiuſdem. 5.
2. ad Tim.2.
Aug. Colla. 3. contra Donat.

ſunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt mali: nostri verò non apertè Donatistæ, sed pertinaces in cœpto errore, vt Ecclesiam incertam reddant: vt eius iudicium eludant: quod in Euangelio dicitur: Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, ad inuisibilem societatem prædestinatorum referunt: non verò ad visibilem Ecclesiam: aperto certè paralogismo, cum illa, de qua Christus ibi loquitur, sit eadem, quam postea iubemur audire. Et Donatistæ quidem saniori mente, quia peccatores alienos ab Ecclesia dicebant, nullo modo duas Ecclesias cogitandas esse in scripturis volebant: quod & catholici confirmant, non inquam duas, alteram cælestem, alteram terrenam, quæ certè magis poterant videri diuersæ: quoniam longiùs distant, quàm visibilis ex baptizatis, & profitentibus fidem: & inuisibilis ex prædestinatis: cùm negari non possit has duas, vt ita dicamus societates, sibi inuicem participare, & communicare, si non omnibus partibus saltem quibusdam. Certè prædestinati omnes baptizati profitentes fidem ad externam illam Ecclesiam pertinent: Concio prædestinatorum necessariò aut iam est, aut aliquando erit pars externæ Ecclesiæ. Extra professionem enim fidei veræ, & sacramentorum participationem nullus saluatur: atque ita nullus prædestinatus perpetuò erit. Esto, sint aliqui in hac congregatione non prædestinati, cur propterea ab altera eam distinguimus prædestinatorum, cùm tota illa in hac sit: hanc agnoscat, & extra hanc certò sciat, se non posse saluari. Alienum itaque hoc commentum duarum Ecclesiarum nō solùm reijciendum, sed proponendum in exemplum contentionum, & sophismatum, atque pugnarum verborum, quas cùm noui isti doctores, vt Paulum se sequi ostēdant, quotidie reprehendunt in nobis: illi multò magis exuscitant. Hoc est verè pueriliter, & contentiosè de nomine rixari in scriptura. Dicere nomen Ecclesiæ dupliciter sumi, pro visibili, & inuisibili, pro manifestè profitentibus fidem, & pro occultis, & occulto Dei iudicio prædestinatis. Hæc sunt verè sophismata, nulla certa ratione, nulla auctoritate maiorum circa sensum scripturæ inuecta. Nos verò non à vobis Vuirtenberg. aut Lutheranis sensum scripturæ accipiemus, sed à legitimis, &

Cap. 26. Quòd Ecclesia prædestinatorū sit etiam visibilis.

& maioribus patribus: sequentes salubre illud Clementis cōsilium, Oportet, inquit, ab eo intelligentiam discere scripturarū, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat, vt & ipse possit ea, quæ rectè suscepit competenter asserere. Nā & causam admonitionis huius priùs apposuit huic loco valde conuenientem: sic inquiēs relatum est nobis, quod quidam in vestris partibus commorantes aduersantur sanis doctrinis: & prout eis videtur, non secundum traditionem patrum, sed iuxta sensum suum docere videntur. & ideo diligenter obseruandum est, vt lex Dei cùm legitur, non secundum propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur. Hæc quidem huic loco satis: de quibus alibi plura, quæ tamen omittenda non duximus tanta indignitate huius distinctionis moti. Quantò satiùs cùm de diuersitate ista eorum, qui in Ecclesia sunt bonorum, & malorum, de sanctitate scilicet, & peccatis, de iustis, & peccatoribus loquendum est, regula illa notissima omnibus, & probata à maioribus, & huic rei intelligendæ accommoda, quam August. inter septem illas Ticonij claues, vel regulas ad intelligendam scripturam secundam ponit, quam ille de permista Ecclesia vocat, vtendum est: quam & in hoc loco, vt explicemus qualiter duo hæc contraria peccata, & sanctitas, Ecclesiæ conueniunt, primò duximus considerandam. docemur enim illa, in scriptura sacra, & in eodem orationis contextu, atque eadem clausula, quædam dici de bonis, & propter eos: alia de malis & propter malos: cùm de eisdem videatur scriptura loqui, propter commistionem scilicet, & communionem externam sacramentorum, & fidei. Sicut enim in Ecclesia mali, & boni sunt permisti: ita in scripturæ sermone: vt vix scias discernere de quibus loquatur, nisi diligēter inuigiles. Nigra sum, ait, sed formosa: quod superiùs adduximus, inquit Augustinus, hoc modo est accipiendum, vt nigra propter peccatores, & peccata: etiam formosa propter virtutum iustorum pulchritudinem dicatur. & quod apud Esaiam dicitur post multas promissiones gratiæ, inter quas illæ sunt. Educam cæcos in viam, quam nesciunt: ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta, hæc verba, faciam eis, &

Epist. 5.

Cap. 27. Quòd scriptura permisti bonis, et malis loquēs ostendit, eādem ex illis Ecclesiam.

Lib. 3. de doct. Chri. cap. 31.

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 28. *Aug. locus contra Ticonium duo corpora Christi ponentem explicatur, & ostenditur, nostra confirmare.*

non derelinquam eos: mox nullo interposito, conuersi, inquit, sunt retrorsum: quod vltimùm ad peccatores referendum constat, cùm priora manifestè ad iustos pertineant. Et quoniam, qui materiam quærunt, errãdi, & in errores mittendi, ex hoc loco Augustini quædã desumunt contra hanc tam certam veritatem, quam asserimus: sunt eius loci verba attentè conferenda cum alijs. Primùm quia Ticonius bipertitum corpus Domini dicit, propter bonos, & malos, inquit Aug. quod quidem non debuit ita appellari. non enim reuerà Dominj corpus est, quod cum illo non erit inæternum. dicendũ ergo fuit de Domini corpore vero, & permisto: aut vero, & simulato. En igitur (aiunt) Augustinus dicit, non esse verum corpus Domini, quod peccatores habet: sed permistum, aut simulatum: quod certè contra verum distinguit. Vnde statim addit: Hypocritæ etiã nunc non eũ illo esse dicendi sunt, quãuis in eius esse videantur Ecclesia: videantur, ait, esse in Ecclesia quo quid aliud significat, quàm quòd secundum speciem tantùm sunt, non reuerà: propter quod & postea inquit, videtur scriptura simul cum bonis, & peccatoribus loqui, tanquam vnum sit vtrorunque corpus, propter temporalẽ commistionẽ, & cõmunionẽ. Hæc ne incautos offendãt in doctrina Augustini meritò sunt nobis explicãda. Quia igitur ducẽti illi octoginta sex Episcopi, inter quos & ipse hoc proprio subscriptione signarunt, in Ecclesia bonos, & malos esse vsque ad finem seculi: de arca enim Noë loquentes in ea dicunt fuerũt munda & immunda, etiam exeunte coruo: ita in Ecclesia mali sunt vsque ad finem seculi. Vbi similiter dicunt commisceri malos in Ecclesia huius temporis: atque inter retia sacramentorum contineri. Quod multis alijs locis August. apertè loquitur. constatque ipsum, & catholicos, antiquosque patres pro eodem accepisse: esse peccatores in Ecclesia, & cõmisceri in ea: & non tantùm videri, sed esse apertè intellexisse. Nõ est igitur cur offendamur illo verbo: videtur esse in Ecclesia. nam eo loco vbi maximè videtur negare esse in Ecclesia peccatores, etiam apertè affirmat: nunc, inquit, in vno sunt: non tamẽ semper in vno erunt. Vbi quoniam nunc in vno esse dicit

dicit malos, & bonos, vnum illud manifestè Ecclesiam significat, & congregationem. Et quoniam dicit non semper in vno erunt, ostendit nobis, quo respiciant omnia alia, quæ priùs dixerat, quę si consideremus confirmant maximè nostra: & hanc distinctionem duplicis Ecclesiæ manifestè reijciunt. Ticonius duo corpora Christi ponebat: alterum peccatorum, alterum iustorum. hoc August. omnino reijcit. Absit enim vt peccatores, quàm diu peccatores sunt corpus sint Christi: verùm sunt potiùs membra mortua, quare nec vera. Peccatores itaque solos, & à iustis separatos dicit August. non esse corpus Christi: & ideo non duo diuersa corpora permittit dici. Hoc igitur ipsum est, quod nos asserimus: vnam esse Ecclesiam, non duas: sicut nec duo corpora, siue duplex corpus: vt Ticonius dixit, & August. reprehendit. atque ideo dicimus, Ecclesiæ illi vni semper scripturam loqui siue iustis, siue peccatoribus loquatur. quare nec vnã ex peccatoribus, aliã ex iustis, vt Ticonius voluit: sed nec vnam inuisibilem, ex solis electis: alteram visibilem esse affirmamus: cùm huius visibilis iusti omnes sint viua, & vera membra: peccatores membra mortua, atque ideo non vera. sunt ergo vt mortui in ea, quare nec verè sunt. Hæc August. dixit: & tandem docuit, veram, & perpetuam Ecclesiam, in qua nullus sit peccator, in futuro seculo tantùm inueniri. Vnitas verò malorum, & bonorum temporalis est: duo tempora Ecclesiæ docent catholici Episcopi in collatione illa: alteram præsentem, alteram futuram: in hoc mortalis, & propterea temporalis est significata inquiunt piscatione illa ante Christi resurrectionem: quando nec in dextram, nec in sinistram iussi sunt mittere rete, & quod rumpebatur inquit Euangelista: Futuræ verò vitæ tempus significatum in altera piscatione post resurrectionem, quando in dextra iussi sunt mittere, vt solos bonos post resurrectionem intelligamus futuros. Hoc vltimum æternæ felicitatis tempus August. considerans dixit, non reuerà corpus Domini est, quod cum illo non erit inæternum. manifestè secundum Dei consilium, & præscientiam intelligens non esse verum corpus Christi eos, qui inæternum cum illo futuri non sunt: eo modo, quo Ioan

Lucæ. 5.

Ioan. 21.

E nes

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes de nõ perseuerãtibus ait, nõ erãt nobiscũ: si fuissent, permã sissent vtiq; nobiscũ. Similiter Aug. dicit, reuerà corpus Dñi nõ sunt, cùm alioqui, qui iusti sunt, q̃ diu sunt, etiam si postea sint excidẽdi, sunt vera mẽbra Christi secundũ illã præsentẽ iustitiã. Sicut Ambrosius intelligit etiã nõ perseueraturis dictũ, nomina vestra scripta sunt in cælis secundũ (vt inquit) iustitiã nõ secundũ præscientiã: Et quoniã cùm agimus qualiter pectores in Ecclesia sint, id agimus, quod aduersus Donatistas egit Ecclesia, eius sensum, quẽ cõtra nos disputãs habuit, præ cæteris oĩbus putamus inquirendũ esse, & sequendũ: qui sanè sensus ex libris Aug. quã plurimis certè copiosissimus, & doctissimus, aduersus Donatistas maximè colligi potest: cùm illius rei præterquã in Aug. pauca sunt antiquitatis monumẽta: & inter cæteros Aug. libros tres illæ collationes cõsensum Ecclesię maximè manifestãt, in quibus vt diximus ducẽti octoginta sex catholici Episcopi cõmuni cõsensu hãc causãm aduersus Donatistas egerũt: & iudicati sunt superasse eos. Horũ igitur sensum, qui nullo modo dubitari potest fuisse Ecclesiæ catholicæ, vt breuiter hoc loco proponamus, considerandũ, Donatum, caput, & originem huius erroris cùm ab Ecclesia ob priuatas causãs discessissset, cum paucis sibi adiunctis Episcopis cœpisse primò reliquis catholicis Africæ Episcopis obijcere, quod persecutoribus fidei consentientes libros sacros comburendos illis tradiderint: atque hac causã eos, & reliquos totius orbis Episcopos, qui eis communicabant asserebant propter peccatum, quod alij cõmiserant, alij sustinebant, immundos esse, nec ad Ecclesiam pertinere, quæ immaculata est: dixeruntq; apud se tantùm veram esse Ecclesiam. Cùm itaque crimen opponerent catholicis grauissimum, & contrarium fidei, & reuerà infidelitatis: existimabant apud illos, tanquam infideles, non esse Ecclesiam. Hoc vt frequentissimè Aug. eis dicit, nunquam probarunt in legitimo aliquo iudicio: sed potiùs in multis tribunalibus contra eos iudicatum fuerit. Perstabant tamen pertinaciter in errore. Contra hos igitur præter causãm ipsam, quam prætexuerant suæ diuisionis, egit Aug. & catholici omnes probantes ex scripturis, Ecclesiam catholicã per totum orbem esse diffusam: propagatam

Cap. 29. Sẽsus antiquorũ patrum aduersus Donatistas de ratione, qua peccatores sunt in Ecclesia explicatur.

pagatam ab illis, in quos Spiritus sanctus Hierosolymis descenderat: à prima inquam illa Ecclesia per omnes populos, & nationes in omnibus, qui prædicationi Apostolorum, & primæ illius Ecclesiæ fidei adhærebant. In hac verò Ecclesia sustineri peccatores, vel cùm occulti sunt, ideoque illi ignoti, vel etiam si manifesti sint, propter euitanda maiora mala, scãdala, atque pericula plurimorum. Quanquam enim (ait Aug.) vigilare debet disciplina Ecclesiastica, & coërcendi sunt peccatores, quod exemplo suo Paulus docet: cùm tamen toleran tur, non propterea inficiunt alios, qui eis participant eodem templo sacrificijs, orationibus, confessione fidei: nec efficiunt vt non sit vera Ecclesia, in qua peccatores sunt. Hoc vt inferiùs ostendemus testimonijs prophetarum, & exemplis veteris, & noui Testamẽti Aug ostẽdit. & hinc totam causãm absolutam putat esse. Hoc enim aduersus Donatistas satis tum iudicatum est, tolerari malos in Ecclesia posse, & deberi: neq; propterea eos, qui cum illis participant templo eodem, sed non affectu, maculari, vel Ecclesiam ipsam propter illos ineertam esse: sed semper manifestam, semper conspicuam, tanquã lucernam super candelabrum, & ciuitatem supra montem positam. ideoque nec maiorum, nec minorum peccatis obscurari: sed, vt ex Cypriani testimonio confirmat August. sub malo Episcopo inuenitur nonnunquam sancta plebs: & sub bono iniqua. Nihil aliud reuerà conati sunt aduersus Donatistas patres illi, quàm vt ostenderent eodem templo, & altari sacrificijsque, & orationibus participare malos, & bonos: & propterea omnes esse in Ecclesia, apertè ostendentes Ecclesiã congregationem hanc externam esse, externis, & visibilibus signis congregatam, & sicut illa veteris legis vnum duntaxat corporale templum, & locum sacrificandi habuit, in quem omnes cõuenientes, & sibi inuicẽ eandẽ illam fidẽ ostendẽtes, participabant, & ad illam veterem Ecclesiam verè pertinebãt: Sic omnino quãquam apud nos in Christi Ecclesia plura sint templa corporea, & plura altaria, sed fides & sacramenta eadem, sacrificium vnum, quibus etiam corporaliter, & visibiliter participantes omnes ad Ecclesiam pertinere, & in ea esse intellexerunt. Quanquam & illud etiam fassi sunt, inter hos

Universidad de Deusto
Biblioteca

alios magis,alios mihùs ad Ecclesiam pertinere: vsque adeò, vt quidam etiam animo foris sint, etiam si corpore intus maneant:prout Aug.de Baptismo aduersus Donatistas dicit, de eo,qui ob solum temporale commodum in Ecclesia manet: De quibus & ait,quòd corde foris sunt,quanquam corpore intus maneát.Habet enim hæc Ecclesia interiora Dei dona, & absc̃odita : sed interim externis signis cõgregatur:& Resp. quædam humana est.in ea sunt quotquot visibilibus his sacra mẽtis communicant,& hanc fidẽ visib:liter confitentur,quic quid sit de peccatis occultis, vel manifestis etiam antequam legitimo iudicio eiecti sint,vel ad tempus,vel perpetuò:prout consueuit in Ecclesia fieri,sunt subditi,sunt prælati: sunt ministri , Christi siue boni sint,siue mali , qui eidem fidei, & sacramentis participant cum alijs fidelibus: & quousque separati sint,& hoc notum sit Ecclesiæ , in ea manent , & eorum ministeria non sunt inania,sed integra , & perfecta . Hæc est antiquæ Ecclesiæ aduersus Donatistas doctrina, & fides. Iuxta horum patrum sensum sicut interior, & exterior homo dicitur,nec tamen duo sunt homines,sed vnus: ita non duas sed vnam Ecclesiam agnoscimus: vt apertè intelligamus externam illam,quam dicunt aduersarij eandem esse cum Sanctorum prædestinatorum societate. Nam illud certum est, si iusti ab alla sese separauerint Ecclesia, cui Christus dedit pastores,& doctores, & quam gubernandam tradidit hominibus,quæ externa & visibilis est , quantumuis sancti , & iusti, hoc solùm nomine perituros.Huic igitur Ecclesiæ,huic externæ congregationi , quasi vni homini , ex corpore , & animo constanti,promissa est sanctitas:sed in iustis,& prædestinatis tantùm est perpetuò permãsura. Sint igitur isti tanquã anima, sint,quod ad sanctitatem attinet , absconditi, & latentes intrinsecus:propter quos dicitur Ecclesiæ,absque eo, quod intrinsecus later:& omnis gloria filiæ regis ab intus.Latet enim reuerà hæc sanctitas,intus est , Paulo dicente: non meipsum iudico,& non in hoc iustificatus sum . De eadem verò , eò quòd peccatores sustineat , quòd eos vsque ad finem seculi habitura sit,vt satis ostendimus,dicitur:permundabit aream suam,

In cap.9.ad Rom.

Cap.30.

Quòd in Ecclesia iusti, intrinsecus: peccatores, vt corpus, & extrinsecus sint.

Canti.4.

Psalm.44.

suam,&c.& ideo ij sunt veluti corpus tantùm, & solus exterior homo.Nam etsi iusti ad hoc externum corpus etiam pertineant, propter sacramenta, propter ministeria, & functiones:sunt tamen,vt diximus,etiam intrinsecus: peccatores verò extrinsecus tantùm sunt:vt meritò illud etiam de vtrisque aptissimè Aug.intelligat:sicut tabernacula Cedar , sicut pelles Salomonis tabernacula Cedar,ad Ismaëlé pertinent,vt ille inquit, qui non est hæres cum filio liberæ . Est ergo Ecclesia sicut tabernacula Cedar deformis nigra, expolito scilicet imbri,& æstui peccatorum,in his,qui alieni sunt ab hæreditate, quibus etiam dum sancti ipsi participant , & compatiuntur, & pro eorum laborant salute,efficiuntur similes, quo ad corpora attinet,& externa.Similes igitur peccatoribus, sed non verè peccatores.In peccatoribus ergo est Ecclesia verè , sicut tabernacula Cedar: in iustis verò secundum speciem tantùm, inter quos Sanctus ipse Sanctorum Christus non dedignatus est nouissimus virorum videri,& quasi despectus, & humilia tus:cùm verè languores nostros ferret . In ijsdem verò iustis secundum interiorem pulchritudinem animæ, secundum dulcedinem illam,& sanctitatem mentis, quam Spiritus sanctus operatur in eis,est verè sicut pelles Salomonis, pulcherrima, delicata,atque cooperta ab omni iniuria aëris,& intemperie, ab omni tentatione præseruata , & absconditа : Abscondes, inquit Psalmus,eos in absconditо faciei tuæ,à conturbatione hominum , proteges eos in tabernaculo tuo , à contradictione linguarũ.Hæc est igitur sanctitas Ecclesiæ,illa sunt peccata , sine quibus nõ est: nec parum ei esse vtilia ostendit hæc similitudo.Sunt sanè vtilia peccata,sunt vtiles peccatores iustis,quantùm externa tegumẽta ijs,quę internis seruantur,sed de hoc latiùs postea.Nũc verò illud sit his proximum , quod ex his,quæ diximus,patrum doctrinis facilè est videre sanctitatem hanc Ecclesiæ promissam duplicem esse : alteram perfectam,& consummatam,quæ verè futuri seculi est , cùm non solùm nullus peccator,sed nullum etiam peccatum, vel minimum,nulla imperfectio,nulla infirmitas,nulla vetustas, nulla macula,aut ruga erit,alteram verò huius vitæ quæ illius comparatione

Cap. 31. De duplici sanctitate & perfectione Ecclesiæ alterа huius vitæ altera beatæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

paratione ſanctitas immundicia eſt, ſed eſt etiam ſuo modò ſanctitas, & perfectio, ſuo inquam modo, quo in hac vita eſſe poteſt. quam duplicis ſanctitatis diſtinctionem & Paulus nos docet, & certiſsima doctrina patrum. Audiamus ſimul hæc omnia. citat Auguſt. Ambroſium in Eſaiam, & eius auctoritate ſua confirmat. Videmus, ait, Ambroſius impoſsibile eſſe, vt perfectè quis immaculatus eſſe poſsit in corpore conſtitutus, cùm etiam Paulus imperfectum ſe dicat. Sic enim habet: non quòd iam acceperim, aut perfectus ſim, & tamen pòſt paulò ait. Quicunq; ergo perfecti ſumus: niſi fortè quia eſt alia perfectio in hoc mundo, alia poſt hanc vitam, illud perfectum, de quo dicit ad Corinthios: Cùm venerit quod perfectum eſt, & alibi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei in virum perfectum. Vt ergo perfectos ſecum multos ait Apoſtolus in hoc mundo ſitos, qui, ſi ad veram perfectionem reſpicias, perfecti eſſe non poterant: ita immaculati ſunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei. Hoc ipſum & Auguſt. ex his verbis Pauli, non vno loco affirmat: Hoc & Hieronymus vt in aſſertione noſtra catholica cap. de lege oſtendimus. Eſt, ait Aug. perfectus viator, cùm bene promouetur acceſsio: quamuis non perficiatur intentio, niſi facta fuerit peruentio. Sanctitas itaque Eccleſiæ in hoc ſeculo ſpei eſt, Spe inquit Paulus ſaluati ſumus. ita ſpe dicere poteſt Eccleſia ſancti ſumus. Hac enim ſpe fit, vt ad ſanctitatem in hac vita perpetuò anhelet, veroq; animo illā quærat. Aliud igitur tempus huius ſeculi, aliud felicitatis æternæ: aliud puericiæ, aliud perfectæ ætatis: aliud diſcendi, videndi, & plenè cognoſcendi aliud: aliud pugnæ, aliud triumphi: aliud purgationis, aliud munditiæ: aliud infirmitatis, & medelæ, aliud integræ ſanitatis. Sic Paulus inquit, quod Deus conreſuſcitauit nos Chriſto, & conſedere fecit ad dexteram in cœleſtibus: cùm tamen alibi dicat, noſipſi primitias ſpiritus habentes gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri. Vnde ergo gementes, ſi iam conſedemus ei in cœleſtibus ad dexteram: niſi quia id ſpe tantùm, re autem adhuc infelicem ſe, & captiuum vocat, in corpore mortis huius?

4. lib. cō. duas Pelag. cap. 11.

lib. 3. cō. 2. epiſt. Pela. cap. 7.

Ad Eph. 2. Rom. 8.

ius? primitias inquit habentes ſpiritus, non tamen plenitudinem: perguſtationem, non ſatietatem: ſemen, nondum fructū. Poſui, inquit alibi Chriſtus, vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Hæc itaque ſpes vera, & firma eſt vitæ huius ſanctitas: ſecundum quam Ioannes, inquit, omnis, qui habet hanc ſpem, in eo ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Præmiſerat enim, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus, propterea mox ait. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Hæc eſt perfecta illa beatitudinis ſanctitas, poſtquam ſtatim deſcendit ad eam, quæ huius vitæ eſt. Omnis, inquit, qui habet hanc ſpem, perueniendi ſcilicet ad perfectam ſimilitudinem, ſanctificat ſe in veritate. nondum quidem ſanctitatem plenam habet, ſed ſequitur illam. Sanctificatio igitur dicenda eſt via, progreſſus, appropinquatio potiùs, quàm ſanctitas, vel eius poſſeſsio, vel quies. De qua etiam Paulus, cùm de promiſſione illa mentionem fecit: Ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, ait: Has ergo habentes promiſsiones Chariſsimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus: perficientes ſanctificationem in timore Domini, quod eſt ſem per proficientes, & progredientes. quod alibi explicans: Licet is qui foris eſt noſter homo, inquit, corrumpatur: tamen is, qui intus eſt renouatur de die in diem. quod ſi quotidie renouatur, manet ſemper aliquid in eo vetuſtatis, & peccati, quę eſt huius vitæ ſanctitas, quam non dubitamus promiſſam eſſe Eccleſiæ in hoc tempore, neque vnquā in ea deeſſe. Qui enim maiora daturus eſt Eccleſiæ, qui ad plenam illam perducturus eſt ſanctitatem: non negabit quod minùs eſt, & via, atque præparatio ad illum. qui plenam coniunctionem daturus eſt ſponſæ: dabit etiam & in hoc ſeculo primitias & arram. Iuſtorum, inquit Sapiens, ſemita quaſi lux ſplendēs procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem. Vnde in Canticis Eccleſia modò auroræ conſurgenti, modò virgulæ fumi ex aromatibus aſcendenti, aſsimulatur: in quibus ita eſt aliquid lucis, vt non deſit obſcuritas, & tenebræ, ſed conſurgere, & aſcendere dicitur Eccleſia, dum exuit ſemper quod imperfectionis

1. Ioan. 3.

2. Cor. 6.

Eiuſdem. 7.

Eiuſdem. 4.

Prouerb. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est:& assequitur quod perfectionis est.Hæc sunt promissa Ecclesiæ:hæc non dubitamus in hoc seculo semper in ea inueniri:nec tamen in omnibus,nec in his,in quibus inuenitur semper vel eodem modo,sed mutabiliter,variè, & incertè, modò in his,modò in illis:prout videlicet huius vitæ conditio patitur: & diuinæ gratiæ dispensatio à Deo ordinata requirit. ita vt mixta ea,quæ superiùs dicta sunt, meritò sanctitas occulta,abscondita,& incerta sit(nec enim notum est qui sint verè sancti:& si ex operibus externis luceat frequenter interior illa sanctitatis lux)infirmitas verò imperfectio, & peccata apertiora,& manifestiora:illa veluti anima,hæc vt corpus.

Ca.32.quòd sanctitas Ecclesiæ promissa nõ ad oẽs, qui in ea sunt, pertineat.

Quare meritò in assertione nostra diximus,& nunc rursus asserimus sanctitatem non singulis promissam, nec in singulis inueniri:sed in quibusdam sic semper, vt modò in his, modò in illis:atque ita Ecclesia semper sancta est, & non singuli qui ad eam pertinent.quòd quia Brentius impugnat,& reijcit est vltimo in hoc loco explicandum,idque primò ex hisce parabolis Euangelicis,deinde ex humani cordis incerto, denique ex ratione humanæ Reipub. In Euangelio igitur inter cæteras similitudines illa notissima est,qua areæ confertur Ecclesia,sicut alijs scripturæ locis toreulari: Permundabit, inquit Ioannes Baptista,aream suam,& congregabit triticum in horreũ suũ,paleas autem cõburet igni inextinguibili. Vide igitur huius simulitudinis cõuenientia,& vim quandã hoc explicandi mirabilem.Primò si areã intuearis cùm teruntur segetes, cùm sub iumentorum pedibus, sub prelij etiam acutissimis lapidibus, & grauitate conculcantur, atque versantur. Denique toto tempore antequam ventilatæ fuerint, siue in aceruum redactæ sint,siue effusæ per aream,videberis tibi nihil videre quàm paleam,tanta est eius multitudo, tanta leuitas,vt eminẽtiùs appareat:granorum verò tanta grauitas, tanta raritas paleæ comparatione,vt si inexpertus eius rei videat, prorsus omnia,vt paleam,sit contempturus. At verò cùm peruentum fuerit ad mundandum,cùm opportunus flauerit ventus,videbis paleam subleuari in altum,longiusque auolare in immensum quendam aceruum:grana verò suo pondere rursum

Cap.33. Probatur illud ex Euangelica parabola areæ. Math.3.

sum cadunt,subsident,& purgata,ac segregata ab his,quibus priùs tegebantur in exuuijs,ab omni denique palearum leuitate reconduntur horreis,& in precio habentur,& tum demum apparet paleas,non nisi propter grana, fuisse: quibus vt & crescere, & ad debitam maturitatem peruenire, & in ipsa area custodiri possint,necesse habuerunt grana: sine paleis enim nihil horum fieri potuisse docet ipsa natura. nónne ergo cùm Euangelium hac similitudine vtitur, admonet nos cogitare:si Ecclesia area est,non admirandum si in hoc tempore quando non ventum est ad segregationem mali,& instabiles homines,qui tanquam puluis siue gluma vanis huius seculi desiderijs,vt vento feruntur,eminent,appareant,gloriẽtur:Boni verò,qui cælestis vitæ desiderijs solidi sunt, lateant, abscondantur,& conculcentur? & tamen inter hæc certos nos esse debere omnia propter frumenta fieri,in omnibus vtilitatem illorum quæri.Et sicut is,qui paleam comburit igni, areæ curam habet,illam amat & custodit, sed propter grana solùm. Nam illa sola seruat. Sic & Ecclesia propter bonos custoditur,propter electos chara est Deo,& curatur, nec tamen sine paleis vnquam est,quàm diu area est, vsque ad vltimum scilicet iudicium. Si quis igitur meritò mirari potest, aut irridere quòd in area sint paleæ,quòd non omnia sint grana,is admiretur cum Brentio me dicentem non omnibus,qui in Ecclesia sunt, sed quibusdam tantùm promissam esse, & conferri sanctitatem.Si quis non agnoscit aream, si quis negat aream esse,quia paleas habet,is neget Ecclesiam,quia peccatores continet. Ego verò cum manifesta experientia, cum Euangelica parabola Ecclesiam non agnoscerem,nisi peccatores haberet,vocarem horreum,& cælum, ipsamque beatorum congregationem. Cæterùm Ecclesiam esse huius seculi negarem,in qua paleæ non sunt: Denique si quis omnibus, quæ in area sunt,putat veritatem grani,& frumenti conuenire,is putet omnibus,qui in Ecclesia sunt,promissam esse sanctitatem:ego verò contrarium doceor hac similitudine Euangelica.Iam verò si humani cordis,& conditionis incertum cogitemus, multò magis admonebimur huius malorum cum

Ca.34. Probatur idem ex incerto, & mutabilitate humani cordis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonis permistionis, & aliorum in alios mutationis: propter quod maximè hoc necessarium est, vt scilicet etiam manifestè mali non alieni ab Ecclesia habeantur: cùm facilè, & frequenter contingat, etiam cùm minùs speratur, ipsos mutari, & viua, veraque membra Christi fieri, cum ipso regnatura perpetuò. Itaque hac parte illa similitudo areæ longo interuallo superatur. Nec enim vnquam visum est in area, vt ex paleis triti cum fieret, vel econtrà. Vnde quamuis permista sint, non est tamen difficile, vt vel contrectantis manu, vel attentiùs aspicientis oculis discernantur. At in hac spirituali area, quoniam vt Irenæus inquit, liberi arbitrij sumus, & non natura, sed voluntate paleæ, vel frumentum, boni, vel mali, & frequenter ex alio in aliud mutamur: non est qui possit discernere, nisi is solus, cuius oculis præsentes sunt iam fines, & exitus omnium. Cæterùm omnibus nobis meritò dicitur: Nolite ante tépus iudicare. Cùm enim & qui stant, veraque charitatis participes sunt, frequenter contingat cadere, vt ille, cui dicitur, memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam: & alius similiter cui dicitur: tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuã: Meritò omnibus, qui se iustos cogitant, dicitur: Qui se existimat stare, videat ne cadat. Et rursum quoniam qui peccatis etiam sepulti, & assueti, atque iam desperati sunt, frequenter resurgunt, clamante Paulo: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: meritò admonemur omnes de nullo etiam deploratissimo peccatore desperandum, de nullo quantumuis sanctissimo non timendum. quod ostendunt multa Dei iudicia, quæ in Ecclesia, & in scriptura passim videmus. Hoc Iudas ex Apostolorum sublimi throno in vltimum barathrum cadens, & latro ex supplicio vltimo ad regnum cælorum euectus nos admonent: Hoc Paulus ex persecutore cõuersus ad Christum: Hoc Simon post baptismum conuersus ad vomitum: Hoc denique nõn in vno, aut altero, siue in paucis, sed in Iudaicę gentis parte illa, quæ à principio Euangelij, & vsque nunc Gentibus currentibus ad Christum incredula permanet, ad magnam humilitatem omnium prædicatur à Paulo, Gentes inquit, quæ non sectabantur iusticiam inuenerunt

Apo.2.
Eiusdem.3.
1.Cor.10.
Roma.9.

rũt iusticiã: Iusticiã autẽ, quæ est ex fide: Israel verò sectãdo legẽ iusticiæ in legẽ iusticiæ nõ peruenit. Et Saluator: Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham in regno cælorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. De qua re quid potest aliud dici, quàm quod Paulus docet: Magnũ scilicet hoc mysterium esse in sola Dei sapiẽtia absconditum. Nolo inquit vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobismipsis sapientes, quoniam cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret. propter huius enim sancti timoris vtilitatem, vt Augustinus inquit, ne regenerati, & piè viuere incipientes, aut multùm denique proficientes, & perseuerantes tanquam securi alta sapiamus: quidam non perseueraturi perseueraturis Dei permissione, vel præuisione, ac dispensatione miscentur, quibus cadentibus territi cum timore, & tremore gradiamur viam iustam: donec ex hac vita, quæ tota tentatio est, transeamus ad aliam, vbi iam non sit elatio comprimenda, nec contra eius suggestiones luctandum. Cæterùm in hac vita illud Pauli perpetuò est ante oculos habendum: Tu fide stas, noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei in eos, qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem si permanseris in bonitate: alioquin & tu excidêris. sed & illi si non permanserint, in incredulitate inserentur. potens est enim Deus inserere illos. Vide itaq; quàm diserte omnia, quæ ad salutẽ nostrã pertinent, sub libertatis nostræ incerto posita sunt. Si permanseris inquit, alioqui & tu excidêris, & si illi non permanserint, in incredulitate inserentur: & quidem bonitati Diuinæ tribuit omne nostrum bonum, quod fide stemus, quod perseueremus: mala verò quod non perseueremus, & excidamur: iusticiæ seueritatem, inquit, vidi in eos, qui pereunt. si iusticiæ certè punienti peccata, peccatis igitur nostris mala debita sunt: bona verò nullis meritis, quæ reuerà non sunt ante eius erga nos operantem bonitatẽ: Concluſit enim, inquit, Deus omnia in incrudelitate, vt omniũ misereatur. In tanta ergo incertitudine arbitrij nostri, in tam

Mat.8.
Romano.11.
Epist.107.
Romano.11.

inper-

Universidad de Deusto
Biblioteca

inperscrutabili abysso diuini consilij quis de perseuerantia maximè audebit quicquam sibi tribuere, aut certus esse: Quis inquam illud: Ego vobiscum sum omnibus diebus: Et illud: Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum inæternum, vel sibi tribuet, vel auferet alteri quantumuis grauissimo peccatori. Quis non videat, donũ hoc perseuerantiæ vsque ad finem nonnunquam seruari peccatori maximo, & iusto non dari, certè latroni seruatum erat, Iudæ negatum. Cùm igitur hoc Ecclesiæ promissum sit, vt in ea nunquam defutura sit sanctitas, multis verò quantumuis prædestinatis non præstetur. Septies enim in die cadunt etiam isti, & resurgunt: sicut cecidit Petrus, & alij Apostoli, sicut David. Vnde & alijs in fine vitæ tãtùm datur sanctitas, vt latroni: Alij interdum habent, interdum amittunt, alij postquam semel acceperint, vsque ad finem retinent, cuius rei nulla est certitudo, nulla stabilitas: sed mira varietas, mira vicissitudo, quid restat quàm vt agnoscamus sic nunquam in Ecclesia sanctitatem deesse. Hoc enim est ei promissum à Christo, vt tamen non paucis eius membris etiam prædestinatis vel frequenter, vel quandoque desit. sed dum cadentibus alijs, alij stant: dum errantibus alijs, & cæcutientibus, alij in luce persistunt: idque ita vicissim, vt quisque in altero cadente sibi timeat, eumque adiuuet, vt ab eo versa vice adiuuetur, Ecclesia ipsa sancta perseuerat, non verò singula eius membra sancta semper sunt. etsi Brentius contra hoc centies clamet. Accedit his & tertiũ: Nã cùm Ecclesia sit humana Respublica, vt superiùs deduximus, quod ei dicitur, cui accipiendum est dictum esse? nũquid singulis? non certè, sed Reipublicæ ipsi. nec enim omnibus promittitur omnium scientia, & si dictum sit: Ponam omnes filios tuos doctos à Domino: non omnibus gratia miraculorum, etsi Christus dixerit, signa eos, qui crediderint, sequentur: in nomine meo Dæmonia eijcient, &c. non omnibus potestas iudicandi, & absoluendi, vel retinendi peccata conceditur, etsi dicatur: Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam nõ audierit, &c. Vnde Aug. verissimè dicit claues datas esse Ecclesiæ. Si enim hæc omnia passim omnium essent, quid aliud esset Ecclesia quàm confusa quædam, & inordinata Respublica,

Cap. 35. Idẽ probatur ex ratione humanæ Reipublicæ.

ea, in qua nullus alterius egeret opera: nullus alij se subderet, quod cùm absurdum sit in omni humana Republica, quonia repugnat ordini, de quo Paulus inquit, Quæ à Deo sunt, ordinata sunt: quantò magis alienum hoc esse debet ab Ecclesia, Republica, scilicet speciali Dei consilio instituta, & erecta, quòd etiam in ea maximè commendatur, eique maximè præcipitur. Omnia, inquit Paulus, honestè, & secundum ordinem fient in vobis. & in Canticis terribilis dicitur, vt castrorũ acies ordinata. In humana Republica, non omnes ingenui, non omnes liberi, non omnes consulares, non omnes artifices, vel milites, non omnes eisdem priuilegijs gaudent, non eisdem legibus gubernantur. In Ecclesia igitur in omnium gratiam, in omnium vtilitatem, & bonum promissa sunt ei, & concessa dona diuina, quorum singuli pro suo gradu participes sunt. Vnde Paulus non plus sapere, quàm oportet, dicit omnibus, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique secũdum quod Deus diuisit mensuram fidei. Et de cæteris rebus omnibus, inquit, nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes doctores? nunquid omnes virtutes? &c. Et, quod ad præsentem locum attinet, certè Ecclesiæ promittitur perpetua sanctitas in hoc seculo, qualis hic esse potest: Et tamen Paulus his certè, qui in Ecclesia erant, & quibus primò dicit: Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei: Quis hos dicet non fuisse in Ecclesia, non fuisse veros Episcopos, & presbyteros eius? & tamen illis ipsis dicit: Ex vobis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Est igitur Ecclesia semper sancta, sicut ciuitas inuicta manet, nec expugnata est, quàm diu in ea fortes viri perstant, & contra hostes strenuè militãt, eamque tutantur, etiam si desides fugiant, si alij capiantur, alij succumbant. Certè si ciuitati illi sic permanenti in bello promissa esset à Deo perpetua stabilitas, quis diceret nõ esse hoc impletum ob quorundam stragem, aut afflictionem: ita omnino non præualent aduersum Ecclesiam portæ inferi, peccatores scilicet, & peccata, etiam si præualeant aduersus quàm plurimos, qui priùs ei per veram charitatem vniti erant, &

1. Cor. 14.
Cant. 6.
Rom. 12.
1. Cor. 12.
Act. 20.

præde-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædestinati etiam, inter quos multi sunt, qui postea ex victis efficiuntur victores, atque hac ratione permanemus constantissimè, & alacriter in Ecclesia, eius gratiæ, eius promissionibus fisi speramus, etiam cùm cadimus, & vulneramur, nos resurrecturos: & quàm diu ab Ecclesia non recedimus peruenturos ad perpetuam sanctitatem, ei promissam non diffidimus. In nobis itaque ipsis, in infirmitate nostra tremimus, & deficimus: in Ecclesiæ societate respiramus, & conualescimus. Ad meipsum inquit Psalmus anima mea turbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico. terra Iordanis, & Hermonijm Ecclesia, terra baptismatis, ad quam per Baptismum ingredimur. Hoc enim Iordanis meritò nos docet, terra humilitatis, & anathematis, quod vocabulum Hermon significat: in qua abrenunciamus Sathanæ, & omnibus pompis eius. sequimur humilitatẽ eius, qui inquit, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Ex hac igitur terra, ex hac Ecclesiæ societate, cùm ad nosipsos turbatur anima nostra, memores sumus Dei promittentis illi: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo. Huius ergo, & orationum ipsius Ecclesiæ, quas pro peccatoribus fundit, memores confirmamur contra infirmitatem nostram. à monte inquit modico, à monte illo in oculis quidem hominum modico, & humili: re autem vera altissimo, & maximo Christo: monte inquam domus Domini, super quem scilicet Ecclesia ædificata est, à Christo inquã, à fide certissima, quã in eũ habemus: qua sponsum Ecclesiæ esse non dubitamus, memores sumus Dei. Nam extra Christi Ecclesiam nulla vera memoria, nulla vera inuocatio Dei. In ea autem etiam publicanus exauditur, cùm percutiens pectus dicit. Deus propitius esto mihi peccatori. Nónne ergo his omnibus manifestum fidei dogma hoc esse ostenditur, quo asserimus totam quidem Ecclesiam propitiationem habere præsentiæ Spiritus sancti, non singula mẽbra. Sed clamat contra hæc Brentius, primo suo loco de auctoritate principum, &c. quid inquiens noui, imò quid blasphemiæ audio? & me nõ sana mẽte esse vult, immanè inquies, quantus

Psalm. 42.

C4.34. Respondetur Brentio, & ex eius ratione ostenditur sancti tatẽ Ecclesiæ promissam non singulis membris conuenire.

quãtus hic est stupor? quãtus furor? at verò nos certis hoc fidei testimonijs probauimus, quæ nec Brẽtius negare potest. Peccant multi eorum, qui membra sunt Christi, & excidunt per peccatum, & rursum eidem inseruntur. non itaque singulis membris Ecclesiæ promissa est perpetua præsentia Spiritus sancti, non, inquam, promissa est etiam illis, qui vera sunt membra, quandoquidem excidunt à gratia, & nonnulli eorũ perpetuò separabuntur: ij scilicet, quos Paulus luget, qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immundicia, fornicatione, & impudicitia: non igitur terremur vocibus Brẽtij, & contumelijs, quid rationis adferat videndum est. Profectò, inquit, sicut Christus adest toti Ecclesiæ, ita adest singulis eius membris: Et sicut Spiritus sanctus gubernat totam Ecclesiam, ita etiam gubernat singula eius membra. Hoc est oraculum Brentij. adducit quidem statim Pauli verba, Si quis spiritum Christi non habet, is non est eius, & accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater: & non scitis quod membra vestra sint membra Christi, quod corpus vestrum est templum habitantis in vobis Spiritus sancti. Hæc omnia noscimus, & confessi sumus. Certè qui non habet spiritum Christi, alienus est & à Christo, & ab Ecclesia. nam, vt plurimum, membrum mortuum diximus hunc esse. quid illa omnia probant, certè omnes, qui spiritum Christi habent, & illi soli sunt membra eius: non tamen propterea eodem modo adest Christus illorum singulis, sicut toti Ecclesiæ, quod inconsideratiùs dixit Brentius: nunquid singulis adest perpetuò? nunquid singulis conuenit non te deseram, nec te derelin quam? Hoc quid aliud est, quàm Iouiniani commentum, nullum scilicet post Baptismum peccare posse. nanque baptizatis omnibus Christum, inquit Paulus, induistis. quod si nunquam eos desereret Christus, vt Ecclesiam non deserit, non laberentur, peccant verò, & quidem moriuntur in peccato: non igitur eodem modo adest singulis Christus, sicut Ecclesiæ, nec singulos ita gubernat Spiritus sanctus: vt Ecclesiam. nũquid in nullum verum Christi membrum præualent portæ inferi? Simon ille baptizatus nunquid non fuit membrum Christi

1. Cor. 12.

de

Actus. de quo dicitur, quod & ipse credidit, & cùm baptizatus esset adhærebat Philippo? & tamen de eo inquit Petrus, in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Denique hic fuit hæreticorum omnium parens, omniumque perditissimus. Nónne ergo caruit Brentius consideratione, Christum eodem modo adesse dicens singulis membris, sicut toti Ecclesiæ. Ecclesiæ nanque perpetuò, infallibiliter, & certò: singulis membris nec perpetuò, nec infallibiliter, sed modò adest, modò se subtrahit cùm scilicet labuntur. Denique nec certò credimus alicui membro adesse: quicquid velint de sua certa fide docere Brentius, & sui. non tenemur credere Spiritum sanctum gubernare istum, aut illum Christianum quemcunque, aut eius animam inhabitare per gratiam: nullus inquam de alio hoc tenetur credere, sed de Ecclesia omnes pariter id credimus, quæ est domus Dei, columna, & firmamentum veritatis. Sed addit Brentius non omittendam rationem. Paulus inquit corpus vnum est, membra habet multa: omnia verò mẽbra cùm multa sint, vnũ sunt corpus: sic & Christus. Et enim per vnum spiritum omnes in vnum corpus baptizati sumus, ex quo Pauli verbo sic inquit: Quid manifestiùs dici potest, quàm quòd sicut se habet corpus humanum, in quo sunt diuersa membra: ita se corpus Christi, quod est Ecclesia. Ergo inquit, sicut in humano corpore anima gubernat non tãtùm corpus, sed singula membra: nisi fortè, inquit, manus, aut pedes destituantur viribus, ita in corpore Christi spiritus gubernat totum corpus, & singula eius mẽbra. quibus dictis quasi triũphãs: audet, inquit de me impudéter dicere Spiritũ sanctũ gubernare totã Ecclesiã, non autem singula eius mẽbra. atqui ita me ab hominum conuictu expellit. quid, inquit, cum tali homine conferas, qui videtur sensu communi carere. ne igitur tali sophismate decipiantur simpliciores, & Brentius glorietur contra tam certam veritatem dixisse. qua nos capite illo de concilijs asseruimus, posse peccare, & errare quemlibet Christianorum, non verò totam Ecclesiam: quod cùm de Ecclesia vera Christi ipse fateatur, & nos de singulis membris tã apertè falsum esse ostenderimus: si hæc considerasset, nõ tam facilè

facilè leuissima apparentia putasset se obtinuisse. cadere possunt singula membra veræ Ecclesiæ, & quotidie cadunt multa. nunquam verò tota Ecclesia. Sed iam ad rationem. Sicut se habet corpus humanum, in quo sunt diuersa membra, sic se habet Ecclesia. Similitudo hæc est aptissima quidem, sed similitudo, & metaphora: qua scilicet, obseruata proportione, est semper vtendum. Cùm igitur ille addit. Sed anima gubernat totum corpus, & singula membra: ergo ita Spiritus sanctus. Aduerte animam singula gubernare, singula membra viua, & vnita corpori: at verò separata, & mortua, iam non viuificat. Ita nos dicimus singula membra viua Ecclesiæ, quàm diu corpori adhærent, Spiritus sanctus gubernat. quòd si se separant, iam non gubernantur à Spiritu sancto. qui tamen non propterea totum reliquum corpus deserunt. Argumenta, quæ ex mysticis verbis sumuntur, frequentissimè fallunt, nisi attentè dissimilitudo cogitetur: si singula membra corporis humani haberent natura sua libertatem, & mutabilitatem, vt possent se separare à corpore: & rursum illi vniri: haberet verò anima inseparabilem coniunctionem cum toto corpore: tunc per omnia corpus humanum simile esset Ecclesiæ. tunc enim posset anima viuificare modò hæc membra, modò illa: & ipsa, quæ viuificat, si separarentur non viuificaret: & vnita rursus viuificaret. cùm tamen corpori semper coniuncta essent. Hæc omnia fingenda sunt, vt illa sit omnimoda similitudo corporis humani, & Ecclesiæ, & sic illustrat etiam veritatem, quam asserimus, sed quia illa duo desunt, nam membra nostra natura semel mortua, non rursum viuificantur, nec libertatem vllã habent: nec aĩa cõiunctionẽ indissolubilẽ cũ toto corpore, neq; cũ singulis partibus oppositũ oĩo eadẽ ratione sequitur. Agamus ergo gratias Brẽt. qui hac similitudine illustrauit etiã quod asserimus, si modò dissimilitudo cogitetur: imò veritati ipsi potiùs illas agamus, quæ efficacia sua, eũ magis impugnatur, fortior redditur. & Brẽtius videat nõ cõmuni sensu carere, qui totã Ecclesiã perpetuò asserit gubernari à Spiritu sancto, & errare nõ posse totã, nec totã peccare: singula verò mẽbra quotidie errare, & peccare. Quoniã igitur quod ad cõfir-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ca.35. Tria quæ Brē.cō cedit: Peccatores scilicet misceri Ecclesiæ, et membra mortua: & Spiritū sanctū per eos mittere sua dona, satis esse ad causam obtinendam

mandam veritatem de sanctitate Ecclesiæ, atque peccatis, quę in ea sunt, pro captu nostro satis dictum est: audiamus iam, quid circa hoc Brentius proprio loco de Ecclesia asserat: quid in nobis impugnet: vt quàm sit constans, & certa eius doctrina ostendatur. Igitur dum confert Ecclesiam verè catholi eam, vt ille appellat, nostræ, quam scilicet ego describo, & cuius me esse membrum toto corde, & affectu confiteor, & cutio, catholicam Ecclesiam ex Dei electione pendere, renasci ex Deo, non habere maculam, aut rugam asserit: cùm videtur sibi, me nihil horum in ea agnoscere: sed quàm verè, ostendunt, quæ proximè diximus. agnoscimus enim, & prædicamus Ecclesiæ sanctitatem. Interim tamē Brentius in ipso quasi principio huius loci sic inquit. Nam eius verba adferam, ac fatemur quidem, quod præcipuè in publica pace, & tranquilli
,, tate multi impij hypocritæ, & impœnitentes, qui verbo tan-
,, tùm Christū, & Euangeliū eius confitentur: corde autem alie
,, ni sunt à Christo, non tantùm admisceantur veræ catholicæ
,, Ecclesiæ, sed etiam tanta sint hypocrisi, tanta potentia, & au-
,, ctoritate: vt fiant externi gubernatores Ecclesiæ, ac videantur
,, in vero populo Dei, qui est vera catholica Ecclesia, longè om
,, nium primi. Sed hoc vtcunque se habeat, certè firmum, fi-
,, xumque manet, quòd, qui non verè credit in Christum, nō sit
,, verum veræ catholicæ Ecclesiæ membrum. Hæc quidem in
principio. sed iam prope finē audiamus, quid dicat. Post multa enim opprobria in me, & in Ecclesiam, quam describo, sic loquitur. At enim dices, quid si Asoticus quispiam (sic enim libet ei loqui) impio, & Lucianico corde admisceat se Eccle-
,, siæ veræ catholicæ: & profiteatur vnà cum pijs doctrinā Chri-
,, sti, tanta eloquētia, tanta prudentia, tantaque vitæ externæ ho
,, nestate: vt eligatur publico suffragio in ministrum, adeóque
,, Episcopum Ecclesiæ: num ministerium huius esset veræ Ec-
,, clesiæ inutile, & inefficax: an qui per hunc baptizarentur, non
,, essent verè baptizati, an qui per hunc audirent cælestem do-
,, ctrinam, non possent Spiritum sanctum accipere? Hæc igitur
,, proposita quæstione inter respōdendum sic ait: sed etsi hypo-
,, critæ sint in externa congregatione, & societate Ecclesiæ: ve-
,, ræ tamen, cùm sint animo impio, Lucianico, & Epicureo, ni-
,, hil certiùs est, quàm quòd non sint illa catholica Ecclesia, ad-
,, uersus quam portæ inferi prævalent: & statim ita loquitur. ni-
,, hilominus autem si fuerint ad ministerium Ecclesię vocati, &
,, docuerint, quæ pia sunt: atque administrauerint sacramenta
,, iuxta Christi institutionem, ipsi quidem sint Deo abominabi-
,, les, ministerio autem eorum id efficitur, quod Dominus or-
,, dinauit. Incrementum autem non est hominis ministri: sed
Spiritus sancti, qui cùm sit liberrimus donorum suorum dispēsator, & misereatur cuius vult, non respicit, quod ad se attinet, organi indignitatem: sed suam ipsius clementiā, & liberalitatem. Itaque repudiamus Donatistas, qui docuerunt Spiritum sanctum non esse per ministerium malorum efficacem. Vide itaque tria ipsum disertè concedentem: malos admisceri veræ, & catholicæ Ecclesiæ esse in externa congregatione, tamen hos non esse vera veræ catholicæ membra: denique ministeria horum non esse inefficacia, sed fieri illis id, ad quod Dominus ordinauit: modò sint vocati, & iuxta institutionem Christi doceant, & administrent sacramenta: contrarium esse Donatistarum errorem. Certè nobis hæc tria satis sunt ad nostra confirmanda. Damus hæc illi. sed quid rogo tunc impugnat in nobis? aut quomōdo nos contraria diximus? quod enim ad primum attinet, nos ingenuè asserimus, peccatores etiam manifestos esse in Ecclesia, quod non est aliud, quàm misceri eos Ecclesiæ, quod ille inquit, aut esse in externa societate Ecclesiæ, quod etiam ille dicit. Certè Aug. & catholici Episcopi contra Donatistas vtrunque asserunt, vt suprà ostendimus. miscentur mali Ecclesiæ, & sunt mali in Ecclesia, sagena est, area est, & ager in quo seminatur triticum, & superseminantur zizaniæ: & vt satis ostendimus, falsum commentum est, duas Ecclesias inuehere, alteram externam, & visibilem, alteram occultā, & ad hanc referri verbum hoc: Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, non ad visibilem. Vera Christi Ecclesia illa est, quam Apostoli congregarunt, quæ per totam Iudæam ædificabatur, & inde impleuit terram. Hæc est, aduersus quam portæ inferi non prævalent, cuius gloria

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab intus,exteriùs autem circumamicta est varietate. In hac vna Ecclesia,quam semper scriptura,& Patres cõfitentur,miscentur mali,& sunt mali:& qui primum admittit,& secundum negat, certè pugnam quærit verborum, non rem. Sicut, qui in externa societate Ecclesiæ dicit eos esse, non autem in Ecclesia. nos verò cum Paulo circa quæstiones,& pugnas verborum nec languendum,nec immorandum esse sentimus,contẽtiones verborum ad nihil aliud vtiles esse, quàm ad subuersionem audientium. quare illa non curamus. Sint peccatores in Ecclesia,vel misceantur illi,dicat vt volet,nihil aliud exigimus.Quod circa secundum magis vide. Dicit ille, peccatores non esse vera Ecclesiæ membra: nos dicimus non esse viua membra.Ita enim disertè asserimus,quod ipse refert. & addimus,charitatem necessariam esse, vt quis sit viuum mẽbrum Ecclesiæ,certè mortua non sunt vera membra.Loquimur enim de veritate vitæ illius,quæ à Christo est.Sicut enim homo mortuus non est verus homo: ita manus mortua, aut caput mortuum,aut pes, vera non sunt,quanquam si natura haberet,vt hæc membra semel mortua viuificari possent, retinerentur certè spe illa.Itaque mecum sentit dicens,peccatores non esse vera membra Ecclesiæ: qui dico non esse viua membra,sed mortua.Denique circa tertium, cùm ille fateatur malos ministros esse,& Episcopos Ecclesiæ, & ministeria eorum efficacia esse:si sint vocati, & Christi institutionem sequantur.nos verò nihil vlteriùs requiramus,quàm quòd propter peccata non liceat eos, non agnoscere, aut obedientiam subtrahere ab his,qui legitimè ad ea ministeria vocati sunt: Quid ergo est,de quo contendit?nam, quod post ea, quæ retulimus addit: si autem impij, & hypocritæ docuerint pugnantia cum cælesti doctrina:& peruerterint verum sacramẽtorum vsum: nulla amplius nec reuerentia, nec obedientia obstricta est eis catholica Ecclesia,etiam si fuerint antea legitimè vocati,& longa ordinaria successionis serie illustres. nõ grauatim etiam ei concedimus, etiam si Angelus de cælo aliud euangelizauerit, anathema sit.certè hæresis,& professio falsæ fidei prælatum etiam legitimum priuat auctoritate: & omnino

omnino eijcit ab Ecclesia.quanquam iudicium huius rei non ad quoslibet pertineat. sed omnino falsissimum est quod dicit, se probasse nostros prælatos contraria cælesti doctrinæ docere,& peruertere verum vsum sacramentorum: certè qui manifestè hoc facit, meritò non est agnoscendus vt prælatus Ecclesiæ.sed etsi iudicio Brentij, aut suorũ ita sit: negantibus illud, non paucioribus testibus, quàm sint ipsi,non propterea licuit illis se subtrahere.vt minimum, causa est dubia:iudicium ergo requirit.certa, & manifesta hæresis iam in Ecclesia iudicata,si manifestè asseratur, peccatum est præcedens ad iudicium.quæ Brentius,& sui accusant non sunt huiusmodi. sed de his satis.Ad tertium illud redeamus: candidè interpretamur verba Brentij,atque cum eo sentimus, legitimè vocatum, & ordinatum, quod ad sacramenta attinet, etiam si sit hæreticus,& impia doceat,si in eis administrandis institutum Christi sequatur,ipsa perficere:& Deum per ea, ad quod ordinata sunt, nobis conferri, quod ad doctrinam verò, si doceat consona veræ fidei,atque ea præcipiat audiendum esse: & si vtrunque eorum ille in suam perniciem efficiat, & mortuum tãtùm membrum sit Ecclesiæ.Hæc tria integrè causam totam,quam præcipuè Brentius agit, de sanctitate Ecclesiæ, vt ab ea peccatores excludat,ita definiunt, & terminant: vt ex eis non tantùm omnibus,quæ Brentius circa hunc locum contra nos adfert, responderi:verùm etiam sibi contrarius,& manifestæ veritati,dum nihil aliud quærens, quàm quod reprehendat,nec mea, nec sua satis expendit, ostendi facillimè possit.quod mox faciemus.Sed priùs tria hæc sunt nobis ante oculos posita, in quibus tota causa est:in quibus nõ potest à nobis recedere,nisi à seipso etiam recedat Brentius.Primũ, peccatores admisceri Ecclesiæ, esse in externa congregatione Ecclesiæ:addo,esse in Ecclesia,quod idem est,quod misceri,vel esse in externa conuersatione, & congregatione: nec est inter hæc nisi nominis contentio. Secundum,peccatores non esse viua membra Ecclesiæ,& ideo non esse vera membra eius,nec certè veram Ecclesiam, quàm diu tales sunt. Tertiũ, perfici à Deo ministerio eorum id,ad quod ordinati sunt,esse

Cap.36. Ex illis tribus calũniæ Brẽtij ostendũtur,& confutantur: circa veram, quã confitemur Ecclesiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

veros pastores, & Episcopos: certè nihil vltra nos asserimus. Quid ergo vociferaris Brenti, in loco de scriptura cõtra me, quòd palàm, & impudenter affirmem, non requirendam esse gratiam, aut interiorem aliquam occultam virtutem, vel in ministris, vel in membris Ecclesiæ, præter publicam, & legitimam professionem fidei, & vocationem: quid inquam ita clamas, & in alium sensum detorques verba mea, quàm quem apertissimè ipsa loquuntur? non requirendam Dei gratiam, aut occultam virtutem interiorem in ministris, vel membris Ecclesiæ? absit vt dicam. maximè requirenda est, & requirit illam Deus: Sancti inquiens estote, quoniam ego sanctus sum. & confert eam, idoneos, inquit Paulus, nos fecit ministros noui Testamenti non litera, sed spiritu, & ipse Christus, Accipite, ait, Spiritum sanctum, &c. requirit illam excellentia status eorum, sanctitas rerum, quas administrant, requirunt hæc omnia gratiam, & virtutem in ministris: vt dignè suo fungantur officio: requirunt, inquam, vt ipsi salui sint, ne, vt Paulus inquit, cùm alijs profuerint, siue docendo, siue sacramenta administrando, siue denique orando, & offerendo pro populo, ipsi reprobi efficiantur. Cæterùm vt Ecclesiæ munera integra perficiant, & ad eam pertineant, diximus eam non requiri: quod tertium illud à te concessum habet. Fateris enim Donatistarum esse, quòd per manus peccatorum non perficiantur ministeria, ad quæ ordinati sunt: Sic habent verba nostra, quæ ipse citasti. neque gratia, nec virtus aliqua occulta requi-
» renda est, vel in ministris, vel membris eius, præter publicam,
» & legitimã fidei professionẽ, & vocationem, vt ad eam perti-
» neant, & eius munera integra perficiant. Hoc tu asseris. aut igitur id aduertisti verbis meis significari, & data opera sic peruertisti, vt, qui legerint, putent me, simpliciter ea non requiri, dixisse, quæ dixi, non requiri ad hoc, vt integra sint Sacramenta: & certè non excusari potes à grauissima impostura: aut non consideraſti, quantùm interſit inter non requiri simpliciter gratiam, & non requiri ad integritatem Sacramentorũ. & certè nescio quomodo excuseris à magna inconsideratione, rei videlicet, quæ prçcipuè agebatur. Nos, vt propter peccata

peccata quæcunque, quibus omnes subditi sumus, non reijciatur auctoritas prælatorum, non reddantur incerta sacramenta, & ministeria Ecclesiastica, denique ne propter illa, incerta Ecclesia ipsa fiat: dicimus non requirendam gratiã, aut interiorem virtutem, vt hæc omnia integra, & certa maneant, & constent nobis. Vnde quid ea scriberemus aduertimus, ne diceremus, sacramenta integrè perfici, per manus impiorum: quoniam quantùm attinet ad ipsos, & rationem agendi, certè illi maculant sacramenta. Offertis, inquit Dominus, super al- Mala. 1.
tare meum panem pollutum: & dicitis in quo polluimus te, &c. malè itaque illi faciunt, malè administrant, & corruptè: sed ipsa integra manent. & per ea Deus operatur, quod Brentius concedit. Quid ergo aliud agit hæc mea referens, & peruertens, quàm occasiones quærere calumniandi. Nam eadem ratione, eodem loco mox citat verba mea, in capite de concilijs: in quibus dico, neque ex electione Dei, aut vera fide, & charitate, interiùs pendere: vt quis ad Ecclesiam, cui dictum est: portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, pertineat siue subditus, siue prælatus: sed vt viuum membrum eius sit, hæc requiruntur. & mox ea peruertit, ita in me dicens: os impudentissimum, audes tu Ecclesiam illam, aduersus quam non »
prævalent portæ inferi, hoc est veram, & firmam, ita infama- »
re, vt affirmes eam nec ex electione Dei, nec ex vera fide, & »
charitate pendere. Hæc Brenti ego non dixi pendet Ecclesia ex electione Dei, sed vt quis pertineat ad Ecclesiam tanquam membrum, scilicet mortuum, non pendet ex hoc, quòd electus sit à Deo: aut veram habet charitatem. hoc disertè diximus, &, vt nulla restaret ambiguitas, dicimus illa requiri, vt sit viuum mẽbrum Ecclesiæ. certè tanta inconsideratio: (ex qua in contrarium sensum detorta sunt, quæ diximus: & ipse expositus fui irrisui, & contumelijs) Hæc inquam inconsideratio, vt quantùm fieri potest, te excusem, indigna est viro docto, & graui. Iudicent hoc quicunque sine affectu possunt. Ego autem tantùm dicam Brentio, si malè locutus sum, testimoniũ perhibe, si autem bene, quid me lingua contumelioſa cædis? Ego quidem, quod ad me attinet, condono illi: qui illum se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quuntur,videant,quem sequuntur doctorem.tam præcipitè, tam inconsideratum , tam pronũ ad aliena reprehẽdenda,& inferendas contumelias, & ad rixas verborum concitandas. Sed hæc omnia Bren. reiecta illa distinctione,quam superiùs improbauimus,de duplici Ecclesia,externa scilicet,& occulta:constat apertè reiecta esse.nam eò tendunt omnia sua:cùm inquit Ecclesia illa,cui dictum est,portæ inferi,&c. hoc est vera,& firma:hoc inquã reiecto, quod superiùs fecimus ex certa patrum doctrina , & quod solùm habet pugnam verborum,non aliud sunt,quàm secundum in quo superiùs ambo conuenimus:non sunt peccatores viua membra Ecclesiæ:atque ideo nec vera.Iuxta hæc si expendas cætera,quæ proprio loco de Ecclesia Brẽtius loquitur,quid aliud inuenies, quàm sanctitatis Ecclesiæ prædicationem , quam nos agnoscimus, & prædicamus:nec ea,quæ nos refert dixisse de Ecclesia,cũ ea pugnãt.Nos fatemur Ecclesiã ex gratuita, & clemẽti electione Dei renasci: non ex carne,& sanguine:sed ex Deo. verùm electionem,& successionem legitimam necessariam esse prælatis, & ministris eius pariter docemus:vbi legit Brentius nos dixisse,Ecclesiam non constare ex electione Dei,nos dicimus Ecclesiam agnoscere synceram prædicationem verbi Dei, & verum vsum sacramentorum, sicut tradit prophetica,& apostolica doctrina:in ea esse synceram doctrinam, rectum vsum sacramentorum: agnosciq; Christum vnicum suæ salutis auctorem,& caput. cumque his nihil pugnare,traditiones non scriptas recipere,& ministros,quos Christus illi præfecit, vicariumq; suũ in terris agnoscere.sed de his postea.nunc illud cõstat,quod admisso tertio illo,peccata scilicet non priuare auctoritate, & potestate Ecclesiastica pastores Ecclesiæ, & ministros Christi,nec inualida reddere eorũ ministeria,quod Brentius fatetur,frustrà adduci, quicquid pertinet ad detrahendum vitæ,& moribus prælatorum.cùm nos hoc tantùm saluum esse velimus,vt propter peccata eorum nec inefficacia,nec incerta reddantur illorum ministeria . Percurramus vel obiter, quæ priori loco,de potestate scilicet principum, adducit contra ministros Christi Episcopos,& cęteros Eccle siæ

Cap.37. Quã iniquè B. mores ministrorum Ecclesiæ corruptos exaggerãs inde ab auctoritate, & gradu eos deijcere conetur cõtra seipsum.

siæ rectores , & quidem omnia hæc prolegomena Brentij vbique scatent contumelijs,& detractionibus catholicorum omnium Episcoporum, & reliquorum ministrorum Ecclesiæ catholicæ . sed in primo illo loco nulla alia ratione,quod de legitima successione dicimus, impugnat , nisi ex peccatis eorum. Adducit Annæ & Caiphæ peccatum in morte Christi.Vriæ summi pontificis , qui instituit in templo altare impium:filiorum Heli,aliorum denique sacerdotum, & prophetarum: & quod legitimi prophetæ Hieremias , Esaias & Ezechiel in eos loquuntur . Et quod Ioannes contra Pharisæos etiam,& Scribas inquit,Nolite dicere patrem habemus Abraham.Et quod Christus Dominus:Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite:nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem dixi vobis, quam audiui à Patre meo : hoc Abraham non fecit.Ex quibus omnibus successionem Episcoporum,legitimamque electionem non facere veros successores Apostolorum clamat. In Canonibus , inquit, continetur, non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum : sed qui exercent opera eorum.Et rursum nos, qui præsumus non ex locorum,vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus,& huiusmodi quędã,quæ Gratianus distinctione 20.Decretorum colligit, quibus omnibus nihil aliud respondendum est,quàm vt nobis respondeat Brentius, sint ne veri Episcopi,& veri ministri:sint ne ministeria eorum efficacia.quod cùm ita esse fassus sit, non est quod vltrà requiramus.nam & nos etiam fatemur, quòd cathedra,locus,electio humana non faciunt sanctum, non faciunt verum filium Apostolorum.& quod ad ipsos attinet,qui hæc occupant,non solùm non eis prosunt:sed obsunt quàm plurimùm. Hoc nos fatemur.Cæterùm Ecclesiam non inde reddi incertam, neque inefficacia eorum ministeria esse: quod nos agimus, & Brentius ipse testatur. Efficit, inquit , Spiritus sanctus per malos ministros id,ad quod ordinantur. Vetus igitur illud verbum pontificum,& sacerdotum apud Hieremiam non peribit: lex à sacerdote,nec consilium à sapiente , nec sermo à propheta arroganter dictum . quod ille contra nos affert sine timore

Dei,ab impœnitentibus, & sceleratis meritò reprehenditur. sicut & alibi idem Propheta,nolite,inquit, confidere in verbis mendacij dicentes templum Domini: templum Domini: templum Domini:templum Domini est.ideo mendacium dicitur,non quia templum Domini non erat:sed quia à sacrilegis cordibus Deum contemnentibus, & nihil minùs, quàm diuinam spectantibus reuerentiam, & nunc sumentibus superbiendi,& cõtemnendi Dei leges ansam, dicebatur.Sic omnino Episcopus, aut doctor,qui in sua auctoritate sapientiæ, & gradu gloriatur vitæ sanctitatem non curans, arguitur à propheta,at verò subditorum est, quod Christus dominus iubet:Quæcunque dixerint vobis seruate,& facite:secundum opera eorum nolite facere.quod de illis dictum est,qui supra cathedram sedent Moysi: qui legitimè adepti sunt auctoritatem docendi,& gubernandi Ecclesiam.His dicit Christus, ex patre diabolo estis,&:væ vobis,qui clauditis regnum cælorũ ante homines: &, serpentes, genimina viperarum, & tamen non eos negat sacerdotes, nec ab eorum obedientia subtrahit populum:nec ab eorum templo, aut sacrificijs sese vnquã segregauit. nec translato iam sacerdotio per mortem eius, quàm diu synagoga,vt Augustini verbis dicamus,cum honore ducebatur ad sepulcrum:ante plenam scilicet prædicationem Euangelij, Apostoli ab eorum pontificatu se subtraxerunt:sed potiùs illos manifestè agnoscunt principes populi, & seniores,inquit,Petrus. Denique Caiphas ipse,quem Brentius nominat,prophetasse dicitur à Ioanne Euangelista: non, inquit,à semetipso,sed cùm esset pontifex anni illius. Pontifex itaq; erat,& de illis,quibus Christus dixit,vos facitis opera patris vestri:ille homicida erat ab initio, non tamen mentitur Euangelista, qui esse sacerdotem dicit. multò minùs Deus ipse fallitur,qui prophetiæ dono dignitatem eius honorat.& quid pluribus opus est, Brenti, nónne fassus es, quòd malorũ ministerio efficitur id, ad quod ordinati sunt à Deo. hoc solùm nos asserimus non propter peccata ministrorum inutilia reddi ministeria eorum:aut Ecclesiam propter peccata illorum perire.Sed quia Brentius multa frequenter ex peccatis

Mat. 23.

Act. 4.

catis,& erroribus sacerdotum veteris legis, & ex ijs, quæ aduersus eos in prophetis dicuntur, maximéque ex peccato Annæ,& Caiphæ, & cæterorum in mortem Christi coniuratorum clamat, quæ turbare possint simplicium fidem, non sunt omnino omittenda:sed paucis respõdendum illis. Quod igitur multis verbis agit priori loco,quò probet pontificibus veteris legis, vniuersoque populo Israel non minùs factas esse promissiones de præsentia Dei, quàm nunc Ecclesiæ post diuulgatum Euangelium,nõ omnino reijcimus. quanquã enim plura testimonia eorum, quæ adducit,ad Ecclesiam Christi meritò referri possunt,& certum est Ecclesiæ temporis gratię reuelatæ plura esse promissa, quod attinet ad assistentiam Spiritus sancti,illustrationemque eius,& gratiæ dona:quàm antiquæ illi synagogæ:Ideoque moderatiùs loquendum est quàm Brentius loquitur,cùm inquit,non minùs Israeliticum populum habuisse promissiones præsentiæ Dei quàm nunc Ecclesia:tamen hæc omnia missa faciamus,quod ad præsentem locum non pertineat de statu veteris legis dicere. Illud constat promissionem certissimam illi populo factam fuisse de Messia ex eo nascituro, deque conseruatione illius populi,quatenus ad hoc opus erat,vt promissio Christi certò impleretur. Sic est illud Psalmi.Semel iuraui in sancto meo,si Dauid mentiar,semen eius inæternum manebit:Et deinceps:Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint,& post cætera, quæ eo loco scripta sunt: visitabo, ait,in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum:misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Hæc est summa,& vt Paulus inquit,finis legis,Christus scilicet.Cæterùm & illud valde credimus diuinæ bonitati, scripturæque sacræ,& exemplis sanctorum consonum est:nunquam defuisse etiam in illo populo aliquos,apud quos & fides, & expectatio illa venturi Christi, vitaque consona legi, imò & gratiæ Christi perseuerarint. Ii enim sunt, qui eundem spiritum habuerunt, quorum quàm plurimi etsi sub vmbra illa legis, & carnalium promissionum figuris agerent: tamen iam ad gratiam Christi,& nouum Testamentum pertinebant.hoc ostendit

Cap. 38. Ex errore Annæ, & Caiphæ confirmatur, non de futurâ veritatẽ doctrinæ in Ecclesia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit,quod frequenter scriptura sancta loquitur de sanctis,fidelibusque illorum temporũ,in quibus maximè iniquitas prævaluisse videbatur in illo populo: vt tempore Achab iniquissimi illius regis,quando Elias sibi videbatur solus superesse in decem illis tribubus separatis à Iuda:& tamen curæ fuit Deo multorum milium seruandorum etiam in populo illo idololatriæ dedito,& alieno à Dei cultu.sed & tempore ipso aduẽtus Christi,cùm ipse nasceretur,& cuncta in illo populo cõfusa,& quidẽ deiecta ferè videretur, amisso iam regno, & ad alienigenam delato,& redactis omnibus ad imperium Gentium, historia ipsa Euangelica nos docet non defuisse quàm plurimos iustos,& incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela,viuentesque in expectatione Christi, vt Zacharias ille,Simeon,Anna,& cæteri,quibus ipsa in templo loquebatur de illo, omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.Ex his igitur & multis alijs illud libenter amplectimur, illi populo promissiones præsentiæ Dei, gratiæque eius factas fuisse.Et quoniam sacerdotibus doctrina legis commissa erat,illud etiam probabile est, nunquam defuisse Deum illis omnibus: vt permitteret omnes errare, & populum,qui eos sequebatur,in errorem ducere,quàm diu ab illis necessariò pendebat populus.quod verba ipsius Christi maximè confirmant.Super cathedram Moysi sederũt Scribæ, & Pharisæi: quæcunque dixerint vobis seruate, & facite:secundum verò opera eorum nolite facere. Sed ex his Brentius multò acriùs in nos insurgit:& ait, si sacerdotum iudicium populus sequi tenetur,& iuxta legis edictum mòrte plectendus est, qui non obedierit sacerdotis imperio,moriãtur igitur Apostoli,& Ioseph nobilis ille decurio: imò & ipsa beata virgo, quia non consenserunt consilio Annæ, & Caiphæ, in morte Christi. Hoc ille inquit.quibus & nos hoc addimus: quod si hæc vera essent saltem haberentur illi, qui morti Christi non consenserunt transgressores præcepti illius: Quæcunque dixerint vobis seruate,& facite.siquidem sacerdotes tunc dicebant populo, Christum seductorem esse, & falsum Prophetam. sed quum ijs respondemus non fuisse illos à populo audiendos tam

Luce.1.

tam apertè contra legem, & Prophetas errantes in Christum Brentius colligit, illud saltẽ sequi errare etiam posse vniuersos totius Ecclesiæ Episcopos:imò iam errasse asserit omnes, quotquot sunt.siquidem agnoscunt omnes Ecclesiam Romanam,& ab ea suscipiunt ordinationem, & propterea à Brentio,non alio loco ducuntur, quàm, vt ille inquit, Synedrion Annæ,& Caiphæ. Iis igitur est nobis respondendum: quod breuissimè iam faciemus:imò ex illis nostra confirmari ostendimus.Errarunt summi sacerdotes, & vniuersum concilium eorum,& quidem grauissimè in Christum suum,& Deum,eo Act.4.
ita permittente:imò hoc,errore eorum implente (vt Ecclesia in oratione inquit)quæ manus sua,& consilium fieri decreuerint. Sed hic tam necessarius (vt ita dicamus) error irrepsit in eos,eo tẽpore, quo iã impletis promissis legis,& præsente Christo,nõ ab eis necessariò pẽdebat salus populi, & doctrina.vsq; ad aduentũ Christi status ille primus populi,& sacerdotum illud antiquum Aaronis necessarium erat,& ab eo pendebat populi gubernatio.iam verò præsente Christo vero legislatore,& doctore,sacerdote, atque pontifice ijs, quibus ipse apertissimè se manifestarat,miraculis,& operibus, de quibus ille ait.Opera,quæ ego facio nomine Patris mei, illa testimonium perhibent de me:non amplius necessarij erant sacerdotes legis. Itaque hoc exemplo comprobatur manifestissimè impleſse Deum,quod promiserat populo Israel: nec vnquam defeciſse omnino à veritate sacerdotum doctrinam: quousq; priùs cessasset legis ipsius obligatio,& necesitas. Sicut igitur tempus legis vsque ad Christum: vel, vt ipse inquit, vsque ad Ioannem,scilicet prædicantem pœnitentiam,& Christũ ostendentem durauit: post hæc verò,incipiẽte tempore gratiæ,permissi sunt cadere legis illius doctores, & sacerdotes: Sic omnino cùm tempus gratiæ,atque Ecclesiæ Christi vsque ad finem seculi perseueraturum sit,dicẽte ipso Christo, vobiscum sum vsque ad cõsummationem seculi:necessarium sit, vt tam diu perseueret sacerdotium, atque doctrina veritatis apud eos,quibus Christus illa commisit.ita vt vel hoc exemplo erroris sacerdotum in mortem Christi meritò confirmari possit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit,durante hoc seculo non defuturam doctrinæ veritatem in sacerdotibus Christi.Vbi non est omittẽdum, quod ille error vtilis etiam fuerit, & vt Paulus inquit, illorum cæcitas salus fuit Gentium, & reconciliatio mundi:non quidem hoc illorum merito, sed Dei prouidentia. id tamen manifestè videmus,illum errorem nec in omnibus etiam tunc,cùm Christus crucifigeretur,prævaluisse:sed in illis,in quibus gratia eius,& lux locum habuit: & qui iam ad legem gratiæ pertinebant.si non in omnibus perseuerauit integra fides: mox tamen ipso resurgente restaurata est.Itaque error ille nihil detraxit saluti illius populi,quanquã multi ex eis ceciderint: & tamen etiam postquam errauerant,& lux Euangelica ostendi cœperat,honorabatur illud sacerdotium.vt Cyprianus ex Paulo probat, qui principem sacerdotum fassus est,se non nosse: cùm parietem dealbatum illum vocasset.Sed de his postea,nunc satis sit respondisse Brentio de errore hoc Annæ, & Caiphæ. Sequamur iam cætera. Multa alia adducit Brentius aduersus Episcopos:Inter quæ citat & Basilium deplorantem mala Ecclesiarum Orientalium,quæ certè,vt ille fatetur, ex hæresi emanabant:non patet,inquit,aditus ad primam Ecclesiæ sedem, nisi per impietatem. Itaque, qui grauiùs blasphemat, dignior est ad Episcopatum populi. perijt auctoritas sacerdotalis, quid id rogo aliud est, quàm quod nonnunquam non per portam, non per ianuam,vt Christus inquit, intrant quidem Ecclesiã: sed tanquam fures se intrudunt, qui cùm legitimè non succedunt,meritò nec veri pastores sunt agnoscendi. sed nunquid defecerat propterea Ecclesia? Deerant multi alij in Oriente, inter quos erat Basilius? nónne ille, & reliqui, qui cum eo erant scribebant ad Occidentales Episcopos catholicos, flagitantes vt secum in concilium conuenirent? Basilius eo loco persecutiones deplorat ab hæreticis illatas catholicis Episcopis:contra hæreticos loquitur,& violentos vsurpatores Ecclesiarum, qui non erant legitimi successores: & vtrunque ibi confitetur illorum persecutiones,& propria peccata.Ita enim sequenti epistola de eadem re eisdem loquens ait, vos ad cõmiserationem commouebũt afflictiones nostræ, quibus propter

Cap.39. Locus Basilij à Brẽtio citatus explicatur. Epist.69.

pter peccata nostra traditi sumus. Quorsum itaque hæc adducenda erant contra auctoritatem legitimè vocatorum Episcoporum?Addit Brentius ex libro 14. histor. Nicephori errorem Theophili Episcopi Alexandrini, quod Synesium philosophũ non credentẽ resurrectionẽ baptizauit, & ordinauit sacerdotẽ: & inquit,vbi est hic Spiritus sanctus?quasi nos vnquam dixerimus,aut suspicati fuerimus, nullum Episcopum errare posse.Totam Ecclesiam tantùm dicimus nunquam errare,totum eorum concilium speramus nunquam destituendum Spiritus sancti præsentia: cæterùm singuli eorum errare possunt: & frequenter errant. quod verò de Moyse insigni quodam heremita refert,adhuc ex Ecclesiastica historia apud Ruffinum:quòd à Lucio Episcopo Alexandrino non permiserit se ordinari,nónne manifesta est impostura, & bonam fidem desiderari facit in Brentio.cùm apertè historia illa ostendat Lucium hunc Arrianum fuisse, & non legitimè: sed vi recedente Petro successore legitimo Athanasij, & Romam aduenite eum inuasisse Ecclesiam Alexandrinam? Quorsum igitur dissimulat Brentius, & inquit, ille Lucius etsi profitebatur,se rectam fidem sequi,tamen persequebatur reliquos Episcopos.Dixit quidem ille hoc Moysi: at verò sanctus ille, & integer eum tanquam apertè hæreticum, & illegitimè intrusum in Ecclesiam,& persequentem catholicos omnes meritò noluit agnoscere.Lõgè hæc causa est Brẽti à vestra. At inquit ille,nos consecrationem,seu ordinationem peteremus ab his, (de Catholicis scilicet loquens) qui nõ solùm sunt sæuitia crudeles,verùm etiam doctrina impij?quàm longè distat hæc causa ab illa?ille Arrianam hæresim sectabatur, & vi electo vero pastore occupauit Ecclesiam:quo solo nomine constat eum non legitimè successisse in ea,quod de nostris nunquam tu poteris:sed de legitima eorũ successione poteris,nostros manifestè damnatam hæresim in Ecclesia sequi:aut persecutos fuisse vllos pios.vociferatur quidem,& frequenter hoc inculcat contra catholicos nostros Episcopos, quod

li.11. cap.6.

cap.55.

Cap.40. Quãmanifestè calũnietur,cùm Episcopos,et castea dicemus. Quod autem ad impietatem doctrinæ attinet, tholicos oẽs doctores fallæ doctrinæ accusat, ostenditur.

quod contra apertam Christi doctrinam doceant. hoc fatemur ad rem esse, diximus superiùs apertè falsam doctrinam sequentem Episcopum non esse agnoscendum in Ecclesia: etiam si Angelus de cælo, inquit Paulus, &c. Hoc itaque quia ad rem pertinet considerandum est, an probet Brentius. imò videamus saltem qualiter proponit: & seipsum proponendo damnet. frequenter igitur nostros prælatos crimine hæreseos aspergens ab eis propterea recedendum esse affirmat. primo loco de auctoritate principum mox in principio hæc sunt eius verba, de me loquens. Hos prælatos vocat, qui cùm nec honestate vitæ, nec puritate doctrinæ cum maioribus, quorũ se successores gloriantur, conferri possunt (quod putauerim ego prælatos nostros in vera humilitate daturos illi, agnoscẽtes se longè distare puritate tum doctrinæ, tum vitæ à maioribus illis) sed quod sequitur quis vel humana modestia præditus sustineat audire? ita enim ait. sed potiùs Ecclesiam Dei pessimis quibusque exemplis offendunt, ac verè piam Apostolorũ doctrinam crudeliter persequuntur. Primùm horum demus multis posse cõuenire. esto, nõ desint, qui Ecclesiã Dei malæ vitæ exemplo offendunt: sed nunquid omnes? aut omnes fortè Brentius agnouit? & per omnes Ecclesias totius orbis discurrens vitam omnium Episcoporum inquisiuit? cur ergo tot sibi ignotos tam graui nota inurit? sed nec illud ad causam pertinet, nec enim propterea non sunt agnoscendi veri Christi ministri, etiam ipso confitente. Secundũ verò, quòd scilicet persequantur veram piam Apostolorum doctrinam, potest quidem verè ita dicere Brentius: nostro iudicio, nostro inquam, qui Lutherum sequimur, & nouum Euangelium mundo adnunciamus, quod omnibus retrò seculis in Ecclesijs Christi, vel vt minimum proximis trecentis annis ignotum fuit. Horum iudicio piam doctrinam catholici antistites persequuntur. sed non sunt pauciores hodie, & in Romano imperio, & in reliquo orbe Christiano, qui contrarium asserunt. nónne ergo alienum est ab omni humana æquitate, in ea causa, in qua discipuli Lutheri accusatores sunt nostrorum, sibi vsurpare iudicium, & sententiam ferre? ita in capite de Ecclesia

Ecclesia rursum eandem cantilenam repetens, sed maiori confidentia: si impij hypocritæ, inquit, docuerint pugnantia cum cælesti doctrina, & peruertẽrint verũ vsum sacramentorum Christi, quales esse Asoticos prælatos suprà ostendimus, & postea propitio Deo copiosiùs probabimus: nulla amplius reuerentia, nec obedientia obstricta est eis catholica Ecclesia. non audis definitiuam sententiam? Quis te constituit iudicẽ Brenti omnium prælatorum Ecclesiæ nisi Lutherus? sed rogo vbi ostendisti, docere nostros, quæ pugnant cum cælesti doctrina? quia, vt ibidem ait, transferunt officium, quod solus habet Christus, in humana opera: & ideireo habẽt Ethnicas de Deo cogitationes, profitentes verbis aliud, & aliud in latebris cordis retinentes. Hæc eodem capite parum antè differit, quibus verbis id significat, quod alibi apertiùs loquitur. quoniam dicimus bonis operibus afflatu scilicet Spiritus sancti, & Christi virtute perfectis fidendum esse, & coram iudicio Dei per opera nos fore iudicandos: Sic enim inquit in ipsa nuncupatoria epistola ad suum ducem de me: Permittit quidem Deũ, & Christum esse saluatorem nostrum, solum, sed non solitarium: adiungit enim ei contritionem, ieiunium, quibus manifestè affirmat, confidendum esse: vt quæ sint expiationes peccatorum nostrorum, & merita æternæ vitæ. & mox exclamat: Quid obsecro est impietas Ethnica, & idolomania, si hæc nõ est? vbi post multa in hanc sententiam, tandem ait, hoc esse ex Deo patre, & filio eius facere Deum Platonicum. vt Christus quidem sit Deus maiorum gentium, opera autem hominum sint dij minorum gentium. Hæc itaque sunt, cur recedendum sit ab omnibus prælatis Ecclesiæ. non agimus nunc de hoc dogmate, quod non est à me aliter interpretandũ, quàm ab ipso Brentio refertur. Inquit enim me dixisse bonis operibus, quæ scilicet ex diuina gratia fiunt, ita est fidendum, vt & ad expiandum peccata, iram Dei placandam, & vitã æternam consequendam necessaria sint, & vtilia. & addit. En hic est honor, hæc est gloria, qua afficiunt filium Dei. En igitur ista sunt crimina idololatriæ, & impia doctrina, quam contra prælatos omnes catholicos adfert Brentius. & vt apertiùs sit, ita &

in fine totius huius operis loco de Ecclesia. hanc suam accusationem repetens, cùm accusemus, inquit, sodalitium Asoticũ Antichristianismi, & reipsa manifestum sit eos impia docere, & institutiones sacramentorum Christi depravare, necessitas salutis nostræ exigit, vt colluuiem eorum, qui in Apostolica doctrina non permanserunt, detestemur. Ecce iam hoc loco manifestum dicit id, de quo nos accusat. At verò nos apertè fatemur vnum solum verum Deum agnoscere, & maiorum, & minorum gentium, & creaturarum omnium, & vnum mediatorem Dei, & hominum Christum Iesum. hoc ore, & toto corde ita tenemus, vt parati simus pro hoc asserẽdo mortem subire. Quòd verò inquit Brentius, latebris cordis nos contrarium tegere: speramus in iudicio Dei falsum esse ostendendum, nam hoc ad illud solum pertinet, nec impias alias cogitationes tenemus in corde cum contritione, & bona opera, spiritu Christi, nos efficere: & eis propter Christum, eiusque gratiam fidendum esse asserimus. & quod scriptura nos docet nulla blasphemia est, creaturas Dei laudare: illis vti, & virtute illarum fidere ad ea, ad quæ à Deo facta sunt perficienda. nulla hic idolomania. si accusas Brenti rusticum, quod pluuiæ temporali, & calori solis, & terræ fertilitati fidat, vt fructũ desideratum consequatur, quia ita à Deo ordinatum est: militem equum suum, aut arma, aut vires, & robur corporis, quæ agnoscit se à Deo habere: Deos dicis afficere & tanquã Deos minores adorare, quia congressurus cum hostibus illis vtitur, & fidit, vt donis Dei, & instrumentis belli: dicas idololatras esse me, & omnes catholicos, quia contritionem, ieiunia, eleemosynas, & vota horum legitimè oblata Deo agnoscimus dona esse eius ad salutem nostram, & vitam æternam consequendam nobis donata. atque ita illis fidimus sub Deo. Hæc vestra non aliud continent, quàm verba, & verborum pugnas, res verò nulla est, & pro hac dicis, discedẽdum esse à catholicis. Sed omittamus nunc hanc causam, id certò constat, nihil aliud probasse contra nostros Episcopos, & doctores, quod attinet ad doctrinam, quàm hæc, & huiusmodi alia, quæ ipsi sibi inferre videntur, & putant necessariò sequi, nobis econtrà clamantibus

mantibus, & coram Deo in conscientia cognoscentibus, falsò illa imponi. Illud igitur tantùm in hoc loco agimus: vt apertum fiat, de causa impiæ doctrinæ nihil contra nos probasse nouos hos doctores, nullo iudicio legitimo, nos conuicisse, & super omnia iniquissimè sententiam ferre. Audi quid vltimò in fine omnium Brentius dicat. An non, ait, hæc est nostra cõ trouersia, quòd ipsi quidem (de nobis loquens) discesserint à vera pia doctrina, nos autem iam profiteamur, ac diuina clementia teneamus. Hęc sunt verba Brentij post omnia, quæ superiùs citauimus, quæ etsi contumeliosa, tamen libenter audiuimus. Hæc est vestra nobiscum controuersia. quis ergo vos iudices constituit? in quo legitimo Ecclesiastico conuentu lata est sententia, qua hoc, quod controuersum est, iudicatum sit certum, & manifestum pro vobis contra nos? Itaque quicquid de impia doctrina, & hæretica Brentius obijcit, nostris Episcopis, & Ecclesijs: constat ex veritate suorum dogmatum pendere, non ostendere potest damnatam legitimo iudicio Ecclesiæ sententiam illos sequi: quod si probaret, illos statim non agnoscerem us. Sed testimonia, quæ contra mores adhuc adfert, sunt nobis perstringenda. Post Basilium igitur, Bernardum citat, sermone. 33. super Cantica, & sermone de conuersione Pauli, acerrimè arguentem prælatorum vitia, & liberrimè omnes insectantem. Quærunt quæ sua sunt, ait, ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo: honorati incedunt de bonis Domini, &c. quæ sequuntur in reprehensionem excessus vestium, mensæ, & reliquorum omnium. Idem in secundo loco, & post omnia inquit Brentius. Quid igitur nunc dicemus an in tanta turpitudine, ac fœditate audebunt adhuc de ordinaria successione gloriari? num veritas doctrinæ certæ spectanda est ab his, qui, cùm in Ecclesia primatum habeant, primi sunt in Ecclesiæ persecutione? at nos vicissim quærimus à Brentio. num per hos efficit Spiritus sanctus id, ad quod ordinati sunt, vel non? certè ipse superiùs asseruit. Quorsum ergo hæc adferuntur? nullus enim est, qui dubitet, multa sæpe vitia in prælatis fuisse, nec tamen propterea non agnoscendi sunt prælati, aut ministeria eorum, ad quæ scilicet

Cap. 41. Quàm sint manifestè calumniosa, quæ contra mores catholicorũ prælatorum adfert ex testimonijs Bernardi, et recentiorum: imò, quàm verè nostra confirment, ostenditur.

ordinata sunt, reijcienda. Audi igitur Bernardum de hac re aduersus hæretic. sermone 66. in Cant. vbi eos vulpeculas vocat, ita inquit. Iam verò qui Ecclesiam non agnoscunt, nõ est mirum si ordinibus Ecclesiæ detrahunt, si instituta non recipiunt, si sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, sunt Apostolici Archiepiscopi, Episcopi, presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec recipiendis idonei sacramentis. nunquam verò ista duo conueniunt, Episcopum esse, & peccatorem. Falsum est, Episcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator? Apostolus erat Iudas, & licet auarus, & sceleratus, tamen electus à Domino. & post multa in hanc sententiam, citato loco illo, Super cathedram Moysi, &c. patet, inquit, quamuis Scribæ, quamuis Pharisæi, quamuis videlicet maximi peccatores, propter cathedram tamen Moysi ad eos quoque nihilominus pertinere, quod item dixit: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. hoc nos duntaxat asserimus: si Episcopi ordinantur ad docendum, etiam si peccatores sint, vel Brentio teste Spiritus sanctus per eos operabitur. Sed iam quæ sequuntur audiamus. quò verò, ait, quales sint prælati horum temporum, agnoscatur, audienda sunt testimonia Adriani Sexti Papæ, & delectorũ cardinaliũ, & aliorum prælatorum ad Paulum tertium: & legatorum sedis Apostolicę ad Patres in concilio Tridentino. Adrianus in instructione legati sui, quem ad comitia Norimberg. anno 1522. destinauit, ingenuè fatetur hanc persecutionem Deum permisisse Ecclesiæ suæ inferri, maximè propter peccata sacerdotum, & prælatorum. Scimus, inquit, in hac sancta sede multa abominanda fuisse: abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, omnia denique in peruersum mutata, omnes nos, id est, prælati Ecclesiastici declinamus vnusquisque in vias suas, &c. Hæc inquit Brentius summus pontifex ingenuè fatetur, de vniuerso suo ordine, & hos proponit nobis (in me loquens) in iudices cælestis doctrinæ. Ego verò Brenti non propono: sed dico, quod & tu hos esse prælatos Ecclesiæ, et si peccatores, & ministeria eorum non inefficacia esse. an verò inter ministeria eorum sit iudicare de dubijs doctrinæ fidei, postea vide-

videbimus. nunc interim hæc peccata non abstuliſſe ab Ecclesia Episcopos, vel ipsam omnino corruisse tantummodo asserimus: quod illis verbis Adrianus testatur, cùm prælatos Ecclesiasticos nominat, quos in vias suas declinasse dicit. Sed iã ad aliud. Delecti Cardinales, & Legati à Paulo tertio ad consultandum de Romana curia, & Ecclesia emẽdanda, libera & syncera veritate, prout sibi iniunctũ fatentur nullius cõmodi pontificis, aut cuiuspiam alterius rei ratione habita, significãt ei grauissimos morbos, quibus iam pridem Ecclesia Dei, & præsertim Romana curia laborat. hæc illi primò testantur, quæ Brentius omisit, deinde enarrant, quæ ille refert, vitia: nonnulli inquiunt pontifices præsessores tui prurientes auribus coaceruarunt magistros ad desideria sua: non vt ab eis discerent, quod facere deberent: sed vt eorum studio, & calliditate inueniretur ratio, qua liceret id, quod liberet: hinc factum esse, vt quidam docerent pontificem esse Dominum beneficiorum omnium: in eo non posse cadere simoniam: voluntatem suam, qualiscunque fuerit, regulam, qua suæ operationes, & actiones dirigantur. ex quo tanquam ex Troiano equo, ortos referunt abusus, & morbos grauissimos. per quos nomen Dei blasphematur. ordinationem scilicet clericorum, presbyterorum absque vlla cura, aut diligentia probandi mores, & reliquas à iure requisitas qualitates: collationem beneficiorum, episcopatuum maximè non in vtilitatem Ecclesiæ, & gregis Christi, sed eorum, quibus conferuntur: quòd Cardinales pendeant à regibus, & ità liberè sententiam non possunt dicere: quòd magna sit deformatio in ordinibus religiosorum, & in gymnasijs multa impia in Italia doceantur, & disputentur irreuerenter diuina coram populis. Hinc colligit Brentius testimonio horum, nihil sani esse in vniuerso corpore Ecclesiasticorum prælatorum. & clamat, quòd hos ego cõstituam, ad quos controuersia doctrinæ religionis deferatur: à quorũ sententia, tanquam ab ipsiusmet Spiritus sancti responso pendeamus. Ego verò respondeo testimonium horum sensum esse membrorum Ecclesiæ, & dolorem ex morbis corporis. Quare non omnia corrupta sunt: quod promissio Euan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gelicâ Christi nõ permittit, vt credamus. Portæ, inquit, inferi non prævalebunt aduersus Ecclesiam. prævalerent verò si corrumperent peccata vniuersos prælatos, quod res ipsa ostẽdit non esse, quàm diu sunt in hoc ordine, qui vitia aliorum reprehendunt. Igitur hoc testimonium, atque libera, & salubris horum mordacitas ostendit rectè considerantibus, veram esse Ecclesiam Christi, in qua sunt, & cui vniuntur, qui hæc dicunt. idque duplici ratione: primò, quod hæc ostendant eundem spiritum esse in eis, qui olim fuit in prophetis. arguebant illi vitia & populi, & sacerdotum, vt ostendimus, à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas, inquit Esaias, & tamen non se separabant ab eis vel fide, vel sacramentis, vel templo. Idem ipse Spiritus perseuerauit postea in Ecclesia. quando Cyprianus collegas suas, vt Aug. inquit, à quibus tamen nulla corporali disiunctione separatus est. sed prudenter, ac sobriè saluberrimę mordacitatis inferens medicinam, his verbis grauiter arguit: quia esurientibus in Ecclesia fratribus, habere argentum largiter vellent: fundos insidiosis fraudibus raperent: vsuris multiplicantibus fœnus augerent. Pro peccatis huiusce modi, inquiens, quid non perpeti tales meremur? vt apertissimè ostenderet, inquit Aug. de his se dicere, cum quibus in vnius Ecclesiæ vnione viuerent, non dicit merentur, sed meremur. Hunc eundem spiritum in his cardinalibus, & prælatis cùm ego intuear, cur nõ meritò agnoscam hos ad veram Ecclesiam pertinere, ad quam & prophetæ olim, & Cyprianus, August. atque Bernardus pertinebant: & in his eundem esse spiritum, qui in illis fuerat. Deinde agnosco non maiora, nec alterius rationis esse peccata, quæ nunc reprehenduntur in nostris Episcopis, quàm illa, quæ vel priùs à prophetis, deinde à Cypriano, & Bernardo legimus fuisse reprehensa suis temporibus: auaritiam, vsuram, & fraudes, ambitionem, dignitatem, pompam, fastum intolerabilem. Agnosco igitur in his morbos Ecclesiasticos, à quibus quidam sanantur, & conualescunt: quidam corrumpuntur omnino. corpus Christi est Ecclesia: sed in hac peregrinatione non sine morbis, non sine periculis: sicut non sine spe sanitatis, nõ sine salu-

Sermo. de lapsis. Lib. 3. cont. epist. Pertmeniani. cap. 2.

saluberrimæ mordacitatis medicamine, vt inquit August. Hæc igitur testimonia adeo auctoritatem prælatorum Ecclesiæ nõ labefactant, sicut Brentius putat: vt confirment potiùs, nec debent certè vllum bene sentientem ab Ecclesiæ Romanæ, & Apostolicæ vnione deterrere, aut tepidiorem in fide eius efficere: sed potiùs adiuuare, & accendere. quando quidem ostendimus verum esse in Ecclesia dolorem, & sensum malorum: non deesse in ea viros gementes, & dolentes super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius: vsqueadeò, vt si hoc non esset, meritò timendum esset nobis ne vel Ecclesia rueret, omnino (quod non permittit nos Christus credere) vel, ne deesset nobis, quid responderemus hæreticis Ecclesiam contemnentibus propter tanta crimina, quæ verè agnoscimus. Nunc autem agamus gratias Brentio, & suis, qui vndique colligunt, & reseruant testimonia, quibus nostram Ecclesiã eandem esse, quæ semper, eosdem morbos habere, easdem medicinas, eadem vicia, eundem spiritum. ostendamus, Deo ita mẽtes eorum obcæcante, vt putent, maxima contra nos offerre testimonia. sed hæc est natura malitiæ, & corruptorum humorum, vt bona etiam vnde sanari, & corrigi, atque in melio rem sensum reduci deberent, conuertant in perniciem, & cor ruptionem: coinquinatis autem, & infidelibus, vt Paulus in- *Ad Titũ. 1.*
quit, nihil est mundum: sed inquinatæ sunt mens eorum, & conscientia. Itaque bonus hic odor Christi, qui meritò esse debuerat in vitam. (Est enim odor vitæ libera vox in arguen- *2. Cor. 2.*
dis vitijs, liberum iudicium, liber sensus) factus est odor mortis in mortem his, qui inde Ecclesiæ detrahunt: & se ab ea separant: ij autem sunt, Paulo ibi dicente, qui pereunt. Itaque qui hæc afferunt, contra Ecclesiam, vt diximus, seipsos eius hostes esse nobis manifestè ostendunt. Simile & huic est, quod " sequitur, audiamus, ait, Apostolicæ sedis legatos ad Patres sy " nodi Tridentinæ: nostram, inquiunt, actionem, nostram auari " tiam, nostras cupiditates his omnibus malis populum Dei " priùs affecisse statim inueniet, atque harum vi ab Ecclesijs pa- " stores fugari, eas pabulo verbi priuare: bona Ecclesiarum, quæ " sunt pauperũ, ab illis tolli: indignis sacerdotia conferri. Quid "

Universidad de Deusto
Biblioteca

,, enim horum est, quod negare possumus à nobis per hos an-
,, nos factum esse? quare si Turca, si hæretici hoc idem aduer-
,, sus nos faciunt, quid aliud quàm flagitia nostra, & iustum Dei
,, iudicium videmus: iudicium verò plenum misericordia. Si
,, enim pro meritis nos castigaret, iam pridem sicut Zodoma &
,, Gomorrha fuissemus. Hactenus inquit Brentius, legati, qua
,, igitur fronte audet (de me loquens) nobis Sodomiticos, &
Gomorriticos obtrudere, quorum iudicio salus Ecclesiæ cō-
stet? vetus est hæc Brentij cātilena, sed multò impudētior: eoq; magis, quò manifestiùs contra illum pugnat. Nónne hac tam veridica, & humili confessione ædificari debet quiuis eam at-
Dan.9. tentè considerans? video in ea Spiritum Danielis cofitentem, vt ille inquit peccata sua, & populi sui; peccauimus, impiè egimus, iniquitatem fecimus tibi Domine, iustitia nobis confusio faciei, &c. quem nō hoc meritò ædificare debeat, & docere spiritum prophetarum esse nunc in Ecclesia, vbi est vera cognitio peccati, vera humilitas? Brētius ipse non multò post in eodem loco, explicans, quid sit in nomine Christi conueni re: neque conuenitur, inquit, verè in nomine Christi, si conuenerint impœnitentes, qui hoc vnum præcipuè agunt, vt consulant potiùs dignitati opibus, gloriæ, otio, & voluptati prælatorum, quibus verbis apertè indicat meritò in nomine Chri sti credendos esse conuenire eos, qui cum pœnitentia, & vt verè consulant Ecclesiæ, conueniunt. cur ergo non agnoscit in hac legatorum admonitione, quòd ille inquit, eos non sine mandato pontificis, & cardinalium dixisse, quòd pœnitentes conueniunt pontifex, & cardinales per suos legatos: & ad hoc exhortantur cæteros omnes: atque ita in nomine Christi con uenerunt. Vides itaque, quòd vnde maximè ædificari debuit, & remediū accipere, inde maximè hausit virus. Scio ego Episcopos, & prudentes his legatorum verbis auditis exhilaratos animo, quòd in Ecclesia, atque adeò in eius præcipuis capitibus, veracem confessionem peccatorum, & humilem pœnitentiam viderint. quibus testimonijs confirmarentur in ea, quam certò habebant, fide: non defuturum Christum suæ Ecclesiæ. sed Brentius ex his in extremam prorupit contumeliā vt

vt Sodomiticos, & Gomorriticos appellet prælatos, & omnes maximis contumelijs oneret, ex vocula occasione sumpta. illi dicunt, si Deus pro nostris meritis nos puniret, sicut Sodoma essemus. Et Brentius non ait, sicut, sed pleno ore Sodomiticos, & Gomorriticos vocat. quibus verbis, nihil tuæ causæ, mihi crede, fausisti Brenti, nihil tibi: sed prodidisti summam amarulentiam, qualem nunquam in aliquo nostrûm legisti, vel audisti, quam non est fas vlli Christiano in os assumere, dicente Christo: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ. nisi fortè tu Paulus aliquis, vel maior eo, datus es prælatis omnibus, & toti Ecclesiæ à Christo iudex: & reuelata sunt tibi peccata omniū. Sed de his satis: quibus putamus dilutas esse obiectiones omnes, quibus propter mores, vel vitā catholicorum prælatorum auctoritati detrahit Brentius: aut eos ab Ecclesia, & eius ministerijs excluſit. Nam quod attinet ad auctoritatem conciliorum, & definitionem dubiorum religionis, seorsim tractandum est. Hoc interim ex omnibus supradictis nobis certissimè constet, Ecclesiam nec propter manifesta peccata, etiam prælatorum, nec propter occultam Dei gratiam incertam reddi, obscuram, & incognitam: sed perspicuam semper, & visibilem, permanere. His igitur sic constitutis, & quasi impedimentis sublatis, quibus à cognoscenda vera Ecclesia quodammodo impediri possemus: restat, vt diligēter inquiramus deinceps veræ Ecclesiæ signa, atque conditiones. quibus scilicet Christus, eius sponsus, eam constare vult: & quibus quasi caracteribus, & coloribus eam depingat: quid denique ad eius integritatem, & veritatem requirat. Hæc inquiramus certa regula fidei, non vt pueriliter contendamus, & corrixemur: sed vt pijs, & suam salutem quærentibus pro tenuitate captus nostri vbi sit vera tranquillitas, veraque consolatio animæ fidelis, & vbi anchora cordis Christiani tutò collocari possit, ostendamus. Vbi in primis constituamus nobis, vt certissimum fundamentum, hoc non impossibile fidei, certam videlicet, & manifestam ita inuenire Ecclesiam, vt vltrà fides non habeat, quod quærat: nisi futura, & æterna. Hoc ostendit manifestissima ratio fidei. Qui enim dixit omnibus

Cap. 42. Ecclesiam certam, & manifestam agnoscere, sic- ut ad salutē necessariū: ita non impossibile esse.

Matth. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam seriò, tã veraciter: videte ne quis vos seducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & multos seducẽt, & deinde tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim Pseudochristi, & dabunt signa magna, & prodigia: ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis, & quò hanc admonitionem magis necessariam ostenderet, adhuc addit. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. qui inquã hęc, tam seriò nos admonet, nónne manifestissimè ostendit, id magnoperè necessarium esse ad salutem, non credere scilicet, aut sequi eos, qui abstrahere nos volunt ab hac Ecclesia. quod cùm fieri nõ possit, nisi vbi ea sit agnoscamus: non debuit in re tam necessaria, & quam tam seriò nobis præcipit, deesse, aut subtrahere lumen, in quo veram Ecclesiam possumus agnoscere. Certè qui dicunt, hìc est Christus, aut illic. Ecclesiam conantur ostendere. In cõfesso est enim nec extra Ecclesiam Christum esse, nec
Lucæ 11. abesse ab ea. non igitur in re tam necessaria deesse potuit Christus. nam qui ait, Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit eam, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumẽ videant, non est credendus Ecclesiam suam, domum glorificationis suæ, in tenebris, absque manifesto lumine reliquisse. nõ
Matt. 5. potest ait alibi ciuitas abscondi super montem posita, quæ rogo alia dignior ciuitas, quàm Ecclesia, ciuitas Dei, ciuitas, de
Esaiæ 2. qua gloriosa dicta sunt, vera ciuitas Hierusalem, cuius fundamenta in montibus sanctis: Prophetis scilicet, & Apostolis: sed primò omnium in monte illo verè domus Domini, qui est in vertice montium, hoc est Christo, omnium sanctorum sanctissimo: & leuabitur inquit super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Hæc ergo tanta ciuitas, super tantum montem collocata, quomodo abscondi potest, nisi his, qui consuetudine tenebrarum, & proprij sensus tumore, ad manifestius lu-
2. Cor. 4. men magis excæcantur? de quibus Paulus dixit, quòd si opertum est Euangelium in his, qui pereunt: opertum est in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi, cùm priùs dixisset

set de doctrina Euangelica commendantes nosmetipsos in manifestatione veritatis, ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Manifestum est itaque Euangelium, sed his, qui Cap. 45. Di
conscientiam coram Deo mundam seruantes, seipsos luce ve- uina gratia,
ra non priuant, Ecclesia lumen habet, & quidem euidens, & lumineq; o-
manifestum: sed aspiciendi virtutem solus is dare potest, qui pus esse ad
docet hominem scientiam. quòd si ille non aperuerit nobis agnoscen-
oculos, quò maiora lumina, cùm magis fulgida in Ecclesia lu- dam Eccle-
cent, eò magis excæcabimur: sicut hi, de quibus Propheta siã, quæ hu-
inquit, impegimus meridie quasi in tenebris, & quasi absque mili oratio-
oculis attractauimus. Quare in hoc loco, in hoc inquam arti- ne impetran
culo, quoties de vera agnoscenda Ecclesia aggredimur cogi- da sunt.
tare aut loqui inuocandus est altissima oratione Christus, & Esaiæ 59.
cum ipsa Ecclesia clamandum est nobis, atque dicendum: In- Cant. 1.
dica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, locum pascuæ tuæ: De quo Psalmus inquit, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ, ibi me collocauit. Ostende nobis ouile illud tuum, de quo inquis, Fiet Ezech. 34.
vnum ouile, & vnus pastor. montes illos Israel excelsos, de quibus inquis, Ego pascam oues meas: in montibus excelsis Israel erunt pascuæ earum: ibi requiescent in herbis virentibus. terram inquam illam, de qua inquis, quòd congregatas oues tuas de populis educes in terram suam: locum hunc, vbi in meridie in feruore, & plenitudine lucis Euangelicæ fidei, & charitatis pascis oues tuas, da nobis agnoscere, & tenere: ne vagari, inquit, incipiam post greges sodalium tuorum. Nanq; si Ecclesiam tuam ignorauerimus, necesse erit, nos tanquam errabundas oues deuia quæque sequi: & greges illos hæreticorum, qui in diuersa dogmata scissi sunt, qui nomen quidem habent Christianorum, & signa, atque verba amicorum, & sodalium tuorum, sed reuerà dum discipulos trahunt post se, & à tuo ouili separant, inimici sunt veritatis tuæ, gloriæ tuæ, & nominis: dum illam corrumpunt, hanc sibi vsurpant, & nomẽ tuum blasphemare inter gentes cogunt. Ne igitur post horũ greges, post errantes, & ducatum tuum non agnoscentes incipiamus vagari: indica nobis Ecclesiam tuam, nisi enim illam

tencamus

Universidad de Deusto
Biblioteca

teneamus, necesse erit hoc fieri. reuela oculos nostros: da intellectum, vt scrutantes legem tuam agnoscamus Ecclesiam: & dedue nos in semita mandatorum tuorum, vt eam perpetuò teneamus. Hac itaque humili oratione præmissa, hac fiducia freti, diffisi de nobis, & diuinæ gratiæ nixi acceda mus iam ad manifesta Ecclesiæ signa quærenda. Nos itaq; tria præcipuè lumina intuemur, quibus nobis fit Ecclesia manifesta, non quasi alieno, sed quasi suo, hoc est à Christo sibi dato, splendore. Sunt enim hæc non extranea Ecclesiæ, sed ita illi coniuncta: vt eis constet, & ædificetur. quæ quidem nos in catholica assertione, & scholijs breuissimè attigimus, insinuantes magis rem, quod ratio instituti, & propositi illius exigebat: quàm accuratè, & plenè pertractates, de quibus iam, quod nobis datum est sentire, sine inuidia, & contentione in commune conferentes, quod possit vtile esse, & ad confirmandos, & quietandos piorũ animos, dicamus. Sunt igitur hæc tria: consonantia, & cõspiratio in publica doctrina fidei, & externo cultu Dei, cum antiqua, primitiua, & Apostolica Ecclesia, cumq; omnibus toto terrarum orbe diffusis fidelibus, atque patribus illis, & doctoribus, quos constat iam inde ab initio Ecclesiæ populos sibi commissos viam salutis consona voce, docuisse: successio legitima, continua, & non interrupta ministrorum ab Apostolis, atque hac ratione deriuatio potestatis docendi, ministrandi sacramenta, gubernandi ad salutem æternã populos: & de his, quæ ad hanc pertinent iudicandi ab eisdem Apostolis, & discipulis Christi: denique cognitio vnius pastoris vicarij Christi, & loco eius capitis totius gregis, & corporis Christi succedentis Petro: & vnio, atque communicatio cum prima matrice, atque Apostolica Ecclesia, cui ille præsidet, & cum cæteris ei participantibus, tanquam cum vnius Christi Reip. & Ecclesiæ membris. De quibus iam ordine dicendum est nobis: & ostendendum hæc omnia necessaria esse Ecclesiæ, & ei ita coniuncta, vt sine eis nulla ratione esse valeat, quodq; hæc non possunt, non esse perspicua & manifesta. Ex quibus & tertium constabit, eos videlicet, qui aut ea non vident, aut ostensa refugiunt, & aliò se vertunt, cæcos esse, & suam amare cæcitatem, atque pro luce tenebras amplecti. adsit Christus & scribenti mihi, & eis qui lecturi sunt, & suam Ecclesiam nobis dignetur ostendere. Vnde verò congruentiùs aggrediemur hæc omnia probare, veramq; manifestare Ecclesiam, quam ab ipsa prima eius origine, quę non est alia, quàm Apostolorũ prædicatio, de qua vt absque ambiguitate loquamur, secludamus interim Iudæorum, & eorum, qui præcesserunt aduentũ Christi, Ecclesiam. Quamuis enim illa non sit alia à nostra, sed vna semper Ecclesia conditione, & statu diuersa, primò in infantia quadam, & pueritia: deinde adulta, atque perfecta: tunc sub vmbris, atque figuris: nunc in manifestatione, & splendida luce; & sicut vna est, ita eandem habet fidem, & similem originem. Illa enim vetus Ecclesia à doctrina eorum, quibus Deus se primò reuelauit, atque aliorum, quos constituit doctores, ortum habuit: sicut & nostra à primis suis doctoribus, Apostolis videlicet, suum trahit principium: sic & cætera, quæ de nostra Ecclesia dicturi sumus, antiquæ iuxta suam quandam proportionem conueniunt. Sed omittamus nunc antiquam illã, & contemplemur nostram Christi Ecclesiam, de qua nunc inter nos agitur: hanc videlicet, quam Christus ante passionem suam prædicebat se ædificaturum. Huius itaque prima origo, atque ortus ex verbis Christi, atque Apostolorum: imò ex ipsis operibus illorum ostẽditur, esse Apostolorum prædicatio. De hac enim primò illis dicit ante passionem suam, quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. & nolite timere eos, qui occidunt corpus. vbi quo illos magis animaret, & astringeret, addit: Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: qui autem negauerit me coram hominibus, ego negabo eum coram Patre meo. quod apud alium Euangelistam explicans, qui me inquit erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum angelorũ. quæ quocunque modo accipiamus, ostendunt manifestè Apostolos, eorumq; successores, denique totam Ecclesiam accepisse à Christo præceptum annunciandi publicè fidem, docendiq; omnes illam:

Cap. 44. Via manifesta veræ Ecclesiæ signa, & lumina.

Cap. 45. Origo Ecclesiæ ab Apostolorũ prædicatione.

Matth. 10.

Lucæ 9.

nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec vllo aut metu aut verecũdia hominũ id omittendi. multò
Matth.28. verò apertiùs post resurrectionem hoc præceptum illis iniun
git: apud Matthæum inquit, Data est mihi omnis potestas in
cælo & in terra, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizan-
tes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes
Ioan.20. eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Apud Ioan-
Esa.61. nem, sicut misit me, inquit, Pater, & ego mitto. misit verò il-
lum Pater, vt Esaias inquit, ad euangelizandum pauperibus, &
prædicandum annum placabilem Domino, & diem vltionis
Deo nostro. Et ipse testatur, quia oportet me alijs ciuitatibus
euangelizare, ad hoc enim missus sum, ad hoc itaque ipsum il
Luc.4. los mittit. Lucas etiam & in fine Euangelij, & in tota historia
actuum Apostolorum quid aliud ostendit? Primò loquitur
Luc.24. Christus. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis,
tertio die, & prædicare in nomine eius pœnitentiam, & remis-
sionem peccatorum in omnes gentes. Vos autem estis horum
Act.1. testes. Et in ascensione sua accipietis, inquit Apostolis, virtu-
tem superuenientis in vos Spiritus sancti: & eritis mihi testes
Act.2. in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vlti-
mum terræ. quod idem Euãgelista statim refert, ipsos solicitè
executos: cùm aduenière Spiritu sancto statim ipsa hora stans
Petrus cum vndecim, tam liberè, tam manifestè, tanto spiritu
testatus est de Christo, ante nõ multos dies ibidem crucifixo,
& cum summo furore populi, & instantia vltimo exterminio
iudicato digno: ita vt circiter tria milia baptizarentur. & dein
de vt historia illa ostendit, frequenter, & ad populum, & ad sa-
cerdotes in templo, & vbique tam ipse, quàm alij Apostoli,
atque discipuli prædicarunt Christum, non tantùm Hieroso-
lymis, sed per circuitum: atque ita egerunt, maximè accedente
tonitruo illo Pauli, de quo ipse Christus testatus est, vas ele-
ctionis est mihi: vt portet nomen meum coram gentibus, &
regibus, & filijs Israel: Sic itaque actum est, vt breui, non so-
lùm per totam Iudæam & Samariam, sed inter gentes etiam
Antiochiæ, Athenis, Ephesi, & per totam Asiam, & Macedo-
niam Euangelium audiretur, & reciperetur à pluribus: atque
ædificarẽtur Ecclesię, & frequentissimi cœtus coirent creden-
tium

tium in illam Apostolorum doctrinam. cùm solus Paulus ab Rom.15.
Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum replcuerit
Euangelium Christi. Ecce Ecclesiæ Christi ortum, & natiuita-
tem, imò ecce iam perfectam, & integram Ecclesiam. nec enim
credenda est tunc vtcunque, & imperfecta, sed integra certè,
& perfectissima: nihil ei quod ad veritatem, & perfectionem
attinet deerat: non sacramenta, non verus Dei cultus, non co-
gnitio, & fides mysteriorum, non ministri, non denique ali-
quid, quod ad salutem desiderari posset. Iam Spiritus sanctus
docebat Apostolos omnem veritatem: iam ipsi implebant,
quod præceptum eis fuerat, vt super tecta prædicarent, quod
in aure audierant: Iam in omnem terrã sonuerat felicissimum
illud nuncium, appropinquauit regnum cælorum: Iam pul-
cherrimi illi pedes Apostolorum prædicantium pacem, & an-
nunciantium bonum super montes perfectę illius, & Christia-
næ iustitiæ agnoscebantur ab omnibus: quousque tandem
vsque ad vltimum terræ peruenirent, & in semine illo Abrahæ,
qui est Christus benedicerentur vniuersæ cognationes terræ,
magnumque esset nomen Dei in gentibus, & in omni loco of
ferretur ei oblatio mũda. Hoc igitur primo instrumento vsus Mala.1.
est Spiritus sanctus, qui solus sine strepitu verborum, sine di- Cap.46.
uersitate idiomatum, sine ambiguitate, aut obscuritate sen- Prædicatio
suum, sine vlla denique amphibologia, veram fidem persuadet Apostolo-
cordibus hominum. Hoc inquam Apostolicæ prædicationis rum, & Ec-
organum ille, qui omnia suauiter disponit, & hominibus per clesiæ prior
homines sua mysteria dignatus est reuelare, accepit tanquam scriptura.
primum, & efficacissimum medium vocandi, & trahendi ad fi
dem: prius certè, & efficaciùs quàm scriptura. Namque in hoc
ortu Ecclesiæ per omnes gentes non paucis diebus nulla fuit
scriptura eius fidei, quam certò sequebantur. Stabant quidem
Prophetarum literæ de Christo venturo: Cęterùm de eius iam
præterito aduentu, rationeque, & mysterijs eius iam comple-
tis, de incarnatione videlicet, & natiuitate ex virgine, de pas-
sione, & redemptione generis humani peractis, in quorũ om-
nium fidem illi congregabantur, & viuebant, qui Apostolis
prædicantibus crediderat, nullæ erant scripturæ: sed sola præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicatio. Itaque apertissimè constat origine, generatione, atque tempore Ecclesiam Christi, Ecclesiam inquam nouam, præcessisse omnem noui Testamenti scripturam: sicut & Ecclesia vetus, quam non dubitamus ante Moysen fuisse, præcessit omnem veteris instrumenti scripturã. priùs erat fides scripta in cordibus spiritu Dei viui, per linguas Apostolorũ hoc agente, quàm vlla esset scripturæ mentio: qui enim Apostolos misit, hoc illis primùm iussit: nec vllum de scribendo tũc præceptum dedit. Quod non temerè, & inconsultò credendum est à Christo dictum esse, & factũ: vt scilicet nec ab ipso quicquam haberemus scriptum, nec à suis primò quicquam scriberetur, quod non solùm maiestati, & grauitati rerũ, quæ docebãtur, atque doctoris ipsius attestatur, cùm antiqui illi grauissimi philosophi Pythagoras, & Socrates, & alij sapientes Græci nihil scripserunt, aut quàm minima, cordibus magis audientium, & fidei committentes doctrinam, quàm vlli scripto: sed multò etiam maiori ratione in hac cælesti doctrina id factum est, non tantùm, vt absconderetur impuris, & irrisoribus mysteriorum maiestas, & incomprehensibilium rerum altitudo non pateret indignis, sed etiam quòd vox multò efficacior est ad persuadendum, multò communior, & aptior ad docendum. Quare hoc instrumento, quod proximum est cordi humano, lingua scilicet, qua vnum cor in aliud transfundit seipsum, voluit Deus cordis etiam sui secreta primò hominibus manifestari. & quidẽ scriptura non cordis ipsius primum signum est, & manifestatio. In corde enim nullum idioma, nulla vox. Scriptura ergo vocis dũtaxat ipsius nobis speciem præfert. Docuerunt igitur Apostoli viua voce, atque diuersis linguis, Barbaris etiam, & ineruditis Euangelij veritatem: docuerunt plurimis, & continuis verbis, atque affluentissimè ad plenitudinem vsque audientium, iuxta captum eorum, iuxta ingenium: non continuerunt se à docendo quousque auditores planè intellexisse, & persuasos esse agnoscerent. Nec dubitamus, frequenter eos repetijsse, vel interrogantibus, & inquirentibus alijs, vel sponte sua, disputasseque vsque ad plenam satisfactionem audientium: & id vbicunque prædicarunt, hoc est

Cap. 47. Viuæ vocis prædicationem Apostolorũ multis nominibus scripturam eorundem excellere.

est inter omnes gentes omnibus linguis, & ingenijs. Hæc verò omnia impossibile est scripta fuisse, nec certè mundus capere posset eos, qui scribẽdi essent, libros (vt inquit Ioannes Euangelista), de Christi mysterijs. nunc autem de Apostolorũ prædicatione illud constat, omnes affluentissimè, & latissimè prædicasse, pauciores eorum scripsisse, certè tantùm quinque, aut sex, & hi vna ferè tãtùm lingua Græca scilicet. Solus enim Matthæus Hebraicè ab antiquis omnibus creditur Euangelium scripsisse. Et isti ipsi, qui scripserunt, quantò plura sunt credendi per totam vitam tam continuo labore docuisse, quàm scripserint? Scripsit Lucas nonnulla eorum, quæ Petrus locutus est in die Pentecostes, sed vt intelligeremus multò fuisse absque comparatione plura, addidit, alijs etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos: nec enim vnius horulæ spacium, sed totius diei mora vix credenda est suffecisse flumini illi rapidissimo, & indeficientissimo, quod ex ore illius profluebat, multò verò minus cuncta, quę per omnes illos dies ibi aut in vicinis ciuitatibus docuit, scribi ab aliquo potuisse credendum est. Iam de Paulo, cuius prædicatio repleuit orbem, quique cùm ad frangendum panem venisset Troade, cœpisseque disputare, & differere cũ astantibus profecturus in crastinum protraxit sermonem vsque ad mediam noctem. vt hinc liceat conijcere, quantò latiùs disputabat diebus illis septem, quos ibidem ante egerat, aut denique omnibus alijs, quibus non in procinctu itineris constitutus, sed per otium huic soli negotio prædicationis intenderet: vt Ephesi cùm per tres menses loqueretur cum fiducia suadens, & disputans de regno Dei in synagoga: vel postea cùm per biennium segregatis discipulis quotidie in schola cuiusdam tyranni disputabat: ita vt omnes, qui in Asia erant audirent verbum Domini, Iudęi, & Gentiles. Huius igitur tam immensam verborũ, & doctrinæ syluam, quis vnquam cogitauit scribi potuisse? Itaque si hæc rectè pensentur, apertè agnoscimus, quæ scripta sunt, breuissimum quoddam compendium, & vix monitorium aliquod eorum, quæ dicebantur, fuisse, idque circa ea ipsa, quæ scripta sunt: vt omittamus nunc, quod est posteà la-

Actuũ 20.

Act. 20.

Act. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiùs probandum de his, quæ omnino scripta non sunt. quis non apertè videt, quòd vox illa viua, quæ cum his, qui coram sunt, agit, eorumq; vultus, & animos monet, & loquenti quodammodo ostendit, se accommodet illorum captui, atque dispositioni: & si qualis exigitur doctor fuerit, non cessat, non quiescit, quousq; auditorem plenè instruxerit: in his cùm aliqua ambiguitas accidit, aut obscuritas mox tollitur: cùm vel interroganti respondetur discipulo, vel disputationis contextu aperitur, quod priùs obscuriùs dictum est. Itaque hæc vocis viuæ doctrina dum seipsam exponere, & ad interrogata respondere solet, quid aliud agit, si à prudenti doctore moneatur, quàm vt seipsam defendat, nec permittat se in alium sensum trahi, aut quauis alia ratione lædi: scilicet tanquam res viua: quæ omnia non dubitare licet Apostolos plenissimè fecisse. Horum autem vix aliquid habet scriptura, & quidem nostra illa vtriusque instrumenti scriptura, quæ Spiritus sancti opus est, per animum scribentium se explicantis, vndique excedit omnem humanam scripturam. Verùm quod attinet ad abundantiam, & perspicuitatem: satis ostensum est, quantò sit minor prædicatione viua. Non enim dubium esse potest, populos, atque discipulos ab Apostolis edoctos sic plenè fuisse: vt omnium rerum, quas docebant, & ad salutem necessariæ erant, absque vlla ambiguitate, aut diuersorum sensuum multitudine plenam cognitionem consequerentur. Vt enim verbi gratia dicamus. nunquid cùm de sacramento Eucharistiæ loquerentur Apostoli, nihil aliud dixerunt, quàm quod scribit Paulus, aut alij Euangelistæ: nunquid non apertè explicarunt an signum tantùm illud Christi, vel potius verum eius corpus esset: Denique & cætera, quæ ad integritatē fidei huius sacramenti pertinent, non tradiderunt? Similiter cùm de filio, aut de Spiritu sancto loquerentur, & denique de alijs omnibus mysterijs: sic credendum est eos esse locutos, vt Ecclesia apertè, & disertè ab eis intelligeret, præter omnem ambiguitatem
1. Cor. 14. quid credendum esset. Paulus inquit, in Ecclesia malle se quinque verba loqui suo sensu, vt alios instruat, quàm decem milia verborum aliter. & credemus hunc ambiguè, & obscurè docuisse

cuisse, cùm fideles instrueret? Certè hoc nulla ratio permittit. Et tamen scriptura ipsa Pauli, quātam diuersitatem sensuum, quantam dubitationem contineat, res ipsa docet. Manet scriptura muta, nec respōdet, nec se explicat, sed, quolibet in suam sententiam illam trahente, non quæritur, nec respondet, certè tanquam mortua scriptura. Hoc enim Spiritus sanctus, qui in ea, quibus vult, loquitur, permisit. quoniam scripturæ, & literis humanis proprium esset, vt scilicet trahantur in diuersos sensus, nec amplius, vt ita dicā, loquantur, vt viua vox. Hæc itaque si consideremus, videbimus manifestè, quàm profundo Dei consilio factū sit, vt prædicatio viua Euangelij, & non scriptura aliqua origo & principiū esset Ecclesiæ: vt scilicet priùs viua voce, annunciato Euangelio, & viua fide susceptо, constaret inter omnes gentes, & linguas Ecclesiæ, fides. Euangelij, & confessio eius: vbi præter omnem ambiguitatem, & obscuritatem, absque omni sensus diuersitate fidei dogmata cognita erant, posteà verò cùm scribi cœpit hæc prædicatio eis linguis, quibus Spiritus sanctus voluit, & quæ potiores erant, alia Iudæis, alia Gentibus, de scripturis iudicatum est ab Ecclesia, à fidelibus ipsis, ex illa certissima, quæ semper aderat, prædicatione fidei Spiritu sancto dirigente. Atque hac ratione verè, & non superficietenus tantùm, Ecclesiam nobis tradidisse scripturam, certissimum est. quod cùm confiteamur omnes nos, scilicet, & aduersarij, nullus tamen veraciter hoc potest agnoscere, nisi qui, hanc originem Ecclesiæ agnoscit. Priùs enim quàm vlla scriptura noui Testamenti esset, Euangelij fides erat in cordibus, ad quam scripturæ ipsæ Apostolorum, & Euangelistarum exactè, & diligenter ad illam certissimam regulam examinatæ, receptæ sunt ab ipsis viuentibus Apostolis, eorumque discipulis. & non solùm ab his, qui scripserunt, & quæcunque tunc, aut deinceps scripta prodierunt, quæ scimus non fuisse pauca de historia hac Euangelica, non ea fide, quæ oportebat, reiecta sunt: etiam si nomine probatissimorum auctorum circumferrentur. vt Euangelium Thomæ, Andreæ, Nicodemi, & alia multa, de quibus primis illis temporibus, cùm recens esset memoria Apostolicæ prædicationis,

Cap. 48. Scriptura sacra ab Ecclesia quo modo, & ratione susceptа.

tionis, & conuersationis eorum, quorum nomini editi libri tribuebantur, facilè potuerunt haberi certissima testimonia. Hac igitur ratione omnes, quæ in auctoritate sunt scripturæ, agnitæ sunt ab Apostolis, & primis Ecclesiæ doctoribus, eodem Spiritu sancto, quo scriptę erant, in eis agente, & fide certissima commendatæ posteritati, tanquã à Spiritu sancto editæ, quæ omnia videmus apertè ab illa prima prædicatione robur habere. Vnde Augustinus intrepidè, & veracissimè dicit: Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret auctoritas. Et alibi hanc originem apertiùs explicans, distincta est (ait) à posteriorum libris excellentia canonicæ auctoritatis veteris, & noui Testamenti: quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporũ, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter cõstituta est: cui seruiat omnis fidelis, & pius intellectus. nec tamen propterea credimus esse auctoritatem aliquam scripturæ sacræ maiorem: aut Ecclesiam, tanquam superiorem scripturam, illam nobis dedisse asserimus, quod calumniantur aduersarij: sed hoc tantùm agnoscimus, prædicationem viuam præcessisse scripturam, ædificasse Ecclesiã, ex qua posteà probatæ sunt scripturæ. Nulla ergo ratione minoris auctoritatis ipsa prædicatione: sed hæc ambo, prædicatio Apostolorum, & scriptura canonica Spiritus sancti reuelatio sunt: & de qualibet earum verissimum est illud Pauli: Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizauerit, præterquã quod euangelizatum est vobis, anathema sit. Quia tamen prædicatio prior tempore fuit, meritò idem Apostolus alibi præscribit contra nõ credentes resurrectionem vniuersalem, ex hac auctoritate primæ prædicationis, & fidei: siue inquiens ego, siue illi (alios Apostolos referẽs) sic prædicamus: & sic credidistis. Et quia apertior, & communior omnibus, quia omnium linguis: & copiosior, vt probatum est, rectissimè etiam ex eadem interpretatio sumenda est scripturæ. vt enim apertè dicamus, loca scripturæ, quibus Arrius filium minorem patre probabat: vnumque esse non natura, sed consensu voluntatis, non alia ratione à patribus explicata sunt, nisi ex hac prima prædicatione Apostolorum,

Lib. cont. epist. fundamenti cap. 5

Lib. 11. contra Faust. cap. 5.

Cap. 49. Ex prædicatione Apostolorum sensum scripturæ esse sumendum. Ad Gal. 1. 1. Cor. 15.

lorum, & fide certissima, quæ in cordibus, & ore omnium fidelium semper perseueraret, de vera diuinitate filij Dei. Hæc fuit vera expositio huius loci, Pater maior me: & illius, Vt sint vnum, sicut & nos, vnum sumus. ab hac prædicatione semper à patribus omnibus aduersus hæreticos quæsita sunt testimonia: vt totius Ecclesiæ historia manifestè ostendit. Audi quid Irenæus Polycarpi, qui Ioannem Euangelistam audierat, vt ipse testatur, discipulus, apud Eusebiũ dicat aduersus Florinum hæreticum. Hæc dogmata, quæ asseris, non sunt sanæ sententiæ, hæc dogmata non sunt consona ecclesiasticæ fidei, hæc dogmata, sancti illi presbyteri, qui ante nos fuerunt, nunquam protulêre, qui & Apostolos viderunt. Audi rursus, quid apud Theodoretum, Alexãder ille Alexandrinus episcopus, sub quo Arrius ortus, & ab eodem damnatus est, scribat de eius damnatione ad Constantinopolitanum Episcopum. Nos, ait, ita credimus, sicut Apostolicæ placuit Ecclesiæ, hæc docemus, hæc etiam prædicamus, quæ sunt Apostolicæ Ecclesiæ dogmata. Non est opus plura nunc referre, illud certissimũ est, hãc fuisse rationem reijciendarum omnium hæresium. aduersarij etiam ipsi nobiscum pariter confitentur, quod negare non possunt, ad Ecclesiam pertinere, vt interpretetur obscurum sensum scripturæ: sed cùm ad rem venitur, tergiuersantur planè, dum ex scriptura tantùm interpretandam esse scripturam clamant. Sed quia de his posteà latiùs agendum est, nunc tantùm sufficiat interrogasse eos, cur non ex prædicatione ipsa Apostolorum licebit interpretari scripturam: cùm constet illam priorem fuisse, & certiorem, quę scilicet absque ambiguitate, & varietate sensuum docuit fidem? quid possunt respondere, nisi manifestissima hæc negauerint? sed conabuntur fortè hanc Apostolicam prædicationem incertam nobis reddere, & obscuram, quasi sit antiquitate obliterata, sed hoc, quàm sit alienum à veritate, ne quem fortè decipiat, ex eisdem principijs probandum est. Cùm enim ostensum sit, hanc prædicationem fidei iniunctam fuisse Apostolis, ita vt sicut Paulus inquit, vę illis esset, si nõ euangelizarentur: & in ipsis, cæteris eorum successoribus: de quo solicitè eos admonitos fuisse

Eccles. Hist. lib. 5. cap. 20.

Lib. 1. Hist. tripart. cap. 14.

Cap. 50. Prædicationem Apostolorum in Ecclesia nunquam obliuioni tradi posse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. ad Tim. 4 ab ipsis Apostolis nõ est dubium: sicut Paulus Timotheo suo sub contestatione Diuini iudicij, Prædica inquit, verbum, in-
1. ad Tim. 4 sta oportunè importunè Et rursus. Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis. & Tito: Loquere quæ decent sanam doctrinã. Et
Ad Tit. 2. iterum: Hæc loquere, & exhortare, sic & ipsum, & cæteros omnes Apostolos verbis etiam feciſſe, cùm tam solicitè mitterent discipulos ad prædicandum, dubitari non debet. Cùm itaque hoc sit præceptum Ecclesiæ, non fieri potuit, vt illa hoc prætermiserit: quod si feciſſet necesse erat eam à vera Christi obedientia cecidisse, & prævaluisse portas inferi aduersus illam, at Christus promittit illi perpetuam stabilitatem: nunquam ergo in ea hæc Apostolica prædicatio cessauit: nunquam defuere, qui ea, quæ Apostoli prædicarunt, crederent, memoria tenerent, & docerent subditos: & vbicunque opus erat consiterentur. non potuerunt hæc obliuioni tradi, nisi simul Ecclesia corruisset, & deesset illi promissio Christi. Superiùs audiuimus Esaiam, imò Deum per ipsum dicentem, verba mea, quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui vsque in sempiternum. Quis igitur dubitare potest in vera Ecclesia, nunquam non fuisse hanc vocem Apostolicæ prædicationis præsentem, & viuam in ore, auribus, & cordibus fidelium. quomodo igitur obliuioni tradi potuit? Quod si non potuit, sed semper perspicua fuit, & manifesta, habemus signum non ambiguum, nõ fallax veræ Ecclesiæ, quod semper in ea permaneat. Hæc est certè lucerna illa supra candelabrum posita, Apostolica prædicatio, omniumque fidelium consensus in illam. Nam quod aduersarij prædicationem synceram Euangelij iuxta scripturam, scilicet sacram, vt illi dicunt, signum Ecclesiæ ponunt, atque ita solam scripturam sacram regulam esse, & lumen Ecclesiæ, & nihil præter eam: meritò diximus in assertione nostra catholica subdolũ, & falsum esse, quod latius posteà ostendemus, quoniam Brentius hoc calumniatur. Nunc verò ex proximis satis ostenditur, primò quod, vt diximus, Apostolica prædicatio ante scripturam est: & ea manifestior, & in Ecclesia semper cognita: deinde, quia cùm constet scripturam ambi-

ambiguam esse, & incertam: & sicut olim ab Arrio in suum sensum detorquebatur contra catholicos: & è conuerso ab illis retorquebatur in Arrium: Ita nunc ab aduersarijs contra nos: & à nobis contra eos: In qua controuersia fatentur illi iudicium esse apud Ecclesiam: nõnne manifestum sit, eos circuitu quodam deludere iudicium omne, dum de scripturæ sensu agitur, veram Ecclesiam iudicem admittunt, vbi verò de vera Ecclesia quæstio est, ad scripturam redeunt: dicentes illam esse veram Ecclesiam, quæ solam agnoscit scripturam, & eam docet. Prius igitur agnoscenda scriptura est, veruſque eius sensus, quàm Ecclesia, quomodo ergo ab Ecclesia exponetur scriptura? sed de hoc pluribus posteà. quod ideo diximus, vt ex hoc, tanquam ex contrario appareat nos certissimum signum dedisse agnoscendi Ecclesiam, prædicationem Apostolicam, quam ostendimus nunquam deesse potuisse. Ex quo etiam & illud ostenditur, falsum esse, & pernicioſum, quod quidam aduersariorum fallaci spiritu acti aiunt, Ecclesiam quidem omnino deficere, & perire nõ posse, nec fidem catholicam posse in ea verè abscondi, atque latere, Sicut, inquiunt, tempore Heliæ, cùm ille se solum residuum putaret: relictus, inquit, ego solus sum: & tamen absconditi erant septem milia virorum, qui non curuauerũt genua ante Baal, sic, aiunt, nonnunquam per plura secula Ecclesiam absconditam, & occultã manere, & mansisse totis trecentis, & quadringentis annis: atque in ea veritatem occultam apud quosdam tunc perseueraſſe, quam nunc, si Dijs placet, Lutherus, & sui educunt è tenebris, noui scilicet suscitatores Apostolicæ prædicationis. Quod igitur sepulta, & abscondita fuerit Ecclesia, malitię hominum tribuendum. cæterùm promissionem Christi ideo asserunt constare, quoniam seruat ille, quos vult, & vbi vult, sicut Heliam in deserto seruauit: & centũ illos prophetas, quos Abdias abscondidit, & pauit, sub impijssimo rege Achab. sed hoc etiam manifestissimę conuincitur falsitatis, ex ipsis Christi promissionibus. Nam qui promisit Ecclesiæ, quòd portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, idem etiam dixit: non potest ciuitas abscondi supra montem posita, nec accendunt

Cap. 51: *Apostolicã doctrinam nunquã abscõdi potuiſſe in Ecclesia: nec ipsam Ecclesiã vnquam latuisse.*

Caluinus in præfatione Instit.

3. Reg. 19.

3. Reg. 18.

lucernam,& ponũt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus,qui in domo sunt.quod siue de Ecclesia,siue de prædicatione Apostolorum, aut certè de vtroque accipias,apertè ostendit neutrum eorum latere posse: nisi his fortè,quorũ Deus huius seculi mentes excæcauit, quod vt apertiùs fiat,ab his,qui hæc dicunt, rogamus: si Ecclesia, veraque fides latuit his trecẽtis annis vt dicunt,& inuecta sunt in Christianum populũ,multa Apostolicæ doctrinæ contraria: quomodo id fieri potuit?an quia obliti sunt omnes prædicationis Apostolicę,& doctrinæ,atque hac ratione receperunt aliena, & contraria:siue id subito,siue paulatim,siue in multis, siue in vna vel minima re(vt apertè dicamus)alienũ aliquid, aut contrarium Apostolicæ doctrinæ crediderũt fideles omnes? quòd si hoc damus, defecit iam tota Ecclesia & Apostolorum prædicatio,omnibus scilicet contrarium credentibus, & non abscondita tãtùm fuit, an fortè aliter fieri potuit?quibusdam scilicet,non omnibus falsa docentibus & credentibus,cùm interim,qui veram fidem tenebant,tacerent,sed hac ratione defecerunt verba illa posita in ore Ecclesiæ, contra apertissimum vaticinium Esaiæ, nec lucerna illa illustrauit domum contra Christi promissionem. Certè si quàm plurimis falsa docentibus, omnes, qui vera nouerunt, tacebant, illud præceptum Christi:prædicate super tecta:Et: Qui me erubuerit, & meos sermones, &c.omissum est in Ecclesia.& tunc non solùm defecerunt falsi illi doctores, aut prædicatores, sed & reliqui omnes,qui,cùm veritatem fidei nossent, eam confiteri noluerũt. Ore enim inquit Paulus confessio fit ad salutem. Perit igitur omnino Ecclesia, si aliquando vlla præualuit doctrina Apostolicæ prędicationi contraria: si defuerunt, qui apertè, & palàm resisterent falsitati. Vides ergo vt necesse sit, Apostolicæ prędicationis fidem semper in Ecclesia audiri,non minus quàm ipsam Ecclesiam, vsque in finem seculi permanere, si Christi promissa stare debeant.Nec certè tempore Achab, & Helię defuerũt in populo Israël saltẽ Hierosolymis, qui vnius veri Dei cultum contra idololatriam prædicarent: & reiectis vitulis, Hieroboam, & cęteris simulacris ad vnum verum Dei templum

templum confluxerũt. ita vt semper audiretur hæc vera fides, & expectaretur aduentus Messiæ,in quibus præcipuè tum Ecclesia congregata erat.Sic igitur nunc nunquam deerit publica,& manifestissima attestatio Apostolicæ doctrinæ, ex qua apertè contradicatur alienæ. Ex his, si attentè considerentur, duo colligũtur signa huic negotio agnoscendi scilicet veram Ecclesiam,veramque Apostolicam prędicationem,& his oppositam,falsam videlicet Ecclesiam, & doctrinam plurimũ accommoda.quibus quantum possumus capere,maximè consulitur tranquillitati piorum, & reuincitur proteruientium contentio. Alterum,quo agnoscatur,quale sit dogma, de quo agitur,alienum scilicet, vel consonum doctrinæ Apostolicæ: alterum,quo discernatur vera Ecclesia à falsa. Primùm igitur sic ostenditur ex prædictis, dogma illud, aut ritus, cui,cùm primùm cœptum est prædicari,aut audiri in Ecclesia, contradixerunt hi, qui in vnione Ecclesiæ stabant,atque nouum illud dixere, & contrarium fidei illi, quæ perpetua successione præcedentium omnium cordibus fidelium inhærebat,habendum est proculdubiò vt suspectum, & non admittendum, quousque id explicatum sit consensu aut omnium, aut certè plurium doctorum,& Ecclesiarum permanentium in vnione, & consensu Apostolicæ illius doctrinæ.Nec fieri potest, vt in hac discernenda controuersia desint testimonia certa Apostolicæ prædicationis,& fidei, semper in cordibus fidelium seruatæ, nec aliquid poterit vnquam contrarium huic certissimæ veritati introduci in Ecclesia, cui non palàm, & apertè contradicatur: deficeret enim alioquin Ecclesia: Ex quo statim fit,vt illud dogma, seu ritus, contra quem cùm primùm auditus est, nullus fidelium de nouitate aliena, & contraria Apostolicæ doctrinæ prescripsit, sed ab omnibus susceptum est, non posse contrarium esse veræ fidei,& Apostolicæ prædicationi. Vt itaque experientia fiat notum hoc, & experientia continua, notum est ex antiquis historijs, quod ante Arrium in pace agebant fideles omnes in confessione trinitatis: sed cùm ille primùm filium creaturam cœpisset dicere,reclamarunt Ecclesiarum antistites,dicentes, hoc alienum, & con-

Cap.52. Falsitatem cuiuscunq; dogmatis, vel ritus Ecclesiastici ex nouitate certissimè ostendi.

trarium Apostolicæ prædicationi & fidei illi, quam à maioribus acceperant, atque hac ratione illud publicè condemnarunt, & reiecerunt: nec fieri potuit, vt, non dicam centum annis, sed vel minimo spacio hoc dogma sustineretur in Ecclesia. Idem similiter contra Macedonium Spiritus sancti diuinitatem negantem scimus factum: atque contra Nestorium Eutychetem & reliquos in mysteriũ incarnationis errantes. Denique aduersus omnes hæreticos, vt manifestè proditum est historijs. Nam vt propiùs accedamus, constat ante octingentos annos, cùm Berengarius Andegauensis Archidiaconus in Sacramento altaris non veraciter, sed tanquam in signo tantùm, esse Christum assereret, mox tanquam rem nouam, & alienam antistites Ecclesiarum sese opposuerunt, illud reiecere, quousque tandem pluribus etiam consilijs damnatũ est, non aliunde certè, quàm ex illo consensu. Sic igitur reijciuntur falsa dogmata, sic probantur vera, qui enim erroris aliquid arguit, ostendat principium, & originem eius post Apostolos: & qualiter ei ab omnibus contradictum fuit. Nec enim potuit aliquid contrarium veritati ingredi tam sensim, & tacitè, vt dormitaret fides illa, & memoria prædicationis Apostolicæ, quam Christus promittit nec defuturam vnquam nec obscurandã.

Lib. de simpli. Prælat. Cùm enim hæresis vt inquit Cyprianus, & schismata postmodum nata sint (post fidem scilicet prædicatam ab Apostolis) dum conuenticula sibi diuersa constituunt: non potest fieri, vt ad primum illorum ortum Christianæ fidei simplicitas non turbetur, & vocem illam alienorum oues Christi non fugiant, vel saltem, vt in hac Ecclesia, non contradicatur ei, & legitimè condemnetur: si id ad tranquillitatem, & salutem Christiani populi opus fuerit. Hæc est igitur certissima cognitio discernendi vera dogmata à falsis, sed de his posteà latiùs, quæ nunc

Cap. 53. Ecclesiã ex nouitate dogmatum, vel rituum conuinci. solùm propter veram agnoscendam Ecclesiam, ex Apostolorum prædicatione dicta sunt. Et hoc sit iam secundum illud, quod inferri diximus, vt cùm quę sit vera Ecclesia dubitatur, cogitemus attentè, illam esse vbi nullum dogma, nullus ritus receptus est, qui testimonio fide digno redargutus est, de nouitate aliena, & contraria fidei Ecclesiarum omnium, quam con-

constat ab Apostolis prædicatam, seruatam fuisse in cordibus fidelium. ita videlicet quòd vbi aliquid circa hæc inuenitur, cui mox in suo ortu contradictum ab his, qui in consensu illo Apostolicę prædicationis, & vnione omnium Ecclesiarum permanent, fuit: ibi in illa congregatione, non est vera Ecclesia. cuius rei non potest fieri vt desint testimonia sufficientia in alijs Ecclesijs. Itaque hoc astruimus: si oblatio sacrificij altaris, oratio pro defunctis, inuocationes sanctorum, vota monastica contra Apostolicam prędicationem fuissent: non dico trecentis annis, sed nec vno quidem recipi potuissent in Ecclesia, quoniam eis mox contradiceretur, & testimonio publico Ecclesiarum adhærentium Apostolicæ doctrinę reijcerentur, quod cùm factum non sit, etiam concedentibus aduersarijs, inferimus Ecclesiam nostram, quæ hæc omnia obseruat, illam esse, quæ Apostolicæ doctrinæ consonat, nec vnquam ab illa discessit, atque idem dicimus de cæteris omnibus, quæ ab aduersarijs impugnantur: si aliquod ostenderint nos habere dogma, vel ritum, cui, mox vt ortum fuit, contradictum est, & reiectum testimonio Ecclesiarum conspirantium cum Apostolica prædicatione, fatebimur nostram non esse veram Ecclesiam, at verò nos apertè ostendimus eorum dogmatibus semper contradictum fuisse in Ecclesia, ex quo audiri cœperunt: & verarum Ecclesiarum testimonijs ea esse reiecta, nunquam negatio purgatorij, & oblationis sacrificij altaris, inuocationis sanctorum, chrismatis, & reliquorum huiusmodi audita fuit, quin ei contradiceretur. Damus originem, & ortum aduersorũ dogmatũ post Apostolos, & legitimam contradictionem eis factam, & damnationem, ideoque merito eos ab Ecclesia vera alienos ostendimus. Si quis verò inquirat, qui-

Cap. 54. Qui deceant ab Apostolica prædicatione, et semper eiusque Ecclesia. bus testimonijs in reijciendis, & manifestãdis nouis doctrinis vtendum sit, ex supradictis facilè respondetur, Ecclesiarum omnium ab Apostolis ipsis incipientium, & per successiones vsque ad nos primis illis adhęrentium, quod verum esse maximè ostenditur in testimonijs doctorum, & patrum illorum, quos certissimè reipsa constat, in Apostolicæ prædicationis veritate, & vnitate permansisse. atque diuersas Ecclesias, diuersisque Ecclesia.

tur reipsa noua sequan dens esse in

sisque temporibus, sed eadem, & consona voce docuisse. Necesse enim fuit, vt fides vna esset ipsorum, & populorum, quos ipsi docebant. sed quanquam hoc ita sit, tamen sic aperta est hæc perpetuò ab Apostolis prædicata doctrina animis omniũ inscripta, atque vnio Ecclesiarum omniũ in ea, vt re ipsa ostendatur, nec opus sit alijs testimonijs. Manifestant enim historiæ antiquarum Ecclesiarum semper cognitos fuisse populos, & Ecclesias, quæ se separabant, & apertè discretos ab his, qui permanebant in priori vnitate, qua ratione etiam nunc manifestissimum est: adeò vt quicquid ad hoc probandum adducitur, minus certum, & minus apertum videatur, quàm hoc ipsum, quod probare conamur. ostendant nobis aduersarij vbi, & quando nos separauimus, neque enim vnquam in Ecclesia Christus permisit defectionem hanc, & separationem multorum ab Apostolica doctrina, occultè fieri, & tacentibus his, qui in vnione permanent, certè nihil ostendunt horum in vlla historia fide digna. at nos & in historia, & in eorum præsentibus gestis, reipsa ostendimus, quòd se separent, & dissensiones faciant ab ea pace, & quiete fidei, & cultus, in qua non trecentis annis, quod ipsi fatentur, & esset satis ad eos non audiendos, sed octingentis, & mille trecentis perseuerarunt Ecclesiæ omnes, quæ Christi fidem sequuntur, ita vt si qua ab his discesserit, statim fuerit nota discessionis iniusta. hæc ita aperta sunt, vt nulla opus sit ampliori probatione, sed oratione tantùm humili ad Deum, quam nos toto animo effundemus, eum Ecclesia catholica, vt Deus, ac Dominus noster eruat omnes, quos vnda baptismatis dignatus est abluere, ab erroribus vniuersis, & ad sanctam matrem Ecclesiam catholicam, atque Apostolicam reuocare dignetur. Poterant de hac re sufficere, quę dicta sunt: verùm ne nostro sensu, sed Ecclesiæ ipsius, quam asserimus, ea nos dixisse constet, adducenda sunt vel nonnulla antiquorum patrum testimonia, quibus hęc eos, & Ecclesiam manifestè sensisse ostendamus: quanquam ex parte id inter ea, quæ diximus confirmãda, fecerimus, sed quia plurimùm hoc interest, apertiora nunc audiamus. Origines ille vetustissimus quàm manifestissimè hæc docet, & locos ipsos

Cap. 55. Testimonijs Origenis ostenditur, Apostolica prædicatio manifesta semper esse in Ecclesia.

sos scripturæ, quos adduximus in hunc sensum interpretatur. in Matthæum quidem locum istum: Si dixerint vobis: Ecce hic est Christus, ecce illic. sic enarrat: Dicet enim qui seducere voluerit nos, & defendere contrarium veritati: Ecce hic est Christus, demonstrans verbi gratia hunc Euangelij locum, alterius autem erroris auctor dicet: Ecce hic est Christus, offerens ad exemplum alterum textũ, qui videtur defendere mendacium illius verbi, quod proposuit. & sic ex lege, & prophetis, & ex Apostolis profert vnusquisque, quæ videntur defendere mendacium illud, vtpote veritatem. multa dicit deinde diuersimodè enarrans hæc verba, sed omnia in hunc sensum, vt ostendat, hæreticos nonnunquam ex abditis locis scripturæ, nonnunquam ex manifestis sua confirmare, & tandem post omnia in fine ita inquit, quodcunque professi fuerint ex scripturis, & de mysterijs, quę sunt in eis ad demonstrationem, nolite credere, quæ dicunt. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab oriente, & apparenti vsque ad occidentem, qualis est veritas Ecclesiæ Dei. Ab ea enim sola sonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum: & velociter currit sola virtus Dei. Hæc Orig. in illa loca, Vides igitur quo confugiat in dubio sensu, & dogmate fidei, nempe ad Ecclesiam manifestam, nempe ad sonum prædicationis Apostolicæ, quem non dubitat percurrisse omnem terram. Eodem etiam sensu, *Homelia 30.* & verba illa eiusdem Euangelistæ exponens, vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Ita inquit, exaggerationis sermo est, & ostendere vult, quoniam frequenter valde persuasorij sunt sermones hæreticorũ, & commouere potêres etiam eos, qui sapienter audiunt: Et post pauca quædam: propterea, inquit, non debemus attendere eis, qui dicunt: Ecce hic est Christus: non autem ostendunt eum in Ecclesia, quæ plena est fulgore, ab oriente vsque occidentem, quæ est plena lumine vero, quæ columna est, & firmamentum veritatis, in qua tota totus est aduentus Filij hominis dicentis omnibus vbicunque sint: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: & vbicunque fuerit, quod est secundum dispensationem passionis, cadauer eius, qui ideo cecidit, vt eri

gat

Cap. 56. Idem ostenditur Clemẽtis, & Irenæi testimonijs. Epist. 5.

gat eos, qui ecciderunt, illuc congregabuntur non qualescũque, sed aquilæ discipuli, de quibus Propheta etiam dicebat: Assument pennas, vt aquilæ. Hæc etiam nónne apertè confirmant in Ecclesia apertam esse, & manifestam lucem, qua sit scriptura exponenda? Clemens ille Petri discipulus, & successor superiùs citatus est, intelligentiam scripturarum non à proprio sensu, sed ab eis, qui eam à maioribus acceperunt sumendam esse docens. Irenæum in assertione nostra catholica adduximus capite de Ecclesia, & de Concilijs, est ille locupletissimus omnium horum testis, & quidem fide dignissimus. Citauimus etiam proximè quod apud Eusebium dicitur aduersus Florinum hæreticum, quibus hæc maximè confirmantur, sed nũc etiam admonemus, vt priora capita tertij libri aduersus hæreses Valentini attentè legantur, quæ maximè expli-

Cap. 3. cant, quæ diximus. vbi ex multis pauca audi. Primò enim prædicationem Apostolorum in toto mundo manifestam esse in Ecclesia, & perspicuam docens, & discipulorum, quos Apostoli instituerunt facta mentione, sic de illis inquit: Qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur hæreticos notans, contra quos loquitur, & statim Ecclesiæ Romanæ mentione facta, de qua posteà dicemus, successiones omnium vsque ad sua tempora, in quibus vt ille inquit, episcopatum ab Apostolis, duodecimo loco Eleutherius tenebat. enumerans sic statim inquit, hac ordinatione, & successione ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio peruenit vsq; ad nos: & plenissima est hæc ostensio vnã, & eandem viuificatricem esse fidem, quæ in Ecclesia est ab Apostolis vsque nunc conseruata, & tradita in veritate. hæc sunt huius probatissimi patris verba. In quibus vides prædicationis Apostolicæ auctoritatem primò omnium quærendam, idque testimonio Ecclesiarum. Vnde & statim Smirnensis Ecclesię, atque Polycarpi ab Apostolis ibi constituti episcopi, & reliquarum Ecclesiarum Asiæ, & Ephesinæ etiam à Paulo fundatæ, & edoctæ plenius à Ioanne, testimonijs vtitur

Cap. 4. ad confirmandam fidem: atque deinde Ecclesiarũ multarum apud Barbaros, quæ sine vllis, inquit, literis fidem susceperunt, & te-

& tenent mentione facta, ita tandem inquit, quæ per illam veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptione quidem mentis admittunt, quodeũque portentiloquium est, atque deinde ortum, & progressum Valentini heretici, & Cerdonis, Marcionisque, & eorum, qui vocantur gnostici, à menandro Simonis discipulo referens, docet, sub quibus Romanis episcopis inceperint, vel progressi sint, tandem ait. Omnes autem hi multò posteriùs, mediantibus iam Ecclesiæ temporibus, insurrexerunt in suam apostasiam. Hæc quidem ille: In quibus obserua, quàm verissimum sit, quod diximus, ex Origine præcipuè, & nouitate excipiendum esse contra hæreses. Tertullianus non est in hac re omittendus, totus ille liber de præscriptionibus aduersus hæreticos nihil aliud cõtinet, quàm testimonio huius, quæ diximus, Apostolicæ prędicationis, & fidei Ecclesiarum omnium testimonia manifestissima. quę ideo magis dignа sunt fide, quoniã ipsum auctorem errantem posteà, & ad schisma Montani deficientem maximè arguũt & conuincunt. Citauimus in assertione catholica nonnulla, quæ Brentius dicit me non intellexisse, & se explicaturũ promittit, quod cùm fecerit, agnoscemus qualia sint, quoniam verò omnia illius libri digna sunt attentissima consideratione, perstringamus nõnulla huic proposito conuenientia. Cùm igitur dixisset hæreticos ad scripturas prouocare, statim sic loquitur. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus: non admittendos eos ad vllam de scripturis disputationem, quod auctoritate Apostoli confirmamus. qui vt ille inquit, prohibet quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, & hæreticum post vnam correptionem vitare iubet adeò inquiens interdicit disputationi, & post alia ita inquit. Ergo non ad scripturas prouocandum est, nec in his constituendũ certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita euaderet collatio scripturarum, vt vtranque partem sisteret: ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc disputandum est, quibus competit fides ipsa, cuius sint scripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani, vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinę,

Cap. 58. Idẽ testimonio Tertulliani probatur.

scipline, & fidei Christianę, illic & veritas scripturarū, & expositionū, & omniū traditionū Christianorū, vbi vide scripturæ expositionē ex fundata prius fide, & traditione sumendā esse, & eodē loco statim post supradicta docet, Apostolos à Christo electos missos fuisse ad prędicandum, & fundasse Ecclesias apud vnamquanque ciuitatem, à quibus inquit, verba enim eius referam, traducem fidei, & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatę sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. En igitur Apostolicam prædicationem originem Ecclesiarum esse. In eodem libro Origenes hæreticorum, contra quos præcipuè agebat, Marcionis scilicet, Valētini, & aliorum deteges errores, sicut Irenęus prędmittit Apostolorū doctrinā, & de ea dicit dictum esse: Et si Angelus de cælo aliter euangelizauerit anathema sit. & statim sic inquit, vbi tunc Marcion Ponticus, Nauclerus, Stoicæ studiosus, vbi tunc Valentinus, Platonicæ sectator. nam cōstat illos, nec adeò olim fuisse Antonini ferè principatu, & in catholicam primò penè doctrinam credidisse, apud Ecclesiam Romanam, sub episcopatu Eleutheri benedicti: donec ob inquietam eorum semper curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel, & iterum eiecti. & post multa, quæ de his hæreticis dicit, proposita, illa parabola, Euangelica de zizania superseminata, sic inquit: ita ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum, & falsum, quod sit posterius immissum. atque deinde hæresum aliarum, quarum Apostoli meminerunt, eaſque damnarunt, recensito longo catalogo, ita inquit, eligant igitur sibi tempora vniuersæ hæreses, quę, quando fuerint, dum nō interfit, quæ quando, dum de veritate non sint vtique, quæ sub Apostolis non fuerunt, si fuissent nominarentur: quæ verò sub Apostolis fuerunt, in ipsa nominatione damnantur, & tandem concludit. His definitionibus inquiens, prouocatæ sunt, & reuictę omnes hæreses à nobis, quę referre nō est opus. In his satis est ostendisse, qualiter ex origine, & nouo principio hæreses cognitæ & damnatæ fuerunt semper. Augustinus hæc frequentissimè aduersus hæreticos repetit, maximè aduersus Donatistas. Sed audi quædam

Lib. 2. cap. 32.

Cap. 59. Idem etiam auctoritate Augustini probatur.

dam contra literas Petiliani: citatis illis verbis Psalmi. In omnem terram exiuit sonus eorum, &c. Hinc fit (ait) vt Ecclesia vera neminem lateat: vnde est illud, quod in Euangelio ipse dicit: Non potest ciuitas abscondi super montem constituta. Et contra epistolam Permeniani: Nulla est igitur, ait, securitas vnitatis, nisi ex promissis Dei Ecclesia declarata, quæ super montem, vt dictum est, constituta, abscondi non potest: Et ideo necesse est, vt omnibus partibus sit nota. Et rursum contra Cresconium Grammaticum, Ecclesia inquit, cunctis clara, atque perspicua, quippe ciuitas, quæ abscondi non potest super montem cōstituta, per quam dominatur Christus à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ, tanquam semen Abraham multiplicatum, sicut stellæ cæli, & sicut arena maris, in quo benedicuntur omnes gentes. Hanc etiam Cyprianus ita commendat, vt eam dicat domum luce perfusam, radios suos per orbem terrarum porrigere, ramos suos per vniuersam terram copia vbertatis extēdere. Vides itaque Augustē. Ecclesiam abscondi non posse ex verbis Euangelij, quibus nos id probauimus, asserentem, & prędicationem Apostolicam verum esse lumen eius manifestissimè docentem. Et hæc quidem prętер illa, quę citata sunt de librorum Canonicorum auctoritate, & de testimonio Ecclesiæ circa illos. Denique, & aduersus Pelagianos antiquorū patrum multis testimonijs vtens tandem ait, Nimis longum esset omnia commemorare, quæ sanctus Ambrosius aduersus hāc hæresim Pelagianorum tantò post exorituram non eis quidem respondens, sed prædicans catholicam fidem, sed nec illa commemorare potui, quę gloriosissimus in Domino Cyprianus posuit, quibus demonstratur quomodo sit hæc, quam tenemus, fides vera, vereque Christiana, atque catholica sicut per scripturas sanctas antiquitùs tradita, sic à patribus nostris, & vsque ad hoc tempus, quo isti eam conuellere tentauere, retenta, atque seruata: & deinceps propicio Deo retinenda, atque seruanda. Et post pauca, sicut autem vsque ad tempora nostra seruata ea, quæ de his rebus antequam isti ebullire cœpissent. Ambrosius cōscripsit, ostendunt & quòd eorum pro-

Lib. 3. cap. 5.

Lib. 2. ca. 36.

Lib. 4. cont. duas epistol. Pela. ca. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phanas nouitates catholicæ aures, quæ vbique sunt, horruerunt: sic deinceps esse seruanda, satis salubriter istorum partim damnatio, partim correctio declarauit. Et post pauca contra eorum calumnias: Domino, inquit, miserante, suamque Ecclesiam misericorditer gubernante, sic vigilauit catholica fides, vt non minus stultum, quàm impium dogma sicut Manichæorum, ita etiã eorum non susciperetur. Hæc illo loco Augustinus inter multa alia. In quibus vide manifestè, quo loco consensum patrum ponit, & qualiter sentit in Ecclesia Christi gratia fieri ne nouitas aliqua prophana contraria Apostolicæ fidei suscipiatur. sed perseueret semper in ea certissima illa, & prima traditio. Vincentius ille Gallus presbyter, & monachus Lirinensis, & hic ante mille annos aduersus prophanas omnium hæresum nationes pauca scripsit, quæ nec integra habemus omnia, tamen modestè, eleganter, & maturo iudicio, veraque pietate scripta plurimum certè conducunt vitandis erroribus, & omnia ea, quæ diximus de Apostolorum prædicatione, de Ecclesia manifesta, & nouitate ortus hęresum omnium cõfirmant: cuius testimonijs vtemur posteà: nunc satis sit pauca eius perstrinxisse. Sępe, inquit, magno studio, & summa attentione, perquirens à quàmplurimis sanctitate, & doctrina prestantibus viris, quonam modo possem certa quadam, & quasi generali, ac regulari via catholicæ fidei veritatem ab hęreticæ prauitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli: quòd si ego, siue quis vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosq; vitare, & in fide sana sanus, atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adiuuante, deberet. Primò scilicet diuinæ legis auctoritate, tum deinde Ecclesiæ catholicæ traditione. Hæc primò loquitur: & deinde rationem inquirens, quare canon scripturarum, cùm perfectus sit, non ad omnia satis, superque sufficiat, & quid opus sit, vt ei Ecclesiæ intelligentiæ iungatur auctoritas, sic respondet: quia videlicet scripturam sacram, pro ipsa sui altitudine, non vno, eodemque sensu vniuersi accipiunt. Et statim exemplũ omnium hæreticorum ponens, idcirco, inquit, necesse est, vt propheticæ,

Cap. 59. Vincentij Lirinensis auctoritate idem probatur.

ęæ, & Apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici, & catholici sensus normam dirigatur. In ipsa itaque catholiça Ecclesia magnopere curandum est, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. hoc est enim verè, proprieque catholicum, sed hoc ita demum fiet, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem, sequemur autem vniuersitatem, si vnam hanc fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: antiquitatem verò: si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos maiores, ac patres nostros celebrasse manifestũ est: consensionem quoque itidem, si eam ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium sacerdotum, pariter & magistrorum definitiones, sententiasque sequamur. Quid rogo salubrius, quid æquius, & moderatius dici potest, vel cogitari? vbi vides quid scripturæ, quid Ecclesiæ tribuendum sit in expositione scripturæ, Et post nonnulla alia, mentione facta Ambrosij, & aliorum episcoporum, qui hæresibus restiterunt, sic, inquit, vniuersum iam penè mundum sæua repentinæ hæreseos tempestate perculsum ad antiquam fidem à nouella perfidia, ad antiquam sanitatem à nouitatis væsania, ad antiquam lucem à nouitatis cæcitate reuocarunt. sed in hac diuina quadam confessorum virtute, illud est etiam nobis vel maximè considerandum: quòd tunc apud ipsam Ecclesiæ vetustatem, non partis alicuius, sed vniuersitatis ab his est suscepta defensio. Vbi vides hæreses omnes nouitatis argui, Et quæ superiùs diximus de ea, quæ semper in Ecclesia illis facta est, contradictione probari ab hoc pio, doctoque patre. quod post pauca ita confirmat. Siquidem mos iste, inquit, semper in Ecclesia viguit, vt quo quisque floreret religiosior, eo promptiùs nouellis adinuentionibus contrairet. exemplis talibus plena sunt omnia, sed ne longum fiat, vnum aliquod, & hoc ab Apostolica potissimùm sede sumemus: vt omnes luce clariùs videant beatorum Apostolorum beata successio, quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptę semel religionis integritatem. Vide itaque quàm manifestè ostendat, quod diximus, nunquam nouitates in Ecclesia introduci

 potuisse,

Universidad de Deusto
Biblioteca

potuisse, quin eis manifestè contradiceretur. Longum esset cæ
tera omnia referre, quæ prudenter quidem, & salubriter eo lo
co prosequitur. Imponamus igitur finem huic primæ rationi,
qua tanquam lumine quodam, & signo veram Ecclesiam ag-
noscendam diximus, hoc est, conspiratio, & consensus in pu-
blica doctrina fidei cum primitiua, & Apostolica Ecclesia, &
omnibus toto terrarum orbe fidelibus, quod testimonio pa-
trum, & doctorum, qui ab Apostolis succedentes suis tempo-
poribus, & locis, quamuis diuersis, eidem fidei testimonium
perhibuerunt, ostenditur: quam satis pro captu nostro puta-
mus explicatam, & confirmatam esse. Secundum igi-
tur illud signum, quo Ecclesiam etiam manifestari diximus,
legitima scilicet, & continua successio est breuiter explican-
dum, Et quidem illud certissimum est, Ecclesiam Christi sine
ministris, sine pastoribus, & verbi, Sacramentorumque dispen
satoribus, non posse constare, sine illis inquam, de quibus lo-
quitur Paulus dicens: sic nos existimet homo, vt ministros
Christi, & dispensatores ministeriorũ eius, Et rursus: Idoneos
nos fecit ministros noui Testamenti. Hos enim necessarios es-
se omnium gentium consensus satis ostendit. Apud quem vn-
quam populum, aut gentem templum fuit, aut cuiusuis falsi
Dei cultus sine sacerdotibus, alijsque ministris? confirmat ve-
teris legis Diuina auctoritas, in qua tanta cura adhibita fuit
sacerdotum, & leuitarum constituendorum, & conseruando-
rum. Ad hoc enim electio tribus Leuiticę: ad hoc tot leges, tot
cæremoniæ, tot obseruantiæ circa genus, & rationem vitæ, at-
que ministeriorum templi conscriptæ sunt, quibus manife-
stum sit, primam curam Dei erga populum illum peculiarem,
quem suo cultui reseruauerat de sacerdotibus fuisse: quod
etiam Christus dominus in Ecclesiæ suæ ædificatione curauit:
elegit duodecim Apostolos, quibus potestatem spirituum im
mundorum tribuens, eos ad prædicãdum mittit: designat po-
steà septuaginta duos discipulos minori quidem gradu, sed
ad idem munus prædicationis, vtrisque dicit: Qui vos audit,
me audit: qui vos spernit, me spernit: Apostolis specialiùs:
Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis:
& quę-

Cap. 60. Episcopos, & reliquos ministros necessarios esse in Ecclesia.

1. Cor. 4.

Luc. 6. & 9. Matth. 10. Luc. 10.

Matth. 18.

& quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.
Eisdem rursus, quorum remiseritis, ait, peccata, remittuntur *Ioan. 20.*
eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: hoc quidem post re-
surrectionem: & tũc rursus eos ad prædicandum mittit, & ba-
ptizandum. Et denique Petro specialiter inquit, Si amas me, *Ioan. 21.*
pasce oues meas, sicut prius eidem promiserat, tu es Petrus, in-
quiens, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quis
non intelligat sine his non posse constare Ecclesiã, super quos
ædificatur. superædificari, inquit Paulus, super fundamenta *Ephes. 2.*
Apostolorũ, à quibus docetur, & regitur, Posuit inquit idem,
vos Spiritus sanctus episcopos, regere Ecclesiam, quam acqui *Actuũ 20.*
siuit sanguine suo, à quibus pascitur, atque deducitur. Pasci- *1. Pet. 5.*
te, inquit Petrus, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes nõ
coactè, sed spontaneè & secundum Deum: nec turpis lucri gra
tia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma
facti gregis ex animo. Ecce ducatũ, forma inquit facti gregis,
de quo & Christus inquit, cùm proprias oues emiserit, ante *Ioan. 10.*
eas vadit, & oues illum sequuntur. quomodo ergo constabit
Ecclesia, & concio populi sine pastore, cuius absentiam solam
docet Saluator esse perpetuam perditionem gregis? Lupus in-
quit rapit, & dispergit oues, cùm prius dixisset, mercenarius
fugit, & videt lupum venientem, &c. plena est Christi, & Apo-
stolorum doctrina necessitate ministrorũ verbi, & Sacramen-
torum, per quos & illa, & reliqua omnia, quæ Christianis po-
pulis ad salutem æternam sunt necessaria vice, & loco Dei
administrantur. Colligit ferè omnia admirabili, & digna con-
sideratione doctrina Paulus, sic scribens de Christo. Et ipse *Ephes. 4.*
dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophe- *Cap. 61. Ex*
tas, alios pastores, & doctores ad consummationem sanctorum *testimonio, ad quid ministri sint Ecclesiæ necessarij, ostẽditur.*
in opus ministerij, in ędificationem corporis Christi. donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij
Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis
Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumfera-
mur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad
circumuentionem erroris, veritatem autem facientes in cha-
ritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid apertiùs audiri, vel dici potest, opus est ait Paulus ad Ecclesiæ ædificationem, ad seruandam eam integram, & promouendam, pastoribus, & doctoribus, cæterisque functionibus à Christo distributis: opus inquam est primùm, vt paruuli spirituali sensu, non perpetuò in infantia illa permaneant, expositi omni tentationi, & periculo circumuētionis, fallæque doctrinæ: sed assurgant ad exercitationem sensuum, discretionemq; boni, & mali. vt iam, inquit, nō simus paruuli: tum vt, qui adoleuerint, & exuta infantia cœperint, maturum sensum induere, proficiant quotidiana exercitatione, qua ad perfectam consummationem contenditur, atque ideo in consummatione sanctorum, ait, datos diuersos illos, de quibus loquitur, gradus. Et vt veritatem, inquit, facientes crescamus in illo, qui est caput. Denique vt, qui profecerūt, alios adiuuent, & ministrēt eis, quibus & ipsi proficiant, in opus inquit ministerij, vt his tandem gradibus perueniamus omnes ad metam, donec occurramus, inquit, omnes in virum perfectum, meritò enim inquit donec occurramus omnes in virum perfectum: nam
Hiere.31. posteà nō docebit, inquit, propheta vltra vir proximū suum, & vir fratrem suum dicens: cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum ait Dominus. nunc autē doctrina, & instructione semper opus est
1. ad Tim.4. Paulo, & verbo, & exemplo ita docente. Insta ait exhortationi, & doctrinæ. Quis non ex his intelligat, quod sicut in corpore mutuis officijs egent membra, nec est vllum vel omnium minimum, quo non omnia reliqua egeant, nec potest sicut
1. Corint. 12 Paulus testatur, oculus dicere manui, opera tua indigeo: nec iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij, sic etiam in Ecclesia cùm nullum membrum non necessarium sit reliquis omnibus, multò verò magis pastores, atque doctores, qui meritò in Ecclesia capitis, & oculorum officia tenent, siquidem gubernant, & dirigunt, sicut sine illis non aliter sit Ecclesia,
Heb.13. quàm truncum, & sine capite corpus. Obedite inquit Paulus præpositis vestris, & subiacete eis, Ipsi enim peruigilant, tanquam rationem reddituri pro animabus vestris, vt cum gaudio faciant non gementes, Hoc enim nō expedit vobis. Quod si

si ita est, manifestè constat non tantùm ministros necessarios esse ad Ecclesiæ integritatem, sed etiam ipsos à subditis agnoscendos esse, & loco eius, cuius ministri sunt, habendos, & suscipiendos. Sicut enim superiùs diximus, ipse ait: Qui vos audit, me audit, qui vos recipit, me recipit. Quòd si hoc tam manifestum est, nónne apertè sequitur, promissionem illam Ecclesiæ factā, quòd nunquā vsque ad finē seculi defutura sit, de ministris etiam eius, imò de illis maximè accipiendam esse, ita scilicet, vt qui curam conseruandi Ecclesiam sibi susceperit, idque certissimè præstaturus est, eadem etiam ratione susceperisse credendus est ministros perpetuò conseruandi prouinciam. Nónne cùm in Euangelio inquit seruis, quos præposuit familiæ, vt dent illis cibum in tempore, vigilate. &: beatus ille seruus, quem, cùm venerit Dominus inuenerit vigilantē, apertè ostendit vsque ad aduentum suum, vsq; ad diem, scilicet iudicij habiturum se seruos in Ecclesia, quorum curæ sit commissa familia? alios quidem bonos, alios autem malos, de quibus mox eodem loco inquit, quòd si dixerit malus seruus in corde suo, morā facit dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos, &c. Quia itaque perpetuò seruos habiturus est, postquam ad vigilandum exhortatus est eos, apud aliū Euangelistam addit: quod autem vobis dico vigilate, vt non tantùm ad præsentes Apostolos, sed ad omnes etiam post futuros ministros suos dicta illa esse intelligeremus. Nam & propterea, cùm eisdem Apostolis diceret: Ego vobiscū sum omnibus diebus, addidit vsque ad cōsummationem seculi: vsque ad quam Apostoli ipsi non permansuri erant: vt agnoscamus non personis, sed gradui, & ministerio id promitti. Igitur erūt perpetuò in Ecclesia ministri legitimi: aderit illis Christus, agnoscentur à populis, ab ouibus scilicet Christi. Quòd si quicquam horum omnino deficeret, necesse esset Ecclesiam ipsam deficere. Huic igitur tanquam certissimo fundamento illud addemus, legitimos ministros, & pastores non esse alios, quàm qui à Christo potestatem accipiunt: Qui non intrat inquit ille, per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est, & latro, qui autem intrat per ostium, pastor est ouium, quod

Cap.62. Non posse ministros Christi deesse in Ecclesia magis, q̄ eā deficere. Matth.24.

Marc.13.

Matth.28.

Cap.63. Legitimos ministros solos esse eos, qui à Christo potestatem accipiunt. Ioan.10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod ibidem explicãs, ego inquit sum ostium ouium. omnes, quotquot venerunt, fures sunt & latrones. Venerunt inquit, non per ostium, sed aliunde, vt ibi ait aut aliter: venerunt ante me, scilicet, vt nonnulli legunt, hoc est nõ sequentes ordinem meum. quod quia ipsum vocabulum venerunt satis indicat, non est opus aliter explicare. Omnes quotquot venerunt, sua sponte, sua auctoritate, sicut alibi ait, per prophetam, non mittebam eos, & ipsi currebant, Hi fures sunt, & latrones: quia scilicet in gregem Christi, eo non concedente auctoritatem sese intruserunt, quod Paulus apertè explicat. Nemo inquiens assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tãquam Aaron. Domus Dei est familia eius: grex eius, eius res agitur. ad illum igitur pertinet constituere ministros. Vt igitur, qui legitimi sint, discernatur, eius ordinatio agnoscenda est, ab ea pendet, vt legitimus sit minister eius, sicut à ministri moribus, & doctrina, vt sit bonus. Nam malos esse ministros diximus ab ipso Christo significatum, qualiter igitur Christus Ecclesiæ suæ ministros dederit, mortales scilicet homines, qua via in Ecclesia sua ex mortalibus scilicet hominibus constituta, vsq; ad finem seculi ipsos conseruare disposuerit, nobis cogitandum est, idque ex ipsis euangelicis, & Apostolicis scriptis, atque certissima historia antiquitatis Ecclesiasticæ. Ex quibus illud certè constat, non carnali propagatione, qua videlicet ex sanguinibus, & voluntate carnis gignuntur homines, cõseruari sacerdotium Christianum, sicut olim Leuiticum sacerdotium conseruatum est non ad certam familiam, & generationem ministeria Ecclesiæ suæ astricta esse decreuit Christus: nec enim hoc tempore gratiæ conueniebat, quod magis tempus recedendi ab amplexibus carnali scilicet coniunctione, quàm amplexandi est, vt Salomonis verbis vtamur, quando scilicet prædicatur omnibus omnium rerum temporalium vxoris etiam, & filiorum beatus, felixque contemptus. Sicut igitur Ecclesia non carnali generatione multiplicatur, sic nec ministri propagantur carnaliter, sed vtrunque doctrina, & sacramentis fit, sic Apostoli generant populos Deo, in Christo Iesu, inquit Paulus, per Euangelium ego vos genui ministros, vt ipsemet Paulus

Heb. 5.

Cap. 64. *Ostenditur modus, quo à Christo per Apostolos propagantur, & deriuantur ministri Ecclesiæ.*

Paulus suos, Timotheum, & Titum germanos, & charissimos filios nominat, quos & Ecclesijs præfecit. Relicta igitur carnali illa propagationis via manifestè legimus, vt suprà dictum est, Christum duodecim Apostolos electione constituisse, eisdem ministeriorum omnium suorum, & gubernationis Ecclesiæ plenissimam dedisse potestatem, qua vterentur post suam in cælum ascensionẽ, quos ad hoc ipsum plenè, & ritè agendum per Spiritum sanctum de cælis missum perfecit. Hos tota reliqua Ecclesia mox post Christi ascensionem agnouit duces, & gubernatores suos: Hos secuta est illa familia, quam Christus ipse præsens gubernarat, vt Lucas in principio Actuum Apostolorum testatur: multò verò magis hoc ipsum agnouerunt reliqui omnes, post ad eorum prędicationem credentes, & accedentes ad Ecclesiam: erant, inquit Lucas, perseuerantes in doctrina Apostolorum. Illi igitur hac Christi auctoritate vtentes Ecclesijs, quas ædificarunt, episcopis, & ipsis alios etiam ordinandi tradiderunt potestatem. Ostendunt hoc historiæ. Petrus Ignatium Antiochiæ dedit Episcopum, Marcum Alexandriam misit: Clementem post se constituit Romæ. Hoc itaque modo apertè ostendimus, nullum agnoscendum Episcopum, nullum legitimum ministrum Ecclesiæ, nisi aut à Christo, aut ab his, quos Christus primò instituit, aut ab illis, quibus ipsi transfuderunt hanc suam auctoritatem, ordinatum inquam, ea ratione, & modo, quo à Christo institutum fuisse credimus. Nam Paulus ipse, quoniam non à Christo viuente in hoc seculo hãc accepit auctoritatem, sed ab eo post ascẽsionem vocatus fuit, non aliter agnitus est, nisi & baptizatus, & Ecclesiæ vnitus, qui posteà etiam ab ipsis Apostolis dextras accepit, vt ille inquit, Apostolum se dicit non ab hominibus, nec per hominem, sed per Iesum Christum: vnde & ait. Qui operatus est Petro in Apostolatu circũcisionis operatus est mihi inter gentes, & tamen ab ipsis Apostolis voluit eum Deus probari, & Ecclesiæ vniri, certè in eadem baptizari, & ordinari. Ideo mittitur ad Ananiam, à quo & baptizatus est. Et posteà, Segregate, inquit Ecclesię Spiritus sanctus, mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, & tunc ieiunantes, & orantes, impo-

Act. 2.

Galat. 2.

Gal. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

imponentesque eis manus dimiserunt illos. Quid aliud his omnibus, quàm ordinatio significatur, constat enim ita tunc factam fuisse in Ecclesia. Hic igitur Apostolus post Christi ascensionem aduentu Spiritus sancti vocatus, non propterea minor dignitate, aut gratia fuit cæteris Apostolis: & tamen oportuit aliorum auctoritate ipsum ab Ecclesia agnosci, atque ordinari in ea, ita Spiritu sancto volente. Hi igitur omnes, & quos præsens in carne, & quos post ascensionē elegit, Apostoli Christiani populi sunt patriarchæ, Sicut enim duodecim filij Iacob totius Israëlitici populi parentes carnales fuerunt: ita hi Christiani populi spirituales progenitores, de quibus illud Psalmi verissimè intelligitur Christo dictum, pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram, loco inquit patriarcharū, quibus populus ille primus multiplicatus est, nati sunt tibi Apostoli, quos similiter totius terræ principes facias, vt scilicet ex eis per omnem terram populi tibi nascantur: vnde inquit, memores erunt nominis tui Domine in omni generatione, & generationem. Illi inquam filij loco patrum nati, per omnes generationes annunciabunt nomen tuum, vt omnes sint tui memores, & denique ait: Propterea populi confitebūtur tibi in æternum, & in seculum seculi. Hæc est totius mundi conuersio, & Ecclesiæ perpetua perseuerantia, quæ omnia per Apostolos ab ipso Christo deriuata ita sunt, sicut à Iacob per filios totus ille Israëliticus populus, prophetæ scilicet, reges, & sacerdotes. Itaque quod attinet ad veritatem, Apostoli sunt Christiani populi parentes, non aliter quàm per auctoritatem administrandi verbum, & sacramenta, atque iuxta ea gubernandi populum: vnde & verè sunt veri templi sacerdotes, & Leuitæ, sunt vera tribus Le

Cap. 65. Ex scriptura, et patribus ordinatio ministrorū Ecclesiæ manifestatur.

ui, ex qua sola sacerdotes esse poterant. Sicut itaq; nullus aggnoscitur in illo Dei populo, nisi per filios Iacob descendens, nullus in illo tēplo minister, nisi ex genere Leui, ita reuera nullus Christianus, nisi per Apostolos, nullus sacerdos in Ecclesia, nullus minister nisi per eosdem sit & Christo genitus, & sacris eius initiatus, per eosdem certè doctrinam, & sacramenta ministrantes. Quod vt scripturæ sacrę auctoritate ostendamus:

mus: Paulus Timotheum suum electione, & impositione manuū ordinat. Admoneo, inquit, te, vt suscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum, & rursum: noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij, vbi constat & electionis, & ordinationis apertam fieri mentionem, eidem dat auctoritatem ordinandi episcopos, & cæteros ministros. Propterea instruit ipsum, quales esse debeant, vt si tardauero, inquit, scias quomodo oporteat te conuersari in Ecclesia Dei. vnde ei dicit: nemini citò manum imposueris. Tito etiam manifestè inquit: Reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, Apostoli septē diaconos in ministerium necessarium Ecclesiæ oratione, & impositione manuum ordinant. &, quod certissimis testimonijs antiquitatis constat, Iacobum fratrem Domini, Petrus, Ioannes, & Iacobus Apostoli Hierosolymitanum episcopum oratione, & impositione manuum ordinarunt, vt Anacletus Petri discipulus ab eo sacerdos ordinatus, & in eadem sede post Clementem succedens, apertè testatur epistola ad episcopos Italiæ. Vnde forma illa vsque hodie permanet in Ecclesia, vt Episcopus non nisi à tribus ordinetur, quod vt ipse testatur Anacletus, Apostoli instituerunt, & Anicetus epistola ad Episcopos Galliæ idem testatur, quod posteà Nicænum concilium, & Carthaginense quartum magnæ auctoritatis, vbi de omnium ministrorum ordinatione facta est mentio, confirmant: nullum scilicet episcopum minus quàm à tribus ordinādum esse, sicut presbyteros, & alios ministros, non nisi ab episcopis ordinandos & supradicti pontifices, & concilia, & tota semper clamat Ecclesia: ita vt nullus magis irridendus sit, quàm qui hoc probari sibi petat. Iam verò his omnibus per quam apertū fit, hanc derivationem potestatis, & successionem ministrorum omnium ecclesiæ ab Apostolis, & ordinationem ita esse necessariam, vt sine hac nulla constet Ecclesia. Hinc est illa tam certa successionis Episcoporum in primis illis Ecclesijs memoria, omniū historiarum testimonijs tradita, quis scilicet Iacobo Hierosolymis successit: & Ignatio Antiochiæ, Alexandriæ Marco, Ephesi

2. Tim. 1.
1. Tim. 4.
1. Tim. 5.
1. Tim. 5.
Ad Tit. 1.
Actuum. 6.
Cap. 4
Cap. 2.
Cap. 66.

Successio episcoporū ab Apostolis semper cognita in Ecclesia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ephesi Ioanni, Romę Petro. & illis primis, qui alij sucecesserũt, quod Eusebius omnibus libris suæ historiæ diligentissimè tradit. Cur hoc? nisi vt apertè nosceremus ab Apostolis deriuari omnem hanc ecclesiasticæ potestatis auctoritatem. Neque enim aliter illi ab antiquitate agnoscerẽtur veri Episcopi, nisi propter hanc legitimam successionem. Testantur hoc apertissimè antiquorum quàm plurimi: & citauimus nos in assertione catholica cap. de Ecclesia. Tertulliani, Irenęi, & Cypriani ex eisdem libris, de quibus proximè diximus, manifestissima testimonia quæ hîc non est opus repetere: cùm libros illos totos legendos ab omnibus proposuerimus. Tertullianus inquit Pater Christum misit, ille Apostolos, non ergo recipiendos alios, nisi illos, aut per illos descendentes. Cyprianus illos perfidos dicit, qui se prępositos sine vlla ordinatione legis constituunt. Irenæus denique eadem ratione aduersus hæreticos agendum esse censet, maximè quòd non possint ostendere suam ab Apostolis successionem. Et quidem ad legitimam

Cap. 67. Electio, & ordinatio ministrorũ ostenditur necessaria.

hanc auctoritatem non solùm ordinationem, siue manus impositionem necessariam esse, sed etiam electionem legitimis suffragijs, & scrutinio faciendam semper agnouit Ecclesia, ipsius Christi exemplo, qui duodecim elegit, Et Apostolorũ, qui septem diaconos ab plebe constituunt eligendos, quod Concilium illud quartum Carthaginense, de quo diximus: & Anacletus manifestissimè confirmant, quæ quidem electio longo tempore in Ecclesia à clero & populo facta est, cuius rei manifesta sunt testimonia in historijs omnibus, quia tamen hoc ad rationem pertinet politiæ, & legis humanæ, quam iu-

De lib. arb. lib. 1. cap. 6.

xta mores hominum secundum legem æternam, & æquitatis rationem, vt August. inquit, mutari oportet, constat mutatum deinde fuisse, Sicut enim, vt ille ait, modestum, & grauem populum potestatem habere sibi creandi magistratus, est iustissimum, at verò si mutentur mores, & indisciplinatus, atque dissolutus populus fiat, iustissimè hæc illi auferetur potestas: sic omnino in Ecclesia factum esse constat, vt aliter nunc electiones fiant, quàm olim, cùm multò esset sanctior populus, sed hoc legitima auctoritate, siue omnium manifesto consensu, siue tacita

cita approbatione, siue necessitate cogente factum esse, res ipsa ostendit, de quo nunc non est opus pluribus agere, id tantùm constitutum esse sufficiat. Primò nunquam post Christi ascensionem, & Spiritus sancti in Apostolos aduẽtum, ex quo scilicet Ecclesia hæc Christi cœpit, defuisse omnino in ea veros, manifestos, & publicè cognitos episcopos, cæterosque ministros: sicut ipsam nunquam posse deficere, constat. Deinde nullum esse legitimum ministrum Ecclesiæ, quantumuis accedentibus suffragijs totius populi, etiam principum, & denique quorumcunque aliorum, nisi legitimè sit ordinatus ab his, qui ab Apostolis deriuatam hanc potestatem obtinent, qui aliter ingrediuntur in Ecclesiam, non iuxta ordinationem Christi ingredi constat: ideo nec per ostium: fures igitur sunt, & latrones. Ex quibus iam manifestissimum signum Ecclesiæ agnoscendæ, ex legitimis videlicet episcopis, & ministris habentes, ostendimus apud nos veram esse Ecclesiam: non verò apud nouos hos Euangelicos, qui se iactant, siue apud quoscunque alios nobis non communicantes. Quęrimus itaque an episcopi illi, qui ante Lutherum, & nouum hoc suum Euangelium, siue in Germania, siue in alijs Christiani orbis prouincijs, pacificè in suis sedibus manebant, & à suis populis agnoscebantur, atque sibi inuicem communicabant, veri credendi sint Episcopi, quòd si negent, si inquam negent omnes episcopos, omnesque reijciant, necesse erit negent etiam, tunc fuisse Ecclesiam. quo nihil magis blasphemum dici potest, atque contra Christi promissionem certissimam. Si ante Lutherum non fuit Ecclesia, non fuerunt veri Episcopi, apud quos offerebatur sacrificium altaris, & vsus erat chrismatis, & electione, atque impositione manuum ordinabantur ministri. (Propter hæc enim & quædam similia verba illi nostros episcopos negant, & nostram Ecclesiam) nullibi iam vera Ecclesia erat, nusquam veri ministri, nec enim etiam si ad Ecclesias illas remotissimas Aethiopum, aut Indorum, vt aliquando solent, confugiant, etiam quæ nobiscum non communicant, inuenient aliter fieri: non offerri videlicet ibi sacrificium altaris, aut non esse vsum chrismatis, aut ordinationem ministrorum,

Cap. 68. Veros episcopos esse apud nos et ab apostolis deriuatos probatur, et ex hoc veram esse nostrã Ecclesiã.

strorũ,itaque perierat iam tunc Ecclesia,vnde necessariò con sequitur,vt nõ solùm promissionibus Christi non credamus, sed vt iam, neq; apud illos neq; alios vllos ecclesiã esse credendum sit interrupta semel successione illa legitima ab Apostolis, nisi fortè rursum ostendant Christum nouos alios genuisse ministros, non descendentes à patribus illis, quibus dicit, Vobiscum sum vsque ad cõsummationem seculi, quæ omnia constant quàm sint aliena à vera fide. Certè Cyprianus non de omnibus simul episcopis, sed vel de aliquo in Ecclesia communi sensu agnito dubitare, putat infidelitatis esse. Audiamus itaque illum, & hoc ipsum, &, quod diximus de necessitate Episcoporum in Ecclesia, disertis verbis confirmantem ad Cornelium, postquam enim multa, quæ in scriptura sunt, de obtemperãdo sacerdotibus collegisset, vt sunt illa, quę in Deuteronomio scripta sunt: Qui non exaudierit sacerdotem, qui fuerit illis diebus, morte moriatur: & ex Euangelio: Qui vos audit, me audit: & exemplũ etiam Christi, nihil contumeliosè in pontificem dicentis, etiam cùm alapa percuteretur: & Pauli excusantis: Nesciebam fratres, quòd princeps sacerdotum esset. post hæc itaque omnia, sic loquitur. Cùm hæc tanta, ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus sacerdotalis auctoritas, & potestas Diuina dignatione firmatur, quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur? neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tẽpus iudex vice Christi cogitatur, cui si secundum mysteria Diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post Diuinum iudicium, post populi suffragiũ, post coepiscoporum consensum iudicem se non iam episcopi, sed Dei faceret: nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens, ac tumens seorsim foris nouam hæresim conderet, nisi si ita est aliquis sacrilegę temeritatis, ac perditę mentis: vt putet sine Dei iudicio fieri sacerdotem, quum Dominus

Epist. 3. lib.

nus in Euãgelio suo dicat, nónne duo passeres asse veneunt & neuter eorũ cadit in terrã sine Patris cælestis voluntate? cùm ille nec minima sine volũtate Dei fieri dicat, existimat aliquis summa, & magna aut non sciente, aut non permittente Deo in Ecclesia Dei fieri? et sacerdotes id est dispensatores eius non de eius sententia ordinari? hoc est fidem non habere, qua viuimus: hoc est Deo honorem nõ dare, cuius nutu, & arbitrio regi, & gubernari omnia scimus, & credimus. Vides quàm necessarium putat Cyprianus episcopum in ecclesia, cùm ex eo, quòd non agnoscitur vnus, omnia schismata, & hæreses oriri dicat, & quantam illi intelligat reuerentiã deberi. Vides quòd non permittat de eo dubitari, qui legitimo suffragio, & coepiscoporum consensu constitutus est, quodque infidelitatis arguat illum, qui putat Deum non curare Episcoporum, hoc est dispensatorum suorum constitutionem in Ecclesia. Quid rogo diceret Cyprianus de eo, qui periisse iam diu Episcopos omnes in Ecclesia assereret, quod audent nõnulli nouatorum horũ asserere: aduersus quos, nescio quo apertiori argumento agamus, quàm hoc ipso, quòd illi concedunt, deseruisse scilicet Christum longo tempore suam Ecclesiam, nec illi legitimos dedisse ministros. quòd si hoc tam falsum est, vt nullæ Christianæ aures patiantur, si Ecclesia semper firma constat, si semper legitimos habet ministros, tales erant, qui, cùm Lutherus cœpisset noua adferre, agnoscebantur pacificè in Ecclesia. quòd si tales erant, descendebant proculdubio ab Apostolis, & Apostolicis Ecclesijs, quod si ita est, & hi, qui eis successerunt, qui ab eis ordinati sunt probata in Ecclesia, & legitima ordinatione, veri sunt Episcopi, atque legitimè succedũt. Quomodo ergo, vt verbis Cypriani proximè citatis dicam: Post diuinum iudicium, post populi suffragium, post episcoporum consensum, audet se aliquis iudicem non iam Episcopi, sed Dei facere? quomodo negare Episcopum probata, & statuta in Ecclesia electione, & ordinatione constitutum? tantáne esse potest impudentia hominum, vt in nullo legitimo iudicio conuictum, nulla legitima auctoritate depositum, Episcopum negare audeat? nec vnum tantùm, sed omnes quot-

quot

Universidad de Deusto
Biblioteca

quot sunt in Ecclesia, non tantùm nunc, sed longo etiam elapso tempore? Absit itaque tam perfrictæ frontis impudentia: & vel agnoscant apud nos verós Episcopos, vel legitimo iudicio illos conuincant, & alios legitimè constitutos ostendant.

Cap. 69. Apud Lutheranos nõ esse veros Episcopos.

Illud verò ex his omnibus apertiùs fit, apud hos nouos doctores veros Episcopos nõ esse. edant origines suarũ Ecclesiarum, ab Apostolis, vel Apostolicis Ecclesijs: ostendant ordinatos à tribus legitimis, & probatis in Ecclesia Episcopis suos, quos vocant, Episcopos, quod tantorum patrũm auctoritas requirit, quod Concilium Nicænum declarat, & Carthaginense quartum sequitur. Quod si non possunt, meritò cum Cypriano dicemus eis, quod superiùs & in assertione catholica citauimus: ij sunt, qui se vltro apud temerarios, & conuenas sine diuina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine vlla lege ordinationes cõstituunt, qui nemine episcopatum dante, episcopi nomen assumũt, hoc ausi sunt isti facere, nec mirum. Imitantur enim omniũ priorum temporum hæreticos, nulla vnquam fuit secta, quæ se ab ecclesia separauerit, quæ non statim quacunque potuit ratione, Episcopos sibi quæsierit, sic Arriani, sic maximè Donatistæ: cuius rei apud Cyprianum, & August. frequens est mentio, quum in Aphrica præcipuè magnus fuerit Donatistarum Episcoporum numerus. Vnde & Romæ ausi sunt Episcopum constituere. Hoc fecerunt Manichæi, hoc denique reliqui hæretici, quid mirũm igitur si hoc Lutherani audeant. Verùm illi non aliter sibi constituebant Episcopos, quàm ordinatione illa, tunc in Ecclesia consueta, vt scilicet à tribus saltem ritu Ecclesiæ ordinarentur. Cuius rei in locis Cypriani, & Cornelij, quos citamus, & in lib. August. contra Donatistas sunt infinita exempla. Nostri verò Euangelici sine vlla ordinatione inuerecundiùs certè hoc audent, & non desunt, qui eos sequuntur clausis oculis, & obturatis auribus, ad omnem æquitatem, & rationem ordinis audiendam.

Cap. 70. Qua fraude superintendentes se quidam vocent Lutherani.

Sed vt videas, quanta sit veritatis vis, quantus timor peccandi, quàm potens conscientiæ testimonium, attende qua ratione id fecerint: nempe excogitato, callido, nouo nomine vocãt se Superintendentes, sic in cõfessione, quam Saxones ipsi, pri-

primi Lutheri filij concilio Tridentino obtulerunt, alij se Pastores, alij Superintendentes subscribunt, non aliud agentes, quàm quia communi nomine) episcoporum scilicet præ verecundia, & timore, ne tantam eorum arrogantiam Christianæ aures non ferant, vt episcopos se dicerent hi, qui vix in ecclesia vel minimo gradu digni habebantur, qui fortè nec vnquam sacris sunt initiati. Itaque quia hoc nomine nõ ausi sunt se ostendere, nec nomen tam venerandum vsurpare, idem faciunt sub alio nomine: quod enim Superintendentem Latinè dicimus, hoc episcopus Græcè dicitur: nisi fortè nomen hoc magis eis placet, quia nouam certè episcopatus rationem inuenerunt, quam nunquam Aug. Ambrosius, Hilarius, & vt de Græcis dicam, Athanasius, Basilius, & Chrysostomus nouerunt. Sed de his satis, quocunque nomine vocentur, duabus rationibus manifestissimè eos ab omni Ecclesiastica auctoritate alienos ostẽdimus. Prima, quòd ab Apostolis, & legitimis eorum successoribus nihil acceperint, nisi si qui fortè eorum in Ecclesia priùs sunt ordinati. Retinebunt enim hi, fatemur, quam Sacramento consecuti sunt potestatem, sed ea non nisi furtim, & sacrilegè, atque ita in perniciem suam, & suorum, vti possunt, contra eorum ordinationem à quibus acceperunt. Secunda porrò ratio quare eos excludimus ea ipsa est, qua nostros legitimos probauimus. Cùm enim qui priùs in pace Ecclesiæ habiti sunt Episcopi, & qui ab illis ordinati sunt nullo iudicio legitimo damnati fuerint, qui fieri potest, vt eorum populos vsurpantes atque Ecclesias, in quibus agniti erãt, possunt episcopi esse? Audiamus etiam adhuc Cyprianum de hac re: Christus, ait ille, docet: erit vnus grex, & vnus pastor: & esse posse in vno loco aliquis existimat, aut multos pastores, aut plures greges? Vides quàm impossibile Cyprianus putat superstite vero Episcopo alium constitui posse. Lege totum illũ librum, & multa alia, quæ ad Cornelium scribit, quid aliud continet, quàm reprehensionem audaciæ Donatistarum, qui hoc conabantur efficere. In omnibus illis id præcipuè agit, vt Ecclesiam scindere probet eos, qui receptis prius, & agnitis non legitimè dãnatis Episcopis, alios superinducere conantur: quod

Lib. de simpl. prælatorum.

Lib. 6. Eccleſi. hiſt. cap. 33.

& ipſe Cornelius Romæ eidem contẽporaneus Cypriano, contra Nouatũ teſtatur: vt habes apud Euſebiũ in epiſtola ad Fabianum Antiochenum, in qua fraudes, & malitiam Nouati detegens, Is, inquit de eo, qui Euangelium vindicabat, neſciebat in Eccleſia catholica vnum Epiſcopum eſſe debere, quod ideo dicit, quia ſe Romæ fraudulenter ordinari curauerat, quem tamen etiam ſi à tribus ritè prius conſtitutis epiſcopis, ordinatum nullo modo vllus agnouit catholicorum Epiſcoporum, hac etiam ratione, quia legitimo epiſcopo permanente furtim fuerat ordinatus. Quomodo igitur tales agnoſcemus epiſcopos in Saxonia, quomodo tãtum gregem illorum ſubitò ortum credemus, quomodo Brentium epiſcopum habebit vllus rectè ſentiens, qui tamen à ſuis Superintendens dicitur, & ipſe quidem non minori, quàm epiſcopus aliquis, auctoritate apud ſuos habetur: cùm populi ij, quorum ſe iactãt, & ab alijs iactantur ſuperſtites habeant epiſcopos priùs conſtitutos, & ſuccedẽtes ijs, quos cõſtat à principio ipſius Chriſtianiſmi in illis populis fuiſſe epiſcopos, de quorum veritate non magis licet dubitare, quàm de ipſa fide, quæ per eos primùm annunciata eſt. Cùm denique apud eos nulla ſit legitima ordinatio, nulla ſucceſſio, ſed intruſio, & temeritas manifeſta.

Cap. 71. Calumnijs Brentij contra auctoritatẽ & electionẽ mutatorum Eccleſiæ reſpondetur.

Frequẽter quidẽ Brentius in ſuis his Prologomenis minatur contra hanc ſucceſſionem ſe multa dicturum: ſed cùm ad rem ventum eſt mores arguit Epiſcoporum, atque ex eis probat, non eos legitimos eſſe Apoſtolorum ſucceſſores, quaſi verò non poſſint vlli eſſe mali epiſcopi, aut non poſſit in ſede, & auctoritate ſuccedere alteri, qui diuerſis, imò contrarijs eſt moribus: ſed de his iam ſuperiùs ſatis, quæ nec ipſe Brentius negare poteſt. Quorſum igitur poſteà proprio loco de Eccleſia clamat, quòd Eccleſia noſtra, quam ſcilicet ego credo, & aſſero, conſtat ex humana electione, & ſucceſſione, quaſi verò inquiens ſucceſſores Apoſtolorum, & auditorum ipſorum non poſſint eſſe ſceleratiſſimi, & impijſſimi nebulones: nos verò econtrario facilè ei reſpondemus impijſſimos, & ſceleratiſſimos poſſe eſſe veros epiſcopos, & perficere miniſteria propria, Spiritu ſancto id agente, quod ipſe confitetur: Succeſſores

res igitur Apoſtolorum ſunt in gradu, & dignitate: & ex his pendet proculdubiò Eccleſia. quod verò eodem loco nos eos dominos noſtros agnoſcere, & non ſeruos dicit, quàm ſit verè dictum, inferiùs oſtendemus. Certè id nec ex noſtris, nec ex vllius rectè in Eccleſia ſentientis ſcriptis verè colligi poteſt, nos videlicet epiſcopos, noſtros dominos agnoſcere. Citaſti Brenti, loco primo de auctoritate principum, ex concilio delectorum cardinaliũ ingenuè, & veriſſimè eos, qui pontificem dominum dicunt eſſe beneficiorum, adulationis, & mendacij criminibus ab illis grauiſſimis patribus notari, hoc non eſt agnoſcere dominum noſtrum, ſed tantùm vt Paulus docet miniſtrum Chriſti, & diſpenſatorem myſteriorum eius. Clamat rurſus contra electionem carnalium, inquit, cardinalium, & canonicorum, ſed quid hoc eſt aliud, quàm ſchiſma interminabile propagare in Eccleſia, vt ſcilicet omnes ſimul, quotquot in Eccleſia epiſcopi ſunt, & miniſtri reijciantur, quod quos tumultus, & interminabiles lites eſſe in Eccleſia allaturum quis non videat: neceſſe erit certè, vt nouis miraculis, aut Angelorum miniſterio eligantur miniſtri Eccleſiæ, ne clamet Brentius, quòd electi ſunt à carnalibus, cui breuiter hoc eſt dicendum. Primò noſti Brenti inter hos, quos tu carnales vocas, nullos eſſe gementes, & dolentes ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt? tu ipſe citaſti, & pontificis Hadriani, & delectorum cardinalium, & legatorum ad concilium Tridentinum humilem confeſſionem, & exhortationem, qua ſe, & alios ad hunc gemitum pœnitentiæ ſaluberrimæ excitarunt, vt diximus. Quis ergo tam temerarium iudicium non exhorreſcat? quis non obturet aures tantæ temeritati, qua incognitos, vel de nomine, electores omnes epiſcoporum, per tot Eccleſias orbis diſperſos, vnico verbo damnat, & à iure eligendi reijcit Brentius. Deinde quid aliud dicturi ſumus ſic omnes reijcienti, quàm quòd Moyſes, & Aaron: Non contra nos murmur hoc eſt, ſed contra Deum: non iam prælatos impugnat, qui hoc dicit, aut eorum electores, quos carnales vocat, ſed Deum ipſum, cuius de conſeruanda Eccleſia, & miniſtrorum eius integritate, certiſſimas habemus promiſſiones:

defuit illi modus seruandi Ecclesiã suam? Nunquid non nouit ille, etiam te teste Brenti, per malos ministros perficere id, ad quod ordinati sunt? cur igitur per carnales etiã electores, nõ veros Episcopos faciet? nunquid & per ipsos episcopos etiam malos, oues suas nõ poterit pascere? Cur vis Brenti credere & docere totis quadringẽtis aut trecentis annis ante Lutherum, ne de pluribus dicam, nullam fuisse Ecclesiam veram, & manifestam: atque ita omnino nullam fuisse? quandoquidem non est, nisi manifesta sit; vt probauimus, vnde necessarium sit, perisse omnes quotquot baptizati sunt, & Christiano nomine nũcupati: quo quid, rogo, durius, & iniquius dici potest? quicquid enim dicas, quicquid fingas de latente Ecclesia: certè in aliena, & falsa Ecclesia constat damnari omnes, constat, inquam, falsam Ecclesiam fugiendam esse, & abominandã. Perierunt itaque toto illo tempore omnes, quotquot in Christũ crediderunt, vt verbis Tertulliani dicam: tam diu regnauit error, quàm diu Lutherus non erat, & vt ille de Marcionitis, & Valentinianis inquit, ita ego dicã aliquos Lutheranos liberan da veritas expectabat, interea perperàm euangelizabatur, perperàm credebatur, tot milia perperàm tincta, tot opera fidei perperàm administrata, tot sacerdotia, tot ministeria perperàm functa: quid itaque rogo his durius? Nónne satius erit credere, Deum quidem & ob demerita nostra, & propter sua profunda iudicia permisisse quàmplurimos malos prælatos, per quos tamen in communione Ecclesiæ permanentibus, & dignos se Dei gratia reddentibus spiritualia charismata, & ipsam denique æternã sãlutem dignatus fuerit conferre: quàm in tam extrema incidere? cùm etiam si omnes ministros malos negare nequaquam possemus, nec id fidei nostræ, aut veritati Ecclesiæ quicquam obesset: nullum autem episcopum verum fuisse reliquum, qui afferunt, & Ecclesiam auferunt, & simul omnẽ salutis spem conuellunt, denique promissionibus Christi auersantur. Sed adhuc vociferatur Brẽtius primo illo suo loco, de auctoritate principum, quòd ego vnctionẽ Christmatis necessariam dicam, & nihil aliorum sufficere, vt quis sit legitimè ordinatus: qua in re inscitiam meam asserit me prodidisse,

Lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos.

Cap. 72. Respondetur aliis calũnijs Brentij cõtra ordinationis sacramẽtũ, & mores episcoporũ.

didisse, quod scilicet non intelligam, quæ sit ministrorum, de Ecclesia vera ordinatio: cui breuiter est dicendum, me capite de ordine patrum, & Conciliorum certissimis testimonijs, etsi breuiter, Sacramentum ordinis necessarium fore ostendisse. Hanc ego intelligo veram ordinationem ministrorum, quam tamen & electio debet necessariò præcedere. hoc & ibi, & hic etiam asserimus, quod cùm Brentius non ostenderit falsum esse, nõ ostendit me nescisse quod certis testimonijs probaui, & tota habet Ecclesia. De vnctione verò alijs locis diximus, quòd patrũ habet doctrina, cùm hæc Brentius ostenderit falsum, fatebor me ignorasse, sed nõ est omittendũ, quod eodem loco, & contextu ait, me nõ considerasse, quid sit status huius controuersiæ, non enim quæritur, inquit, num sine legitima, & ordinaria vocatione liceat alicui inuadere in ministeria Ecclesiæ, hoc enim non licere certissimè fatetur in Ecclesia filij Dei, quod nec in humana politia licet, ibi nostra certè confirmat, quantò id certius est, tantò libentiùs amplectimur, nec ignoramus hoc posse ad nomen trahi, vt scilicet quisq; dicat se legitimè vocatum. Propter hoc igitur & in eo loco, & hîc etiã legitimè vocari asserimus eũ, qui iuxta Christi ordinationẽ vocatur, & ordinationem Christi ostendimus, qualis fuerit, testimonio patrum, & Conciliorum: ex qua manifestum factũ est, qui sint legitimè vocati sed addit ille, Hoc quæritur, num Asotus (sic enim me vocat) & prælati eius, qui sunt hostes doctrinæ perfectę, & Apostolicæ, & eam omni crudelitatis genere persequuntur, sint vera illa filij Dei Ecclesia, à qua ministri ordinationem petere debeant. Quid igitur dicemus illi, qui omnia sic confundit, vt diximus: quòd si prelati nostri sunt hostes doctrinæ Apostolicæ, fatemur non esse agnoscendos, sed hoc est quod quæritur Brenti, non, an, qui persequuntur doctrinam Apostolicam, sint vera Ecclesia filij Dei: sed qui hoc faciunt nostri, an vestri? hoc quæritur, quod tu ipse fateris. Sic enim capite de Ecclesia in fine inquis, An non est hæc nostra controuersia? quòd ipsi quidem (de nobis loquens) discesserint à vera & pia doctrina: nos autem eam profiteamur. Si igitur hæc est controuersia vestra, ostendite vbi sit legitimè defi-

definita, quòd si non est, cur asseris certò, iustè vos recepisse à nobis, id statuens quasi certú, quod posteà fateris in quæstionẽ venire. Sed quod statim sequitur, audiamus. Hoc inquã quæritur, ait ille, num Petrus, & Ioannes, & reliqui Apostoli non priùs debuerũt Hierosolymis prędicare Euangeliũ Christi, quàm ordinarentur ab Anna, & Caipha, an non erat iste inquit ordinarius successor Aaronis? Quid ergo si Romanus pontifex fiat Caiphas, an non sine auctoritate, & vnctione eius licebit pio docto viro in Ecclesia, ad quam consensu magistratus, & populi vocatus est, Euangelium annunciare, & Sacramenta administrare? Hæc sunt, quæ Brentius tanta confidentia inter suos docet. in quibus aduerte, rogo, quàm pudendum, & indignum hoc sit, quod audiatur ab his, qui vel tantilla eruditione, & modestia prædíti sunt. Loquitur enim, ac si à legis veteris sacerdotio Apostolorum auctoritas penderet, & contumeliosus est in Episcopos, & blasphemus in Christum. Quid veritatis, rogo, habet Annam, & Caiphã, ab Aaron descendentes quantumuis legitimè, asserere, potestatem habere ministros in Ecclesia noui Testamenti ordinandi, neque quoscunque ministros, sed Apostolos ipsos? Nunquid Brenti propter sua peccata non agniti sunt ab Apostolis, quasi legitimi prædecessores sui, à quibus acciperent potestatem? an non apertè legisti mutatum esse sacerdotium Aaron? non aduertisti illud decantatum in Ecclesia: Tu es sacerdos inæternum secundum ordinem Melchisedech? & Paulum id exponentem, reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem. nihil enim adduxit lex, &c. & quod sequitur, alij quidem sine iureiurando facti sunt sacerdotes: hic autem cum iureiurando, & illud etiam: translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat? Non audisti verbũ Christi in cruce: consummatum est: & scissionem veli, quo sancta sanctorum tegebantur ad mutationem legis, & sacerdotij manifestè pertinere? Apostoli non secundum ordinem Aaronis, sed veri Melchisedech, hoc est Christi sunt sacerdotes. Idoneos nos fecit, inquit Paulus, ministros noui Testamenti. Ipsi sunt origo ministrorum nouæ legis, non ab alio descendentes,

Cap. 73. Quanta blasphemia Brẽtius episcopos nostros cõferat pontificib. qui in morte Christi conspirarunt.

Hebr. 7.

tes, quàm à Christo: certè ordinati, & vncti non externo chrismate, sed interna illa vnctione, de qua Psalmus ipse Christo loquitur: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: qui verò magis consortes Christi, quàm Apostoli? Præ illis igitur Christus, & à Christo illi vncti sunt sacerdotes, & ministri noui Testamẽti. Et cùm insufflaret post resurrectionem, & diceret: Accipite Spiritum sanctum, &c. Et cùm de cęlis in linguarum ignis specie Spiritum sanctum mitteret, vtrobique visibili signo inuisibilem sanctificationẽ operatus. Nõ ergo ob crimina sua priuati sacerdotio Anna, & Caiphas, aut ab Apostolis non agniti, sed quia cessauerat, & abrogatum fuerat sacerdotium illud, & nouum introductum. Imò audi Brenti Cyprianum in epistola ad Cornelium, de quà suprà diximus, quod Paulum legimus erga principem sacerdotum feciſſe, exponentem. Paulus, ait, quamuis Domino iam crucifixo sacrilegi, & impij, & cruenti illi sacerdotes videlicet esse cœpissent: nec iã quicquam de sacerdotali honore retinerent, tamen ipsum, quàmuis inane nomen, & vmbram quandam sacerdotij cogitans, expauit, nesciebam fratres, inquit, quia pontifex est. Scriptum est enim, Principi plebis tuæ, ne maledixeris. Vides itaque quàm longè erant Apostoli, vt quicquam detraherent sacerdotibus propter eorum peccata, eorum, quæ à Deo ipsis collata erant, vt potiùs inane nomen, & sine vlla iam prorsus re honorarent. Miror certè quid Brentio in mentem venit. Nunquid Brenti, vis ita ministros Christi, & eorũ auctoritatem cessasse, & finitam esse: vt veteris legis sacerdotium, aduenięte Christo, vt iam falsum sit, vobiscum sum vsq; ad cõsummationẽ seculi. Profer igitur, vt cũ Tertulliano tibi loquar, nouã originẽ, & nouã ordinationẽ ministrorũ à Christo de cælo rursus institutam, & certè aliam Ecclesiam, & nouam aliam legem, si vis non magis teneri ministros sequentes à prædecessoribus, ab illis inquam, qui Apostolis succedunt, in Ecclesia susciperę ordines, quam Apostoli à legis veteris sacerdotibus acceperunt. Pudeat te senem, & inueteratum hæc dicere, tam manifestè falsa: tã sine vllo colore, sine vlla probabilitate. Nam me certè, & piget, & pudet in respondendis his

Actо. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

teneri: sed facimus vt legentes videant, quale sit ingeniũ Brentij, & quàm firmis rationibus statuat sua. Sed inquit prælatos vocat Bernardus seruos Antichristi, non solùm Caiphas, sed idem Bernardus non negat eos prelatos, aut ab eis suscipiendos ordines: sed cõfirmat potiùs. & Bernadus quidẽ auaritiæ, & ambitioni seruientes, & scãdalizantes Ecclesiã meritò dicit Antichristi seruos: tu verò omnes ad vnum, quotquot sunt in cõmunione Romanę Ecclesiæ, appellas Caiphas, & audes alio
" loco de auctoritate scilicet scripturæ sic dicere, Colluuiẽ prę-
" latorum Asoticorum non alio loco ducimus, quàm sỹnedriõ
" Annæ, Caiphæ, Alexandri, & quotquot erant ordinaria succes-
" sione de genere pontificio, qui Christum, Apostolos, & reli-
" quos Christi discipulos, ita persequebantur: vt existimarent, se
" in eis trucidandis Deo maximum cultum præstare. Hæc verba retulimus ex Brentio, quibus priora illa explicat, & quanta temeritate in omnibus suis iudicijs feratur: nõ vides quanta cum tumelia afficiat omnes prælatos Ecclesiæ, quorum nec minimam partem cognouit: & cùm neque cognita vitia, & nobis certa liceat contra fratres proferre, iste proferat incognita, & incerta, contra omnes? Colluuiem vocat Asoticam prælatos, concilium eorum sỹnedrion Iudæorum conspirantium contra Christum, & pecunia corrumpentium Apostolos, quia videlicet cum Brentio, & suis non consentiunt: neque Christo parcit hæc blasphemia, qui sic omnes legitimè succedentes episcopos permisit deficere, non stetit promissis & Ecclesiæ, & apostolis factis. Mittam, inquit, vobis Spiritum veritatis, qui maneat vobiscum inæternum. Sed iam de his satis, atque de hoc secundo signo Ecclesiæ prælatorũ, scilicet certa, & legitima successione. Restat igitur, vt tertiũ illud attentè consideremus, quo diximus Ecclesiã manifestari, & re vera cõstare, hoc verò est cognitio vnius capitis vicarij Christi, successoris-
que Petri, & vnio ad illũ, & Ecclesiã, cui ille præsidet, Romanã, & per illũ cõmunicatio cum omnibus & Ecclesijs, & pastoribus, cæteris-
que fidelibus eidẽ participantibus, hoc itaque vltimo loco posuimus, quod quantũ sentire possumus, vltimum est, & velut cõplementum, & clausura ecclesiastici ædificij: vt meri-

Cap. 74. Romani pontificis agnitionem ecclesiastici ædificij fundamentũ ostẽditur.

meritò credamus Romanum pontificem lapidem illum esse angularem, probatum, electũ, vicem scilicet habentem illius, cui primò hoc conuenit Christo lapidi præciso de monte sine manibus, quem Daniel videbat melius quàm Nabuchodonosor confringentem, & comminuentem regna omnia terrena, in montem magnum creuisse, implesseque terram, montem, inquam, illum domus Domini in vertice montium præparatũ: Is verè est fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, quod positũ est à Deo. Ipse loco sui Petro inquit: Tu es Petrus, hoc est petra, aut saxum, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quod vt ostendemus, non illi tantùm, sed muneri, atque gradui eius, & ita successoribus dictum esse accipiendum est. Nunc verò in hoc principio, id, quod ipse Petrus de Christo quàm verissimè dictum accipit, credimus meritò ad ipsum suosque successores, qua parte eius tenent locum meritò referri debere ad quem accedentes, inquit Petrus fidelibus omnibus lapidem viuũ, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui, superædificamini domos spirituales, in sacerdotium sanctum offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum, propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem probatum, electum, pretiosum: qui crediderit in eum non confundetur. Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt, hæc omnia de Christo inquit Petrus, illi plenissimè omnia conuenire cognoscimus, & quædam illi soli, qui crediderit in eum, quod scilicet illi, qua parte Deus est, conuenit: creditis in Deum ait, & in me credite: quę verò ex his ei, qua homo est, cõueniunt, scilicet electum esse à Deo lapidem angularem, & fundamentalem, super quem ædificentur fideles, illi meritò etiam intelligimus cõuenire: cui dixit: Super te ædificabo Ecclesiam meã, illi inquam gradui, & muneri, cui hoc Christus concessit: non soli Petro hoc conuenire dicimus, qua ratione Christi gerit per-

Dan. 2.

Esa. 2.

1. Corin. 3.

1. Pet. 2.

Ioan. 14.

Cap.75. *Quantum sapientiæ humanæ displiceat & superbiæ fides vnius vicarij Christi in Ecclesia, quantum diuinæ sapientiæ cõueniat.* Iob.26.

personã,& vicem tenet. Hic est re vera lapis ab hominibus reprobatus,displicet enim humanæ sapientiæ, displicet superbiæ eorum,qui in oculis suis prudentes sunt, vt homo fragilis,& imbecillis,quo nec eruditione,nec moribus,nec vlla alia ratione inferiores sese iudicant,fundamentum dicatur Ecclesiæ,vt illi innitatur concio fideliũ:displicet, inquam, his, qui non considerant, quàm sit hoc Deo facile: Deo inquam, qui appendit terram super nihilum,ad cuius nutum columnæ cæli pauent,& contremiscunt,quàm sit facile,imò quàm ipsi cõueniens,& glorioſum,vt ex infirmis, & cõtemptibilibus mundi huius faciat fortissima,& inconcussa fundamenta. Denique & quàm expediens ad simul extollendam infirmitatem nostram,& demittendam superbiam,quàm denique cæteris Dei operibus simile. sic placuit Deo visibilibus nos sanctificare Sacramentis, vt corporeis, & insensatis rebus ob illius obedientiam nos subdentes discamus humiliari, & sic humiliati,ex earundem, ante quas nos humiliamus, verùm virtute diuinitus eis cõmunicata erigamur mira ratione in Deũ: sic inquã voluit, vt detumescat superbia eorum, quos in corpus Christi coaptare dignatur,dũ adire homines,& se illis subdere iubentur:sicut Paulus Ananiæ subditur, idque conuenienti ordine,

Eccle.5. vt excelso excelsior sit alter sacerdote episcopus: illo primas, & insuper sit vnus, quasi vniuersæ terræ rex: sit inquam vnus vnius Ecclesiæ, vnius quàm verissimæ familiæ, & societatis, quæ est catholica Ecclesia,præpositus, cui vice Dei omnes se subdant,cui inquam corporeè, & visibiliter, quam Deo inuisibiliter offerunt obedientiã, iuxta Dei ordinationẽ offerãt loco Dei. Summus certè honor humanæ naturæ,in hac vita, & in ea summus gradus hominis, quem Deus inopẽ, & paupe-

Cap.76. *In Romano pontifice agnoscẽdo quãtum exercetur fides, & humilitas, quantũ natura humana honoratur.* 1.Regum 2. rem de terra, & stercore suscitat: vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Illius enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. Summus itaque honor hominis, summa etiam occasio omnibus humiliationis: dum ei, cui tanquam proximiori inuidere possint, quem vt magis familiarem contemnere, eidem propter Deum se subdant, & diuinam agnoscant in eo virtutem, non considerantes quæcunque humana, quæ-

quæcunque infirma, quæcunque vitia, quantumuis nota, vt propter ea Deum in ipso,aut non agnoscant,aut minus reuereantur. Sicut nec Abraham corpus suũ emortuum,& emortuam vuluam Saræ, quare in promissione Dei non hæsitauit diffidentia,sed confortatus est,fide dans gloriam Deo,plenissimè sciens quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere,ideo reputatum est ei ad iustitiã. Sic itaque placuit Deo, electum sibi patriarcham exercere ad fidem:vt soli Deo disceret fidere,dum fragilimis,& impotentibus planè medijs gratię suæ summa dona illum expectare vult,sic placuit hunc futurũ gentium patrem exercere, vt in eo fides gentiũ ostenderetur: fides inquã hæc,qua in Ecclesia ex frigido licet corpore humano, & emortua quodãmodo virtute humanæ nostræ naturæ, si humana spectemus: ex Ecclesia videlicet, in qua emortua iamiam videtur fides illa,& viua charitas, recẽnsque memoria effusi pro nobis sanguinis Christi,& obliterata vera illa mutatio humilitatis eius,ex Ecclesia inquam Romana,quantumuis purpuratam meretricem vocet illam arrogantia, tumorque fastidientium, Dei ordinatione expectemus vicarium Christi, lapidem angularem approbatum: sic inquam exercetur fides nostra, vt Abrahæ,cui ideo maximè reputata est ad iustitiam, non est enim, vt Paulus inquit, scriptum tantùm propter ipsum,quia reputata est illi ad iustitiam, sed propter nos, quibus reputabitur credentibus in eũ, qui suscitauit Iesum Christum dominum nostrum, à mortuis in hunc tantùm credimus, huic innitimur, & ab eo per fragilia quantumuis media speramus,dona gratiæ nos consecuturos,inter quæ,& hoc nõ infimum est vinculum pacis, atque vnitas spiritus:de qua, inquit Paulus,Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pa- Ephesi.4. cis, vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Hæc igitur vnitas, corporis vnius, quæ omnium fidelium vitæ causa est, ab illo supremo capite Christo expectanda est nobis,sed,dum per illum hominem cui dixit: Pasce oues meas, perpetuò conseruandam eam docuit, præbuit nobis perpetuæ humilitatis, & exercendæ fiduciæ in ipsum per totam vitam non minorem materiam,quàm Abra-

Roman. 4.

hæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæ, cui per tam longa spatia vitę, ab emortua Sara expectandæ fuit benedictio seminis illius. Sed & illi, qui cæteris præest, nō minor humiliandi sese ratio, & diffidendi sibi, Deoque fidendi, & in sese admirandi eius virtutem oblata est, quàm Saræ, sed multò maior, quo sibi propriè infirmitas magis cognita esse debet: ita videlicet, vt cùm suam infirmitatem agnouerit, veraciter sibi diffidens si quid dignum suo gradu, & ordine, vel ab alijs ei exhibeatur honoris, vel à se fieri viderit opus vicario Christi non indignū, admiretur potius, quàm sibi quic-

Gene. 21. quam tribuat, cum Sara dicens: Risum fecit mihi Dominus, & quicunque audierit conridebit mihi: risum nunquam, non vanæ, & humanæ lætitiæ, sed humilitatis veræ, ob Dei gloriam, & fratrum salutem non se facere, sed à Deo in se fieri existimet homo ille, quem Deus præfecit suis fidelibus, sicut in Sara genuit Isaac, ex ea quidem, sed non eius virtute, sic ille exi-

2. Corin. 4. stimet: vt sicut Paulus inquit, sublimitas non sit ex nobis, sed virtute Dei: propterea enim, inquit, habemus thesaurum istū in vasis fictilibus: ex nobis lutei, ex nobis fragiles: ex Deo sub-

Cap. 77. limes, & firmi. Hoc itaque Dei consilium (vt ad principiū reuertamur) constituendi lapidem angularem, in fundamento

Ad fidem vnius vicarij Christi exhortatio. Ecclesiæ suæ: hic gradus & auctoritas lapis est, qui quantumuis reprobetur à superbis ædificantibus, à verè humilibus, à verè catholicis agnoscitur à Domino factum esse, & mirabile esse in oculis verè credentiū. Lapis verò est offensionis, & petra

1. Petr. 2. scandali his, qui offendunt verbo, neq; credunt, ait Petrus, in quo & positi sunt. Cùm enim positi sint in Ecclesia, nō credūt illam verè vnam esse humano scilicet more, & ratione, vnā, inquam, humanā Remp quæ sine vno homine gubernatore esse nō potest, non credunt, inquam, in quo positi sunt: in palæstra scilicet exercendæ fidei, humilitatis, & obedientiæ præstandę, non Deo tantùm, sed homini propter Deum. Denique in humana congregatione, in arca, in torculari, vbi omnia permista sunt, & in loco, in quo contra spem, in spem credendum est, hoc certè diuinum consilium, si in vera cordis simplicitate, omni supercilio abiecto, omni tumore depositō, & exutis humanis affectibus, susciperetur ab omnibus, & crederetur, etiā priùs

prius quàm intelligeretur: non opus esset multis verbis, aut multis rationibus: Duceret enim nos vera fides, non ad intelligendam tantùm, sed ad gustandam etiam, & summa suauitate amandam Dei hanc ordinationem: & in ea summa cum vtilitate, & diuinorum charismatū dulcissima participatione permanendum: eò certè magis, quò minus nostra fides ab hominum meritis adiuuatur: eò inquam magis, quò minus aut miracula, aut magnorum operum exempla commendatum reddunt hominem, quem Deus præfecit Ecclesiæ. Hac ita-

Cap. 78. que ratione diximus esse ecclesiastici ædificij coronidem, & quasi colophonem Ecclesiæ catholicæ vnionem hanc cum vi-

Testimonio martyrū Angliæ, et præcipuè B. Mori auctoritas vicarij Christi confirmatur, et probatur fundamentū Ecclesiæ. cario Christi, & eius Ecclesia, de quo nobis post tanta virorū doctorum scripta, non sunt multa dicenda, sed pauca quæ dederit Dominus confirmandis piorum animis, & huic veritati elucidandæ, imò reuera vt ostendamus hanc esse lucem, cætera omnia ecclesiasticæ veritatis membra quodammodo illustrantem. In quo loco non possum omittere verba, & testimonium omni acceptione dignum beati illius, & bonorum omnium memoria celebrādi Thomæ Mori: cuius pietatis, & modestiæ Christianæ in tota vita, profectusque, & augmenti in his, quibus perpetuò quodam tenore in aula, in publicis muneribus, hisque summis, denique domi, & foris ita splenduit: vt inter cætera, quibus in regno hoc Angliæ, vbi nunc agimus Diuinæ gratiæ dono, & sanctorum exempla, quæ in memoria multorum reperimus, tanquam recentia quædam vestigia sanguinis martyrum, vnicè oblectati sumus, & excitati ad ardorem virtutis: beati huius exempla non minima fuerunt, inter quæ cùm in eos incidimus, qui illum familiariter nouerant, & ex memoria depromebant, & verba, & opera eius, & scripta etiam quædam offerebant sale quodam diuinæ sapientiæ condita, multò magis quàm in amœnissimis, quorum in hoc regno copia est, hortis suauissimè versati frequenter sumus, quasi inter flores, & rosas, illius enim reuera odor, atque fragrantia, sicut agri pleni, cui benedixit Dominus, excitat senescentes, & caligantes tepiditate præsentium temporum affectus, & sensus nostros: cuius vestigia vtinam digni essemus exosculari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lari. Hic igitur beatus, & felix martyr est, & testis huius rei, quá nunc agimus, non solus, sed cum alijs quorum memoria in benedictione est, & ille præcipuè, qui tanquam verus aries, præcessit reliquum gregem, & aperuit viam ad martyrium, exemplumque præbuit reliquis, quorum nomina scripta erant in libro vitæ agni, qui occisus est à constitutione mundi. Beatum Ioannem dico Phiseerum, episcopum Roffensem, cuius etiam scriptis, & doctrina vtemur in hoc confirmando. Horum itaque sanguis clamat, & fortiùs quàm lingua vlla explicare possit, confirmat hoc Ecclesiastici fundamenti dogma. Itaque vbi tanta sunt opera, & quidem summa, & vltima, maiorem enim charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis, non opus erat verbis, sed tamen addam illa beati illius Mori, quæ à fide dignissimis accepi testibus, quæ mihi loquendi materiam in hac materia ministrant. Is enim in principio exortæ illius tragœdiæ, atque schismatis, amico cuidam optimo dicebat, velle se attentè legere, & considerare, quid in hac re sentiendum esset, cùm videret quàmplurimos hanc Romanæ sedis auctoritatem magni facientes, nec sciret satis quanta esset ratione, aut auctoritate fundata, hoc dicebat prius modestus ille, & non temerarius assertor, qui cum & officio, & professione politicis magis causis, & gubernandæ Reipub. vacaret, quanquam nunquam propterea curam Christianæ iustitiæ in assiduis secretis orationibus, ieiunijs, & contemplationibus, vt multa eius ostendunt monumenta omiserit, in re hac nō tam instructum se agnoscebat, vt ratio temporum iā postulabat, meritò amico dicebat velle diligenti studio rei, quæ iam in controuersiā venire cœperat, cognitionē quærere plenā dixit, & fecit, & præstitit, quod dixit, præstitit quidē nō vana curiositate, & supercilio humanæ sapientiæ, sed veræ pietate, & humili oratione, quod testantur reliqua eius, quæ scripta vidimus. Exacto itaq; vnius mensis plus minus spatio redit ad amicum, & ô inquit amice, quàm solidis fundamentis innititur hic Romani pontificis primatus, imò non sōùm ipse firmissimè constabilitus est in religione Christiana, sed est reliquorum omnium, quæ in ea sunt fundamentum, & basis:

basis: hoc subiecit Spiritus sanctus suo futuro martyri: hic fuit verus fructus studiorum piorum, quibus pietati, & lectioni semper quidem, & tunc specialiter vacauerat: quod certè nobis quasi oraculum quoddam est certissimum Dei in illo suo templo loquentis, & ipsissimum exprimentis scripturæ suæ sensum: quod cùm ego confirmare aggressurus sum, vereor ne quicquid dixero minus sit, & infirmiùs eo, cui confirmando adhibetur: sed explicanda sunt hæc pro tenuitate nostra ad captum piorum, & simplicium: quibus, vt infirmis, nocere possint hæreticorum voces. Vnde igitur melius hoc aggrediemur, quàm ex ipsis Christi verbis? Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quibus conclusa sunt reliqua, quæ huc pertinēt: & Petro præ cæteris Apostolis manifestè dicuntur omnia, scilicet alia eiusdem loci. Beatus es Simon Bariona, &c. Secundò etiam, quæ his non parum consonant, Lucæ verba attendenda sunt, quæ in vltima cœna refert à Christo dicta Petro. Simon, Simon, ecce sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Tertio denique loco considerandā sunt & alia, quæ apud Ioannem post resurrectionem Christum dixisse scriptum est ab eo loco. Simon Ioannis diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos: & reliqua, quibus tertiò hoc dictum fuisse significat Euangelista, & quod postea sequitur: Cùm esses iunior, cingebas te, &c. quousque tandem dicit illi: Sequere me. Multa quidem alia sunt in Euangelio, sed hæc sunt omnibus alijs omissis nobis attentè considerandā: & primò in eis sensus germanus consensu patrum, & totius Ecclesiæ est nobis inquirendus, quod satis esse debet ad ædificandam fidem: Verùm adiungemus deinde quæ ad hunc Ecclesiæ sensum manifestandum, & explicandum, persuadendumque satis esse possint. Igitur vt ad oraculum martyris nostri reuertamur. Nónne qui dixit, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, manifestissimè ostendit petrā illam, de qua loquitur, quæcunque illa sit, totius Ecclesiæ esse fundamentum, hoc nullus dubi-

Cap. 79. *Tria loca euangelij de Petro locuta exstolis ponēda pro ponuntur.* Mat. 16.

Cap. 80. *Locus ille Matth. Tu es Petrus, exponitur iuxta certissimum sensum patrum de Petro.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dubitare permittitur, ostensa illa à Christo petra fundamentũ dicitur totius Ecclesiastici ædificij, certè omnium Ecclesiæ partium, & membrorum omnium ministrorum, & ministeriorũ, atque sacramentorũ fidei ipsius, dogmatumq; eius: deniq; omnium operum pietatis Christianæ fundamentum, oportet vt sit petra hæc à Christo ostensa. Quandoquidé quicquid extra Ecclesiam fit, vanum est: fit autem extra Ecclesiam quicquid extra agnitionem vicarij Christi fit. Est itaque Ecclesiæ fundamentum non partiale (vt ita dicam) & dimidiatum: sed plenum & integrum. Super hanc enim petram, inquit, ædificabo Ecclesiam meã: nõ certè partem, aut membrum, sed totum sustinet petra illa totius Ecclesiastici ædificij põdus, hîc sunt sacramenta, munia, & gradus Ecclesiæ: hîc fides, & doctrina: hîc opera & charitas, quæ omnia cùm extra Ecclesiam aut non sint, aut frustrà sint, neque Ecclesia extra eam indicatam petram: constat illa omnia eidem inniti petræ, atque ratione ista vnitas hęc Ecclesiæ, cui cætera innituntur, extra quam frustra sunt & opera, & sacramenta, & omnis doctrina vni etiam innititur petræ, & solidissimo fundamento: quia enim nulla plurium rerum vnio & concordia, nisi per id, quod vnum vndique est, quodque vnum perfectè, & plenè est, constare potest, meritò Ecclesia ex multis vnita demonstratæ illi petræ inniti iubetur. Illa igitur petra, quam constat fundamentum esse Ecclesiæ, quæ sit, attentè considerandum est: & quidẽ fatemur ingenuè multos patrum frequenter per illam intellexisse aut Christum. super hanc petram, inquiunt, quam tu confessus es, aut fidem ipsam, quam Petrus confessus est, super hanc confessionis tuæ petram: id tamen certissimum est omnes ferè patres, aut certè quàmplurimos consonè de Petro illud accepisse, ita vt nullus vnquam negauerit hanc expositionem, nullus dixerit de Petro hoc non posse accipi: sed hic fuit perpetuus, & constans Ecclesiæ sensus, Petro per hæc verba promissum esse singulare aliquid præ cæteris, & reuera primatum in eos, & in Ecclesiã vniuersalẽ collegit sanctus ille martyr Roffensis episcopus proprio loco, in confutationem vigesimi quinti articuli Lutheri contra primatum Romani pontificis omnium ferè patrum Græ-

Græcorum; & Latinorum testimonia manifestissima huius primatus, & multa diligentia viginti locos Scripturæ sacræ, decem ex Euangelijs, decem ex Actibus, & epistolis Apostolicis, huius primatus Petri ostendentes veritatem, post quem superuacaneũ certè videbitur de hac re plura agere, quem vnum omnibus doctissimis viris, quos vocat Brentius genuinos, ego verò Lutheri filios, opponendum duximus ex recentioribus nostris mortuis: quoniam huic articulo proprio subscripsit sanguine. In vltima enim senectute, & emerita venerandaque canicie, pro hoc articulo diuturnum carcerem, & mortem alacriter sustinuit: dignũ profectò præmium tantorum studiorũ, tantorum meritorum, & digna corona talis vitæ, huic virtute inculpatæ vitæ, operibus, temperantia, castitate, modestia, nõ dico nullus eorum, quos Brentius citat, viros doctissimos, vt dicit, nullus inquam horum sanctissimo Roffensi Episcopo, speculo totius honestatis, & modestiæ, doctrinæ, atque pietatis comparandus est: sed nec ex catholicis ipsis nostri seculi quenquam illi conferre ausim, maximè post tam glorioſum martyrium. Non igitur meritò hunc opponemus illis omnibus? quem si in hoc articulo legere vellent, viderent apertè, quàm lõgè ab omni adulatione, ab omni assentatione, & turpi quæstu, aut ambitione primatũ hunc Romani pontificis defendat. Sed nos iam vel pauca addamus propter tardiores, de proposito loco scripturæ, quem ex antiquis Cyprianus, Tertullianus, Ambrosius quos Aug. sequitur eorum citatis verbis, Hieronymus, & Hilarius inter Latinos Petro tribuũt apertissimè: Ex Græcis Athanasius, Chrysostomus, Basilius, Theophylactus, & multa concilia Græcorum hoc ipsum disertissimè fatentur, quos vt quàm breuissimè ob oculos ponamus Augustin. primò omnium audiatur: Is enim, retractans librum quendam suum contra partem Donati: Dixi, inquit in quodã loco de Apostolo Petro, quòd in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij, de gallo gallinaceo vbi ait: hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit: vide itaque hîc Augustinum Ambrosij sensum citantem, qui & alijs locis apertiùs

Lib. 1. Retract. ca. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hunc indicat sensum,vt in sermone de fide Petri, quem in assertione catholica hoc loco citaujmus, vbi sic inquit: Denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus:Tu es Petrus,&c.Petra enim dicitur,eo quòd in actionibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius corporis Christiani compagem,molemque sustinuit.Sed audiamus adhuc Augustinum, Cyprianum citantem:sic igitur inquit.2. libro de baptismo contra Donatistas: magnum quidem meritum nouimus Cypriani Episcopi, & martyris: sed nunquid magis quàm Petri Apostoli,& martyris?de quo idem Cyprianus epistola ad Quintum ita loquitur: Nam nec Petrus inquit, quem primũ Dominus elegit,& super quem ædificauit Ecclesiam suã, &c. Vtemur postea hac auctoritate ad alia:nunc manifestè constat Cyprianũ de Petro illa verba accepisse,quanquã sint etiam alia manifestiora testimonia huius rei apud ipsum in lib.præcipuè de simpl. prælat. quibus posteà id maximè cõfirmabimus.Interim sufficiat apertè vidisse horũ trium patrum testimonia.Hieronymũ, atq; Hilariũ nõ est opus referre,qui in expositionẽ huius ipsius loci id apertè fatentur:imò hanc solam expositionẽ sequuntur.Hieronymus enim ita inquit:Quia tu dixisti mihi,Tu es Christus filius Dei viui,& ego dico tibi nõ sermone casso,& nullũ habẽte opus,sed dico tibi,quia dixisse,fecisse est, quia tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meã.Sicut Apostolis donauit vt lumina mũdi appellarẽtur,& cætera,quæ ex Domino sortiti sunt,vocabula,ita & Simoni qui credebat in petrã Christũ,Petri largitus est nomen,ac secundũ metaphoram Petri,recte dicitur ei,ædificabo Ecclesiam meã super te. Et Hilarius dicit loquens Petro:O felix Ecclesiæ fundamentum in noui nominis nuncupatione.Deniq; Tertullianus eos redarguens, qui Apostolos quædã ignorasse mysteriorum fidei dicunt: Latuit inquit,aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum. & claues regni cęlorũ cõsecutũ.Sex itaq; ij patres Latini vno ore, absque vlla trepidatione audent asserere supra Petrũ ædificari Ecclesiam.Ex Græcis verò Chrysostomus in hunc ipsum locũ idem manifestissimè asserit,vt in assertione catholica adduximus:

Cap.1.

Li.de præs. aduersus hæret.

Homel. in Matth.55.

mus:quem(vt semper)sequitur Theophylactus apertè dicens, quòd super eam ædificauit Ecclesiam,quàmuis ibidem etiam hoc ad confessionem referat,& fidem.Basilius similiter aduersus Eunomiũ, lib. de Spiritusancto, de Petro inquit, quòd in seipso ædificationem susceperit Ecclesię.Et Athanasius cum omnibus episcopis Aegypti in epistola ad Felicem Papam non solùm de Petro hoc intrepidè affirmat,sed de ipso successore Petri Felice:Tu es(inquiunt)sicut Diuinũ veraciter testatur eloquium,Petrus,& super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ sunt confirmatæ:& hoc quidem,quod attinet ad loci illius sensum,meritò nobis sufficere debet:vt quod tanti patres tam certò,& tam constanter sequuntur, nos non dubitemus certissimè affirmare. Et certè contextus ipse verborum hoc magis ostendit,quorum nulla expositio tam germana est, vt hæc:Nam verba illa,Ego dico tibi, & tu es Petrus, & quæ sequuntur,Tibi dabo claues,&c.Petrum apertè designant: & de eo omnia intelligere,nisi recedamus ab ipso contextu, cogunt.Fatemur alios sensus non esse alienos: nam veritati fidei consonant,secundum quam, & Christum agnoscimus fundamentum,& fidem ipsam: sed nunquid propterea negandum est,hunc etiam sensum esse:certè,si necessaria aliqua fidei auctoritate probaretur,hoc omnino falsum, confugiendum esset ad alios sensus: nunc verò cùm vel tantorum patrum auctoritas consona sufficiat: vt non dubitemus hoc consonum esse fidei,cur & hunc sensum non admittemus? Augustinus sanè loco illo Retract. quem citauimus: Scio, inquit, me sæpissimè exposuisse,vt supra hanc petram,quam confessus est Petrus,id est,Christum intelligatur,ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc ædificatur, & accipit claues regni cælorum: hoc dicit, cùm prius alium sensum, in quo de Petro id accipit retulisset, & addit: Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector. Certè Augustinus hoc dicens, neutram reijcit, imò vtranque consonam fidei docet esse: vt enim ille libris de Doctrina Christiana habet,in dubio, atque diuerso sensu scripturæ primò consulenda est regula fidei, cui non consonans

Lib. 2.

Cap. 81

Conferuntur diuersæ expositiones eiusdem loci, & ex contextu suæ propositæ probantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nans expositio reijcienda est. Si Augustinus supra petram ædificari Ecclesiam putasset contrarium fidei, statim reiecisset illum sensum: at verò probabilem eum dicit: nihil itaque contrarium fidei habet. Aedificatur Ecclesia supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum: nihil hinc derogatur Christo, qui primum est fundamentum: ita supra Petrum specialiùs, quàm super alios Apostolos ædificari Ecclesiam, tanquam qui sit vicarius Christi, eiusque vices sustineat in terris, nihil derogat vnico fundamento Christo, quod & patres citati, & quàm plurimi alij antiquorum, & reuera totius Ecclesiæ consensus habet. Quid itaque opus est ex vno sensu, alium eiusdem loci omnino excludere. Libet in hoc loco quid Brentius dicat referre. Cùm enim indignanter audit quòd ad patres, cùm de sensu scripturæ agitur, recurrendum sit, vt quem illi sequuntur probemus, inquit, annotemus etiam quædam loca scripturæ, in quibus interpretatio patrum pugnat, affert itaque duo loca. Secundus est hic. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: alij (ait) per petram intelligunt Petrum ipsum, alij intelligunt Christum: quam igitur interpretationem agnoscemus? Hæc quidem Brentius, nos respondemus vtranque: nec enim vna alteri est contraria, Christum esse fundamentum, & Petrum etiam: nec sibiipsis, nec fidei repugnant: quis ergo prohibet vtrunque intelligi. Non puto Brentium ignorare quid Augustinus & libro 12. confessionum. & in primo de Genesi ad literam de diuersis sensibus scripturæ dicat: Quanquam video illum in hoc loco illorum omnium oblitũ, & certæ rationis. Si enim illorum memor esset, agnouisset nunquam anxiè disceptandum esse, aut contendendum, quid auctor scripturę senserit, dum modò verum sit id, quod asseritur. quod cùm in hac assertione probatissimorum patrum consensu probatum sit, quid amplius quærit. Denique si rationem vidisset, non dixisset duo hæc pugnare, Christum esse fundamentum, & Petrum similiter: sed hæc sunt illorum, qui non aliud agunt, quàm infirmiores in fide tentare, & impellere vt cadant. Quem paruulum vox illa Brentij non terreat:

25. & 26. ca. 19. cap: & sequent.

"annotemus loca quædam scripturæ, in quibus interpretatio patrum

patrum pugnat, & tamen quis non rideat, cùm præsens exemplum audit, & quoddam aliud non magis id, quod vult, probans. Sed de eo alias. Quod autem attinet ad id, quod agimus, duo nobis constant ex horum patrum doctrina, alterum super petram ædificari Ecclesiam, consensu ipsius Ecclesiæ certum esse: ædificari inquam tanquam supra vicarium Christi, & aliorum Apostolorum supremum, tanquam super vnum totius Ecclesiæ rectorem, atque doctorem. Alterum hoc illis verbis significatum esse, quæ nimirum, vt ingenuè loquamur, si sola essent, fateremur non sufficere ad id probandum: ambigua enim sunt, plura significare possunt, vt vidimus, quare neutrum illorum statuunt: at verò cùm accedunt alia, quæ hoc apertiùs explicant, & accedit consensus Ecclesiæ, non est quòd de eo sensu dubitemus. Alia verò quæ dicimus huic accedere, vt cætera omittamus, duo illa, quæ adduximus, sunt. Primum, quod apud Ioannem est, vbi tertiò dicitur, Pasce oues meas, siue rege, vtrunque enim transferri posse certum est, & quidem diligenter notat beatus episcopus Roffensis semel dictum esse πoίμνια, quod etiam regere propriè significat tanquam pastor, sicut pascere, vt sæpius habet Scriptura: bis autem dicit βόσκε, quod significat duntaxat pascere, siue ale, vt apertè potestatem intelligamus dari, non docendi tantùm, & prædicandi, sed & regendi, & gubernandi. Dum verò hoc Petro coram cæteris Apostolis dicitur, vni inquam Petro, & à cæteris seorsim cùm ab eo exigitur, an plus quàm cæteri amet Christum, apertè significatur aliquid amplius, quàm cæteris ei tribuendum esse: & quid hoc aliud, quàm vniuersalis omnium ouium Christi cura? qui enim dixerat: Erit vnum ouile, & vnus pastor, iam implebat, ostendebatque vni ouili in hoc seculo constituto: vni inquam ouili corporeo, visibili, & manifesto, pastore etiam præsenti, visibili, atque manifesto opus esse: gubernatore inquam, rectore, atque doctore. Propterea inquit illi, Pasce oues meas: & hoc ipsum est fundamentum esse, sustenta, & confirma oues meas. Hæc enim, & plura alia ad officium pastoris pertinere, locupletissimè Ezechiel Propheta ostendit.

Cap. 82. *Locus Ioannis, Pasce oues meas exponitur, & ex eo confirmatur auctoritas vicarij Christi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit: quod perierat, ait Deus, requiram: quod abiectum erat, reducam: quod confractum fuerat, alligabo: quod infirmum, consolidabo: quod pingue, & forte custodiam, & pascam illos in iudicio. Hæc si rectè cogitemus, & cum his duobus locis Euangelij conferamus, manifestissimè nobis ostendunt, quid sit super Petrum ædificari Ecclesiam, & quid sit Christi oues pascere, aut regere: reuera idem vtrisque significatur. Pascere enim, siue pastorem agere, etiam confirmare, stabilire, atque continere significat. Illi igitur qui scandalizatur, cùm audit, super hominem ædificari Ecclesiam, dicamus: an alienum sit à fidei sensu hominem gubernare Ecclesiam, & pastorem esse: quod certè nulli potest dubium videri, at hoc est fundamentum esse Ecclesiæ: quòd si & hic
Acto.20. dubitet infirmus fide, audiat Paulum dicentem. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam: imò videat ipsis oculis in qualibet Ecclesia Christiana proprium pastorem, proprium rectorem, sustentantem, & stabilientem suam Ecclesiam, cui ipsa innititur, sicut capiti membra: & vt partes ædificij fundamento: & hinc manifestissimè discat, non iustum esse, vt hoc desit toti Ecclesiæ, quæ quamuis maior sit, quàm singulæ priuatæ Ecclesiæ, non tamen minus est vna, minus indiuisa, minus
1.Cor.10. coniuncta: vnum corpus certè omnes sumus, qui de vno pane, & calice participamus. Sicut igitur Ecclesia quælibet, vt vna sit, vnum habet gubernatorem, & vnum caput, vniens & gubernans omnia membra: toti Ecclesiæ Christi cur hoc deerit? aut quomodo vna esse potest, si careat vno pastore? quis veniet diuersos episcopos, diuersas Ecclesias, vt idipsum
1. Cor.1. dicamus omnes circa fidei mysteria, vt Paulus iubet: quod illis verbis, Pasce oues meas, significatum esse apertè eo loco interpretatur Chrysostomus: totius scilicet orbis curam Christum demandasse Petro, & toti orbi magistrum præposuisse, quod ipsum Theophylactus, in hunc locum testatur, vt exemplaria antiqua Græca nobis ostendunt, quæ Oecolampadius in illum locum, cùm reliqua transferret, dicit se non

non habuisse: nos autem non solùm in editione illa Græca, quæ Romæ quadragesimo secundo anno facta est, sed etiam in antiquissimo exemplari Oxonij legimus, in quibus, sicut ferè in cæteris omnibus, ipsius Chrysostomi sensum habet. quod Augustinus & antiqui omnes confitentur, ille quidem in libro contra epistolam Fundamenti, de Petro inquit, cui 4.cap.
Dominus pascendas post resurrectionem oues commendauit, hoc ipsum Cyprianus dicit libro de simplicitate prælatorum. Non est opus plurimis hoc confirmare testimonijs.

Iam tertium illud: Ego pro te rogaui Petre, vt non defi- Cap. 83.
ciat fides tua, manifestè Petro specialiter dici, totus ostendit Locus Lucæ
contextus. Simon (ait) ecce sathanas expetiuit vos, vt cribra- Ego rogaui
ret, sicut triticum: primò omnes dicit expetitos à sathana: pro te, expo
& statim: Ego autem inquit, rogaui pro te, vt non defi- nitur.
ciat fides tua. Orat certè etiam pro alijs. Ego (inquit) non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi. Orat pro omnibus: sed quòd specialiter pro Petro, & ad Petrum dicitur, Rogaui pro te, speciale aliquid ostendit: & id præcipuè, quod sequitur: tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Cùm enim proposita omnium tentatione, vnus iubetur confirmare omnes, apertè vnitas fidei ostenditur, quæ quod in omnibus eadem esse debet, meritò exigit, vt ad vnum tandem pertineat eius in omnibus confirmatio: vt vnus vltimus sit iudex, & vnitatis conseruator. Si hoc non esset necessarium, nequaquam vni præciperetur: Confirma fratres tuos. Et si non experientia manifesta ostensum esset, quantum hoc Ecclesiæ contulerit, quàm verè confirmauerit Petrus fratres suos, dubitari fortè posset, an ab vno confirmandos omnes Christus voluerit. Cùm verò, vt paulò inferiùs ostendemus, omnes totius orbis Ecclesiæ eo tempore, & sub his pontificibus, cùm vera vigeret disciplina, ad Petrum confugerint, illius doctrinæ & auctoritati se confirmari, & ab aduersarijs Epist. Athadefendi postulauerint: quid opus est ampliori testimonio? Mar nasio & om
cus Siluestri proximus successor non multò plus, quàm tre- nibus Aegyp
centis annis à Christo, Ecclesiæ Romanæ stabilitatem huic tiorum epi-

 scopis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

promissioni tribuit: ex quibus omnibus hoc verbo, Ego rogaui pro te, agnoscimus significari rationem, qua Petrus ex infirmo homine, factus est saxum firmissimum, & ex vno homine factus est pater succedentium omnium sibi: atque ita perpetuò confirmat fratres. Ratio itaq; huius oratio Christi est, Ego (inquit) rogaui pro te, hoc est verum Ecclesiæ fundamentum oratio Christi. Postula (inquit Psalmus) à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, ipsa est validissimum robur, & omnis infirmitatis humanæ solida confirmatio. In mundo (in-
Ioan. 16. quit Christus) pressuram habebitis, in me autem pacem. Hæc oratio pro Petro specialiter fusa impetrauit illi, vt & si lapsus fuerit, non tamen in finem vsque perseuerauerit, sed mox redierit per pœnitentiam. Hæc obtinuit, vt deinceps fortior effectus confirmaret fratres, cùm in principio Ecclesiæ post ascen-
Actо. 2. sionem Christi, & aduentum Spiritus sancti primò ipse loqueretur populis, astantibus reliquis vndecim: ipse & miracula frequentiora ediderit: ipse & in templo populis, & in
Actо. 4. concilio sacerdotibus loqueretur: ipse denique Ecclesiasticam disciplinam exerceret, vt in morte Ananiæ, & Saphyræ patet, & admirabilior cæteris haberetur: ita vt in plateis eijcerentur infirmi, vt veniente Petro saltem, vmbra illius obumbraret quenquam eorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Vbi iam in eo impleri videas illud promissum: Qui cre-
Actо. 5. Ioan. 14. dit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.

Cap. 84.

Tria hæc loca conferuntur inter se, & alijs etiã locis Euangelij.

Vide itaque in his tribus trium Euangelistarum Christi verbis ad Petrum, hoc opus Diuini consilij, & admirandæ prouidentiæ constituendi in fundamentis Ecclesiæ suæ infirmũ hominem: vt admirabili ratione illi inniteretur ædificiũ illud, & domus, in quã etsi irruerint flumina, flauerint venti, & desenderint pluuiæ tyrannorum scilicet persecutiones, hæreticorum versutiæ non corruerit: nec vllæ inferorum portæ in eam vnquam præualituræ sint. Hunc itaque ordinem, quo res tanta non solùm facta, sed commendata nobis paulatim est, aduertamus. Primò promittitur hoc illi homini Petro apud Mat-

Matthæum, sed non priùs quàm fuisset ei à Patre reuelatum arcanum diuinitatis Christi mysterium: non, inquam, priùs quàm dixisset pro omnibus, & aliorum nomine, Tu es Christus filius Dei viui, tunc illi iam apertè promittitur, quòd fundamentũ sit futurus Ecclesiæ: vt auctoritate patrum expositũ est. Non inquit ædifico Ecclesiam, sed ædificabo, ait, quàmdiu enim ipse Christus præsens erat, secundum visibilem illam corporis presentiam, non opus erat alio fundamento, infirmis ipsis hominibus, qui ei adhærebant. ædificaturus itaque Ecclesiam Christus supra Petrum post resurrectionem suam iã tunc, cùm hæc diceret, Tu es Petrus, petram ipsum efficit, & saxum. Nam, es, & non tantùm, eris, inquit. Datur igitur illi in præsenti non minimum fortitudinis donum, atque ita iuxta hanc ædificij metaphoram possumus meritò dicere, collocatur iam in fundamento. Aedificaturi enim solent nonnunquã aliquanto priùs tempore primos fundamenti lapides iacere, & ipsa sola fundamenta aliquandiu sic imbribus, & cælo patentia permittunt, probanda quodammodo, & obduranda. Id visus est Christus agere, cùm hæc diceret Petro. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia inquit, super te ædificanda est Ecclesia, iam te in fundamento colloco. Accede igitur, inquit, huc, hìc est locus tuus: adhære mihi, quem confessus es: ego sum firmissimus lapis. Innitere igitur huic immobili, quam confessus es, diuinitati: hìc sit locus tuus, vt proximus mihi factus, & coniunctus sustinere possis Ecclesiæ solidissimum ædificium. Hic igitur primus gradus est ædificatoris nostri cælestis, collocatum est primum illud fundamentum Ecclesiæ, & coniunctum est Christo: & vt magis aduertas, quanto consilio, & cunctatione hoc fiat, vide adhuc quiddam aliud præcessisse: cùm enim primò accessisset Christũ Petrus, statim sub initium prædicationis, & testimonij Ioannis Baptistæ intuitus illum Iesus ait, Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur, inquit Euã gelista, Petrus. Hoc enim vocabulo Cephas, quod vt Hierony mus inquit, Syrum est, soliditatem quandam in Petro futurã Christus ostendit; vocaberis inquit deinceps firmum, & stabi-
Ioan. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

le ſaxum.quid hoc rogo, quàm deſignatio quædam eſt huius lapidis in fundamento collocandi,ac ſi diceret, te deſigno, & deputo,vt in fundaméto colloceris.Itaque hic eſt primus omnium gradus, poſt æternam Dei prædeſtinationem,hîc incipit executio eius circa Petrum.Quos prædeſtinauit, inquit Paulus,illos vocauit,Iam vocatur Petrus,& ſignificatur deſtinatus in fundamento Eccleſiæ. Secundus ille eſt, quem expoſuimus ex Matthæo, vbi collocatur iam in fundamento: oſtenditurque ei proprius locus. At verò quoniam multa opus erat non Chriſto, ſed ipſi Petro probatione, vt ad veram ſoliditatem peruenirét.relinquitur ſic collocatus tentationum turbinibus, vt paulatim eò fiat fortior, quò magis eſt conſcius infirmitatis propriæ.Nã & poſt parum audit: Vade poſt me Sathana,nõ ſapis,quæ Dei ſunt, quia enim Chriſto conſilium dare voluit, abſit inquit à te Domine, non erit tibi hoc:de cruce,& paſſione loquens,quam indicauerat Chriſtus, atque ita præire volebat,& non ſequi:propter quod incipiebat iam ſcandalum pati crucis:admonetur à Chriſto vt ſequatur, vade, inquit, poſt me:vt teneat locum deſignatum ſibi,& oſtenſum priùs, vt adhæreat illi petræ, ſi vult conſtãs eſſe.Relinquebatur enim paululum arbitrio & ſenſui ſuo:& permittebatur nonnihil deflectere à rectitudinis illa linea, in qua collocatus erat à ſummo illo ædificatore,atque ita nutabat, ſed reductus à Chriſto rurſum ſtat. Verùm quia reſtabat vltima illa probatio, in qua caſurus erat Petrus, quia deſerturus erat locum fundamenti ſui, & non adhęſurus petræ diuinitatis, ſed humanitati: vnde non mirum ſi cum ea,infirma quidem ſecundum ſpeciem exteriorem,pauente, atque timente eecideritipſe cum cæteris in hora illa terribilis tentationis,quando,vt in Pſalmo ſcriptum eſt, liquefiebat terra,& omnes qui habitabant in ea,terra illa,caro ſcilicetChriſti,liquefiebat charitatis ardore,& humilitate:propter nos omnes verò habitantes in ea Apoſtoli ſcilicet,& diſcipuli timore, & trepidatione, quia itaque hoc reſtabat,& promiſerat ibidem Deus, ſe confirmaturũ columnas terræ huius, reſtauraturum ſcilicet, in conſpectu hominum infirmitatem illam ſuam,& glorificaturum,oſtenſurumque illam fuiſſe omnem

nem noſtram fortitudinem,& Apoſtolos etiam ipſos per Spiritus ſancti aduentum: inſtante hac hora, in illa vltima cœna lapidi illi ſuo, quem deputauerat fundamento, quẽ conſtituerat iam,in eo ſpecialiùs loquitur: Ecce inquiẽs Sathanas expetiuit vos, ego autem rogaui pro te:in hac ſignificans tentatione communi omnibus ſpecialem ſibi curam eſſe de Petro: & quòd libero ſuo arbitrio dimiſſus caſurus eſſet, & ſeſe auerſurus à Chriſto:ne,cùm hoc conſpiceret, deficeret animo,& in eam laberetur deſperationem, in quam & Iudas: Ego, inquit, rogaui pro te:non præualebit, nec diu tenebit te ille caſus, & ideo conuerſus ab illa negãtionis auerſione, & conuerſus ad agnoſcendam infirmitatem tuam, quam nunc quaſi fortitudinem iactas,animam pro te ponam, & paratus ſum tecum & in carcerem, & mortem ire, dicens: Ab his itaque conuerſus ad me,agnita infirmitate,& peccato tuo, non miraberis infirmitatem proximorum:ſed quò mihi coniunctior,& propinquior eris, eò magis per compaſſionem infirmorum fratrum ad eos etiam conuerſus confirma illos exemplo ipſo tui caſus, & poſterioris fortitudinis,denique & veritate doctrinæ.Hoc itaque iam tertium eſt, quod circa petram effecit Chriſtus, magis videlicet ipſum ſibi viuens,& futuri caſus conſcium reddens, & permanſuræ promiſſionis ſuæ, quam & impleuit illi etiam inter ipſas ſuas abiectiſſimas paſſiones, cùm conuerſus Ieſus reſpexit Petrum,& recordatus eſt Petrus verbi Domini,& egreſ Lucæ 22.
ſus foras fleuit amarè, Ecce conuerſum Petrum, ecce ad ſuũ locum,quem reliquerat, reductum: idque à Chriſto, ſe prius conuertente ad illum, & ſuis oculis ipſum trahente: vnde & poſt reſurrectionem ab Angelo,vt inſignis, inter cæteros nominatur, & ab eo, qui proculdubiò reliquis erat præſtantior. Ioanne plurimum illi delatum eſſe, idem ipſe ſcripſit, quum Ioan.20.
enim audiſſent, non eſſe corpus Domini in monumento,currebant,inquit,duo ſimul Petrus ſcilicet,& Ioannes,& ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit ad monumentũ, non tamen introiuit,quouſque Petrus veniret,& introiret: & tum inquit alius,qui prius venerat introiuit. Non vides quantam illi exhibeat Ioannes ille, qui ſuper pectus Domini recubuit,

buit reuerentiam? Verùm restabat vt apertiùs, & coram omnibus restitutum in suum locum Dominus Petrum ostenderet. Sequitur igitur vltimum, Et astantibus reliquis ait illi: Simon Ioannis, diligis me plus his? vbi cùm ille respondeat: etiam Domine, & Christus hanc responsionem non improbet, confirmat ipsum cæteris altiùs sibi coniunctum esse, & ideo dignum à se factum, qui cæteris omnibus præsit, & præ cæteris in cura

Ioan. 21. ouium, & gloria martyrij Christo accedat. Pasce, inquit, oues meas, &: cùm senueris, alius te cinget, & ducet, quò tu non vis, significans qua morte esset clarificaturus Deum: & tandem, sequere, inquit, me, præ cæteris videlicet omnibus mihi coniunctus esto, quibus verbis (vt satis superiùs ostendimus patrũ testimonijs, & ostendemus iamiam sensu Ecclesiæ totius orbis) commissa ei cura est, & Christo in aliam vitam translato,

Lucæ. 24. & propterea dicente: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm essem adhuc vobiscum, illo, inquam, nõ cum eis existente, sed per transitum quendam eis apparente, Petrus substituitur, & non obscurè, sed coram quinque alijs Apostolis, & Nathanaele (hos enim refert Ioannes præsentes fuisse) declarat ipsum cæteros debere præire, & loco sui habendum ab omnibus, hoc enim cuncta illa significant, & præcipuè illud, sequere me. Nec enim tunc magis ipsum, quàm alios corpore credendi sunt Christum sequutũ, nec aliquò ibat Christus, quò opus esset Petrum sequi, sed sequere inquit, me in hoc magisterio, & prælatione, atque ita nunc vltimò, non tantùm ipsum in fundamento constitutum ostendit, sed etiam superædificat ipsi

Cap. 85. Supradicta de Petro successorib. etiã conuenire. alios: & illum loco sui cæteros habere præcipit. Hæc igitur circa Petrum à Christo perfecta, non certè illum singulariter respexisse, aut ad eum solùm pertinere, sed ad successores etiam suos in eo munere, & magistratu, quæ tunc instituebatur, persuasit Christus ipse Ecclesiæ suæ, vt ita agnoscerent perpetuum munus, perpetuum gradum, quod perpetuò in ea maneret, institutum esse in Petro magistratum inquam proprium Ecclesiæ, & vnius hominis à Christo dependentem primatum, quo præcipuè vnitas Ecclesiæ conseruetur, humano quodam more, sed supra humanam virtutem, sicut Ecclesia societas quæ-

quædam humana est, & ab homine gubernari eam Christus voluit, cùm certè posset, si aliter velit, per se, absque homine eam regere: sed vt diximus in principio huius loci de Ecclesia, nimiùm esset abiecta humana cõditio, nisi ministerio hominum Deus vteretur ad gubernandos homines. *Cap. 86.* Qui ergo videmus singularum Ecclesiarum Episcopos, & pastores, vicarios vtique Christi in eius grege, & capita, & agnoscimus, vt ex Cypriano superiùs citauimus, oportere in Ecclesia catholica vnũ esse Episcopum, quid mirabimur si in tota hac magna Ecclesia, cuius omnes aliæ partes sunt, & membra, etiam sit vnus vicarius Christi reliquis omnibus Ecclesijs, & earum capitibus superior: per quem in vnitatem fidei, rituum, & morum, quantũ necessarium est omnia membra, cùm dissenserint, colligantur: & ne dissentiant cõtineantur? Cur inquam hoc duriùs accipiunt, qui sequuntur sensum suũ? cur difficilius erit Deo, magnã hanc Ecclesiam totius orbis continere per vnum hominẽ, quàm minores alias, & priuatas, eius videlicet membra? aut cur volumus hic inuisibile caput Christum, & inuisibilẽ etiã dependentiam ab eo quærere? nunquid quia aut minus necessarium est vniuersali Ecclesiæ visibile caput, quàm particularibus, aut quia si non minus necessarium, non æquè possibile, aut facile? Quis verò hoc dixerit, nisi qui Dei non cogitat omnipotentiam, cui nihil difficile est? Primum verò, quis etiam nõ manifestè videat, affirmari non posse? quis non intelligat, quò partes Reipub. magis distant, quò latiùs patet ciuitatis, vel regni societas, eò magis necessarium esse, vt in vnũ colligantur, & contineantur? Viciniora, & propinquiora facilè sese agnoscunt, & inuicem participant: At verò quæ nimiùm remota sunt, maiori labore congregantur, & continentur. Certè hoc habet hominum natura proprium, vt sicut exterior cultus illis necessarius est, quo interiora sua exerant, & prodant, & per externa alijs significent, & in eis conueniant: ita vt vnitas interioris, & exterioris cultus seruetur, necessarius est corporeus, & visibilis locus, atque altare. Ostendit hoc altare illud filiorum *Iosue. 22.* Ruben, & Geth citra Iordanem ędificatum, non quidem, vt illi fatentur, in holocausta, aut victimas offerendas, sed in testimonium,

Necessariò esse in Ecclesia vniuersali vnũ caput visibile.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nium, inquiunt, vt seruiamus Domino. Vbi duo considerandа sunt, huic proposito non incommoda. Alterum quod ipsi fecerunt: alterū quod omnis reliquus populus Israël. Illi enim videntes se Iordanis flumine separatos à reliquis timuerunt, ne ea locorum intercapedo, & fluminis impedimentum, successu ætatum, & generationum, occasio fieret schismatis, atque discessionis à veri Dei cultu. Visibile quærunt testimonium, vt eadem inuisibilis fides, & idem exterior cultus non minus ad se, & posteros, quàm ad reliquos filios Israël, & successores eorum pertinere ostenderetur. Quod consilium, cùm Eleazar summus sacerdos, & totus populus Israël probant, meritò à Deo credendum est fuisse, & ostendere, quantum sit opus visibiliter, & corporeè vniri eos maximè, quos longè distantes in eandem fidem, & cultum necesse est conuenire. Quod autem
Iosue. 22. populus Israël tunc fecit conuenientes omnes in vnum vt dimicarent contra eos, & mitteates Phinees filium Eleazari, & decem principes tribuum suarū, atq; dicentes: quæ est ista transgressio, cur reliquistis dominum Deum Israël, ædificantes altare sacrilegum, & à cultu illius recedentes, & cætera, quæ illis dixerunt, quo à tanto schismate, quod timebant eos abducerent, quantum nostra confirmant? quantum ostendunt visibilē hanc congregationem necessariā? Primò quòd in eo populo, qui Christiani figura fuit, & vmbra vnum tantùm templum, &
Deut. 12. vnum duntaxat holocausti altare voluit Deus esse, conseruandæ vnitatis causa. Caue, inquit, ne offeras holocausta tua in omni loco, quē videris: sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostiam, quod & si non satis seruatū, cùm populus immolaret in excelsis, quàm diu tamen vnum templum agnitum fuit, & vnus locus diuini cultus: tam diu vnitas
3. Reg. 12. seruata est illius populi, & cùm primùm Ieroboā ab illo templo separauit populum, erectis vitulis aureis, sacerdotesque illegitimos cōstituit, & cultus Dei, & veræ fidei vnitas perierūt, quod ne fieret, prohibuerat Deus, & sanè quando memoria erat legis eius, & recentium beneficiorū, eductionis ab Aegypto, & introductionis in promissionis terram, totus populus arma sumpsit vt id prohiberet. Quid igitur moliuntur, qui à pasto-

pastore vno, quē Deus Ecclesiæ suæ præfecit, contendunt auertere Christianum populum, vt videlicet non plus Germaniæ cum Italia conueniat in fide, & cultu, quàm in alijs politicis, & externis rebus: imò multò minus quàm in illis: & pari ratione cæteris Christianis populis? Non opus hìc est alio fortiori argumento, quo probemus hos vnitatem Ecclesię scindere, quàm re ipsa constituatur Ecclesiarum status, vt illi volunt, vt iam apud se cōstituunt, vbi pręualent: & re ipsa ostenditur nulli Ecclesiæ quicquam commune esse cum altera, nisi quantum sibi placuerit, atque ideo nullam posse esse concordiam, quia nullum iudicium, & nullus ordo. O certè miserrimam conditionem talis Ecclesiæ, imò iam non vnius, sed plurium. Si enim omnes illæ vna Ecclesia, vbi ratio, qua dissidentes vniantur? quòd si hæc deest, deest vnitas. O confusionem interminabilē vnius Ecclesiæ. Dicunt aduersarij illa de vno altari, & templo ad tempus legis veteris pertinere, nunc verò quando in omni loco munda offertur oblatio Domino, quum magnum est nomen eius in Gentibus, iam his opus non esse. Fatemur quidem vnitatē Ecclesiæ spiritualē esse, non corpoream, dum in omni corporeo loco offertur Domino oblatio munda: sed in vno spiritu, in vna concordia fidei, de qua scriptum est: quod mul- *Act. 4.*
titudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Quia tamē, & si sub spiritus lege sumus, & spiritualis vnitas præcipuè nobis commendetur, homines tamen sumus corporei, & corporeis rebus tenemur, & mouemur, & ab hominibus gubernari nos Deus voluit, quis nō videat Ecclesiam totam vniuersalem ab vno homine regi oportere: nec corpoream illam vnitatem, quam ad conseruandam morum, & fidei spiritualem instituit *Cap. 87.*
ipse Christus, cōtemnendam esse? Quare id tantùm restat, *Omnes pa-*
vt sicut diximus, ostendamus sensisse semper patres, atque do- *tres, & vni*
ctores Ecclesiæ, & cum eis totam Ecclesiam in Petro à Christo *uersum Ec-*
Domino perpetuum institutum magistratum, qui, quamdiu *clesiā agno*
Ecclesia permansura est, promissione Christi constabit, & pręcepto eius agnoscendum est ab omnibus in Petro, & in succes- *uisse succes-*
soribus omnibus eius Romanæ Ecclesiæ pontificibus: vbi se- *sores Petri,*
des illa voluntate Christi collocata est, concessum esse prima- *vt vicarios*
tum *Christi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum Ecclesiæ administrationis, & vicariam potestatem vice Christi in vniuersos fideles: atque ideo ipsos caput esse, & patres omnium fidelium, & Ecclesiam illam matrem omnium aliarum Ecclesiarum agnouisse Christo persuadente totam Ecclesiam, est ostendendum: quod cùm antiquum Ecclesiæ statũ ex historijs fide dignis intuenti reipsa compertum sit, moliuntur tamen aduersarij non solùm obscurare, sed in contrarium etiam ita conuertere, vt simpliciores aut omnino decipiant, aut plurimùm turbent. Confirmandum est igitur nobis, non multis, quod ab alijs factum est, sed certissimis, & lucidissimis testimonijs omnium ætatum, & temporum Ecclesiæ. In qua re magis periclitamur copia rerum, quàm penuria: Difficilius nobis est ex multis pauca seligere, quàm foret coacernare immensa: sed conabimur, præcedente nos diuina luce, efficatiora, quæ occurrerint nobis referre. Primus igitur ex prima ætate Ecclesiæ, quam ab Apostolis vsque ad concilium Nicænum, & Constantinum imperatorem, atque Siluestrum papam meritò computari posse iudicamus, quo tempore certum est Ecclesiæ synceritatem permansisse, & totius auaritiæ, atque ambitionis speciem quàm longissimè abfuisse ab ea, inter persecutiones grauissimas, & martyria maximè Episcoporum, primus inquam ex illa ætate dignissimus testis, Irenæus ille Lugdunensis Episcopus, qui Polycarpi Apostolorum discipuli auditor attentissimus fuit, & præcedentium omnium tenuit memoriam, & scripto commendauit: laudes cuius Eusebius commendat frequenter in Ecclesiastica historia. Is igitur 3. lib. aduersus hæreses Valentini, postquam de traditione Apostolorum, ad quam in omni controuersia fidei recurrendum docet, locutus est: & eam inquirendam dixit, in illis Ecclesijs, quas Apostoli instituerunt, & docuerunt, de qua re superiùs satis dictum est, sic loquitur. Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam ab omnibus fidem, per successiones Episcoporum

Cap. 88. Irenæi, & cum præcedentium patrũ fides de primatu Ecclesiæ Romanæ.

cap. 3.

porum peruenientem vsque ad nos iudicantes, confundimus eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique fideles: In qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio. Hæc primò inquit Irenæus, non quasi noua, aut à se adinuenta, sed vt re ipsa certissima, & testimonijs omniũ confirmata, in quibus vide ea, quæ diximus de vno magisterio, & iudicio necessario ad vnitatis in fide conseruationẽ, & de corporea, & visibili vnione, atque loco ad spiritualem conseruandam, ad hanc, inquit, Ecclesiam Romanam necesse est omnem Ecclesiam conuenire: hoc est eos, qui sunt vndique fideles necesse inquit est: non voluntati permittit cuiusliber: sed omnes dicit necesse esse ad hãc conuenire. Nunquid credi potest, hoc à se confinxisse Irenæum? quomodo auderet ad conueniendũ in Romanam Ecclesiam astringere omnes, aut quis sustineret eum audire, nisi res certissima foret? neque ipse hanc tam certam assertionem sine testimonio reliquit, in hac inquiens conseruata est semper ab his, qui sunt vndique, Apostolorum traditio: semper ait, & ab omnibus, vel ab his, qui sunt vndiq;, vt ille loquitur, cõseruata est in hac Ecclesia veritas prædicationis Apostolorum. quomodo, rogo, ab omnibus conseruata est in Ecclesia Romana hæc fides, nisi quia omnes semper agnouerunt in ea seruari: & ideo illius fidei se adiunxerunt, ad eam referentes quod crederent & quod dubitarent, vt ab ea explicaretur expectantes. Itaque habemus omnium præcedentium testimonijs illum suam confirmasse sententiam: Habemus Romanam Ecclesiam maximam esse, antiquissimam, principalem, & potentiorem cæteris omnibus, fundatam à duobus Apostolis, in qua semper traditio Apostolorum seruata est, ad quam omnes tenentur conuenire, qui sunt vbique fideles animorum videlicet, & cordium consensu. Sed audienda sunt attentissimè omnia, quæ sequuntur. Hæc igitur consequẽter addit. Fundantes igitur, & instruentes beati Apostoli Ecclesiã, Lino epi-

 scopa-

scopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt:Huius Paulus in his,quæ ad Timotheum sunt,epistolis meminit:succedit autem ei Anacletus,post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens,qui & vidit ipsos Apostolos, & cõtulit cum eis:cùm adhuc insonantem prædicationem Apostolorũ & traditionem ante oculos haberet:nõ solus enim, sed adhuc multi supererant tunc ab Apostolis docti.Sub hoc igitur Clemente dissentione non modica inter eos, qui Corinthi essent fratres,facta,scripsit,quæ est Romæ Ecclesia,potentissimas literas Corinthijs,ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum,& annuncians,quam in recenti ab Apostolis receperat, traditionem. Et deinde quædam refert ad hanc traditionem pertinentia,quæ nunc non est opus referre. Hinc tamen colligo:iam tunc Romanam Ecclesiam alias confirmasse,& reparasse fidem earum,& pacem:idque cùm superuiuerent,qui ab Apostolis docti erant:vt iam impleretur illud Petro, & successoribus(vt diximus)mandatum à Christo: Cõfirma fratres tuos. Audiamus iam qualiter contexit successionem huius Ecclesiæ vsque ad sua tẽpora.Clementi,inquit,succedit Euaristus,Euaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus,ab hoc Telesphorus,qui etiam gloriosissimè martyrium fecit,ac deinceps Iginius,post Pius,post quem Anicetus. Cùm autem successisset Aniceto Soter nunc duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione,& successione ea,quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio peruenit vsque ad nos : & est plenissima hæc ostensio vnam, & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis vsque nunc sit conseruata,& tradita in veritate:Hæc omnia Irenæus. In quibus quanquã post priora illa de primatu Romanæ Ecclesiæ, non est cur apertiora testimonia quæramus: habes tamen quantum consideraverit antiquitas successionem hanc Ecclesiæ Romanæ . Nam ea inquit Irenæus conseruatur traditio Apostolorum, & peruenit, inquit, vsque ad nos præconium veritatis. Nouerat Irenæus successiones aliarum Ecclesiarum in tam recenti memoria Apostolorum,& eorum,qui ab eis edocti sunt, quas & histo-

historijs proditas habemus. Eusebius frequenter in Ecclesiastica historia meminit successionis Hierosolymitanæ Ecclesiæ,in qua primus fuit Iacobus:Antiochenæ, in qua Ignatius: Alexandrinæ,in qua Marcus:Ephesinæ, in qua Ioannes Apostolus sedit:sed Irenæo satis fuit illius Ecclesiæ successiones texere,ad quam inquit, oportet omnem Ecclesiam conuenire. Adduxit ibi Polycarpi testimonium, & Ioannis etiam de vitandis hæreticis,& traditione Apostolica tenenda, refert Polycarpum Smyrnensis Ecclesiæ constitutum Episcopum, in Asia Romam venisse sub Aniceto, quem decimo loco post in illa successione, ibique multos confirmasse in catholica fide: quum testimonium redderet Apostolicæ traditionis. Nec desunt huius temporis, cuius mentionem facit Irenæus, & illorum pontificum, quorum meminit, quos agnoscit,& probat veros successores Apostolorum Petri, & Pauli testimonia.Habemus enim vitæ,& constitutionum ab eis editarum,diligentia Damasi Papæ,conscriptam memoriam. Habemus decreta, atque epistolas eorum plenas solicitudinis, & curæ omnium fidelium,& Ecclesiarum, & ad omnes scriptas.Anacletus quidem ad omnes fideles scribit, & tertia epistola eius Episcopis, & fidelibus omnibus Christi directa, quàm manifestissimam prædicationem habet huius potestatis Ecclesiæ Romanæ. Audiamus quædam eius. Hæc sancta Romana,& Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, & totum Christiani populi gregem assecuta est,sicut ipse beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,vbi refert cætera, quæ eo loco dicta sunt. Ibidem quarundam Ecclesiarum mentione facta,tandem inquit: Inter Apostolos quædam fuit discretio: & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, caput, & principatum teneret Apostolatus. Euaristus huius successor consulitur ab Africanis Episcopis, de quibusdam ad Ecclesiæ dispensationem pertinen-

 tibus:

tibus: & respondens illis de hoc priori epistola sic loquitur: Dilectio vestra normam secuta prudentium ad sedem Apostolicam referre maluit, quasi ad caput, quid debeat de rebus dubijs custodire, potius quàm vsurpationem præsumere. Alexander, quem post hunc etiam refert Irenæus, ad omnes orthodoxos scribit epistolam, obedientiam præcipuè, & Ecclesiasticarum traditionum custodiam commendans, in qua & sic loquitur: Relatum est ad huius sanctæ, & Apostolicæ sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnia negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente principi Apostolorum Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Non est opus plura referre, ex his pontificibus: nec admodum curamus, quod quidam volunt de epistolarum harum veritate, & auctoritate dubitare, id certum est antiquissimæ auctoritatis illas esse, in Ecclesia, vnde fieri potest, vt nonnulla sit inter sequentes scriptores diuersitas: sicut etiam est de primorum illorum pontificum ordine: nobis satis sit testimonium Irenæi, & rei ipsius, quæ manifestum facit hos pontifices gubernasse alias Ecclesias, & agnitos fuisse ab illis, vt superiores.

Cap. 89. Cypriani sensus de primatu Romanæ sedis ostenditur.

Sequamur iam ordinem primæ illius ætatis. Constat enim post duodecimum, quem Irenæus ponit, Eleutherium vsque ad Siluestrum successisse viginti alios pontifices, quos manifestum est similiter omnium Ecclesiarum curam gessisse. Hoc tempore fuit Cyprianus Carthaginensis Episcopus, & totius Africæ primas, & maximæ vir uus & mortuus in Ecclesia auctoritatis, qui contemporaneus Cornelio, & Lucio, & alijs pontificibus multa de hac causa scripsit, quibus putant aduersarij Ecclesiæ se adiuuari. Ille igitur sit nobis huius ætatis secundus fide dignus testis. Est igitur attentè audiendus: pauca quædam loca ex eo nobis sunt adducenda, quibus eius sententia lucidissimè ostendatur. Igitur librum scripsit de simplicitate prælatorum, cuius superiùs meminimus, aduersus hæresum, & schismatum, quæ post priores persecutiones tyrannorum sub Christi nomine emerserant, in Ecclesiam pestilentissimũ malum, & diaboli, vt

vt ille ait, callidissimam adinuentionem, qui, vt ait, secundum Apostoli vocem transfigurat se in Angelum lucis, & ministros subornat suos, tanquam ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi: vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Audi igitur vnde omnes hæreses, & schismata putet manare, & quod aduersus ea proferat remedium: sic loquitur proximè post illa, quæ diximus: Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, neque caput quæritur, nec magistri cælestis doctrina seruatur, quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non est, probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Hæc primò proponit, quæ rogo, non leuiter percurrantur. Tria dicit, vnde orta sunt schismata, & hæreses: quia non reditur ad originem veritatis: igitur agnoscit Cyprianus veritatem fidei originem certam habere, & illam esse requirendam, si nolumus errare, & decipi. Secundum addit, quia caput non quæritur. agnoscit igitur caput esse in Ecclesia, quod ab hæreticis omittitur: & quærendum sit ab his, qui errare nolunt: & certè dixerat ipse proximè Christum ab hæreticis etiam agnosci, & quæri: & tamen posteà inquit, quòd caput non quæritur: quod verò, aut quale intelligat caput, etsi hac coniectura affirmare possemus, aliud esse a Christo, quem scit ab omnibus vt caput haberi: nolo tamen vt huic coniecturæ credatur: sed ipsum audiamus hæc explicantem. Tertium postea dicit, vnde illa sint mala, quia cælestis magistri doctrina non seruatur, de Christo apertè intelligens: nec certè ibi de vniuersa Christi doctrina loquitur, quæ non tam breui compendio, vt ille ibi inquit, facilis est: non loquitur de tota scriptura: sed de parte aliqua, quæ ad originem illam, & caput, de quibus locutus est, pertineat. Cùm itaque hæc tria proposuisset, mox ad ea tractanda circunspectissimè accedens, sic inquit, nullo interposito post illa, quæ citauimus verba. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficabo ecclesiam meam:& portæ inferorum non vincent eam: & , Tibi dabo claues regni cælorum: &, Quæ ligaueris in terra,erunt ligata & in cælis , & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cælis:& eidem post resurrectionem suam dicit,Pasce oues meas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuat potestatem, & dicat : Sicut me misit Pater,& ego mitto vos:Accipite Spiritum sanctum, cui remiseritis peccata, remittentur ei:si cui tenueritis , tenebuntur:tamen,vt vnitatem manifestaret,vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique cæteri Apostoli,quod fuit Petrus , pari consortio præditi honoris,& potestatis:sed exordium ab vnitate proficiscitur,vt Ecclesia vna monstretur:quam vnam Ecclesiam in Canticis Canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat,& dicit:Vna est columba mea,perfecta mea, vna est matri suæ,electa genitrici suæ,multa hoc contextu dicit de hac vnitate Ecclesiæ,de quibus posteà referemus quædam:nunc verò ex his aduertamus,quam Christi doctrinam , quam originem veritatis,quod caput Cyprianus aduersus hæreses ostendit,de nullo Euãgelij loco locutus est,nisi de eo:Tu es Petrus, &, Pasce oues meas,quæ Petro Apostolo dicta intelligit, & dicta ad Ecclesiæ vnitatem perpetuò seruandam. hoc dicit esse exordium,siue originem,atque ideo caput vnitatis Ecclesiæ: sed exordium inquit,ab vnitate proficiscitur : colligunt aduersarij ex hoc loco,omnes Apostolos æquales fuisse Petro asseruisse Cyprianum:sed hoc vtcunque sit,Cyprianus manifestè Petro illi datum asserit,vt origo sit,à quo proficiscatur vnitas , & hanc originem in vno esse oportere, non in omnibus : vnitatis, ait, originem ab vno incipientem Christus sua auctoritate disposuit:sua inquam auctoritate,qua dixit:Tu es Petrus. Hoc nulla tergiuersatione euadi potest . Petrus est secundum Cypriani sensum,quem certissimum iudicat, & præter omnem contentionem origo vnitatis , & caput.ad quod redeundum esse dixerat , hoc non datum est alijs Apostolis : sed vni Petro. Quare non immeritò,quod dixit priùs,æquales fuisse omnes, paresque honore,& potestate,exponendum est ita : vt prærogatiua

gatiua hæc Petri non auferatur , vt constet vnum esse , à quo est origo vnitatis,& qui caput est , & hunc Petrum , non alium aliquem . Sit igitur æqualitas inter omnes Apostolos in ordine Apostolatus,vt multi interpretantur, sicut omnes Episcopi ordine Episcopatus æquales sunt : sit tamen superior omnibus Petrus , vt vnus sit , qui omnes in vnum contineat. Sunt omnes Apostoli æquales propinquitate quadam ad Christum , ab illo immediatè edocti , & ordinati , missi cum omni Apostolica potestate in mundum , ab illo donati Spiritu sancto, non à Petro . Nam & ipse Paulus , posteà vocatus ad Apostolatum , tamen hunc honorem non patitur sibi auferri . Paulus (inquit) Apostolus, non ab hominibus , nec per hominem,sed per Iesum Christum:& ibidem:Notum vobis facio,fratres,Euangelium , quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem : nec enim ego illud accepi ab homine,nec didici , sed per reuelationem Iesu Christi. Et postea,Mihi , qui videbantur aliquid esse, nihil contulerunt, &c. Sint itaque in his pares omnes alij Apostoli Petro . Sed hoc non aufert , illum etsi ordine alijs parem , gradu tamen superiorem esse.Itaque eiusdem ordinis superior est , sicut archiepiscopus episcopo:atque ideo caput, & origo totius vnitatis Ecclesiæ. Interpretantur quidam alij aliter hæc Cypriani verba,nec desunt,qui existimant Cyprianum sensisse , quòd fuerint omnes Apostoli æquales , antequam illud diceretur Petro , Pasce oues meas , vbi prælatus fuit alijs . Ideo enim interrogatur , Diligis me plus his , vt plus auctoritatis intelligerent omnes illi dari : quem sensum non reijcimus . Hoc constat certissimum , Cyprianum hoc loco manifestè asserere,in Petro institutum esse munus perpetuò duraturum: in quo munere origo sit vnitatis , atque auctoritas capitis, quibus in vnitate contineatur omnis multitudo fidelium. Loquebatur Cyprianus de suo tempore , in quo non Petrus , sed successores Petri erant in Ecclesia : hos dicit agnoscendos esse , vt vnitas conseruetur . Sed audiamus,quæ post pauca dicit de hac vnitate : sic enim loquitur : Quam vnitatem firmiter tenere,& vindicare debemus, maximè episco-

Galat.1.

Galat. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pi,qui in Ecclesia præsidemus, vt episcopatum quoque ipsum vnum, atque indiuisum probemus, nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat:Episcopatus vnus est, cuius singulis in solidum pars tenetur:Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis multi radij, sed lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaciùs radice fundatum: & cùm de fonte vno riui plurimi defluunt,numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate,vnitas tamen seruatur in origine. Auelle radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum,fractus germinare non potest: à fonte præcide riuum, præcisus arescit: sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit: vnum tamen lumen est,quod vbique diffunditur: nec vnitas corporis separatur: ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latiùs expandit: vnum tamen caput est,& origo,vna,& vna mater fœcunditatis successibus copiosa. Hæc ibi Cyprianus vbi consequenter multa & sanctè,& eloquenter de hac vnitate loquitur. Sed nos hæc attentè cogitemus,& his,quæ proximè citauimus, coniungamus: cœperat ille originem, & caput quærere,ad quod recurrendum esset. Petrum inuenit,in quem vt dixit,Christus sua auctoritate originem vnitatis disposuit. Post hæc hanc vnitatem in his verbis,de quibus nunc agimus, tribus aptissimis similitudinibus explicat:vnius lucis solis,& multorum radiorum: vnius radicis,& ramorum plurium arboris:denique vnius fontis,& riuulorum multorũ. Vide quàm propriè in his omnibus multitudo vnitur,non nisi per id,quod vnũ omnino est. Vna radix multos continet ramos:vna scaturigo fontis in plures diuiditur riuulos:vnũ lumẽ in plures radios. Quid ergo aliud his omnibus ostendit, quàm in Ecclesia etiã vnum esse, quo multitudo colligitur:& quod aliud, quàm quòd caput dixerat, & nunc iterum dicit,vnum caput,& vna origo est, à quibus præcidi, aut separari,exiccari,& perire esse illis tribus exemplis confirmat. Præcide ramum ab arbore, germinare non poterit, riuum à fonte

fonte arescit:radium à sole,perit. Quid igitur apertiùs dici potuit? Hæc enim omnia ad Petrum retulit: nec ad Petrum duntaxat illum singularem, sed ad eum, qui etiam suo tempore in Ecclesia erat,ad munus videlicet,& gradum Petri. Calumniatur,quod dicat,Episcopatus vnus est,cuius à singulis in solidũ pars tenetur, quasi nullus sit vnus toti Ecclesiæ præses. Certè qui id ex hoc loco colligunt,nimiùm sunt suæ sententiæ amore excæcati: vt contrarium colligant eius, quod maximè toto contextu Cyprianus conatur explicare: esse vnam radicem, & vnum caput in Ecclesia,esse,inquam,Petrum,vt radicem arboris,cæteros Episcopos,vt ramos. Quod igitur,inquit, Episcopatum vnum esse,nónne apertè ostendit, in vno esse radicem, vt ita dicamus,& originem eius:à quo, qui se separat, sit vt ramus, aut riuulus à radice, & fonte præcisus. Audiant qui hæc legunt: Episcopatus vnus est, sicut Ecclesia vna. Nam de hac vnitate loquitur. Vnus est episcopatus totius Ecclesiæ: nec enim de episcopatu priuatæ alicuius Ecclesiæ intelligi potest: sed huius vnius totius Ecclesiæ episcopatus pars à singulis episcopis, Cyprianus inquit, tenetur in solidum, non à singulis, non in singulis origo est, & caput, sed pars quædam, veluti riuulus,aut ramus:à singulis,igitur intellige,præter illum, qui caput est,tenetur pars:ab illo verò,qui origo est,nihil aufertur de aliorum potestate:sicut radix nihil aufert à ramo,aut si hoc non vis, vt scilicet excipiamus illum,quum de singulis locutus est,sic intellige,sicut suprà dixerat, hoc erant cæteri Apostoli, quod erat Petrus: etiam ille Christi ordinatione suam habet Ecclesiam,quia vnus Episcopus est, & ordine episcopatus par cæteris. Dum ille itaque vnam proximè gubernat Ecclesiam, scilicet Romanam, ostenditur Christi ordinatione plures esse episcopos,& iustum esse, vt singularum plebium, singuli sint Episcopi: sicut plures fuerunt Apostoli. Non igitur minus Episcopus est Carthaginensis,aut Alexandrinus,siue Hierosolymitanus,quàm Romanus: vnius episcopatus partem quilibet tenet, sed omnes vnã habent originem, & radicem, Petrum scilicet illum, cui dictum est. Pasce oues meas,cui in Ecclesia perpetuò hoc munus commissum est vnitatis seruandæ. Nec illud

Universidad de Deusto
Biblioteca

omittendum est,quòd insolidum dicit à singulis partem teneri. Quod ergo in solidum Cyprianus dicit, significare voluit, ex illis tribus similitudinibus digniorem se elegisse, cui conferret vnitatem hanc,& multitudinem Ecclesiæ, lucem videlicet,quæ quo purior est,& ratione quadam altior corporibus, & ad similitudinem spiritualium rerum plurimùm accedens: sic non diuiditur per plures radios, sed, integra in se manens, participatur à pluribus,sicut vox cùm à multis auditur, quod non ita in ramis arborum aut riuulis fontium contingit.Huic igitur Ecclesiam assimulat:non diuiditur,sed à singulis in solidum,hoc'est,tota & integra eius vnitas habetur.Altera est hæc Ecclesia ab illa,sed sicut hic radius ab illo diuersus est,vterque tamen plenam,& integram habet lucem:ita & quilibet Episcopus integram continet Ecclesiæ vnitatem, hoc est in solidum à singulis partem teneri: quæ de loco hoc Cypriani eò dicta sunt,quia quod ille grauitate & eloquij & sententiarum,in qua insignis est explicauit, in diuersos sensus trahitur ab his præcipuè,qui nihil aliud nouerunt, quàm ad suam sententiam omnem detorquere scripturam,etiam sacram:quibus difficile est, & certè nobis impossibile, auferre contendendi materiã. Nos modestis ingenijs, non præoccupatis erroribus, & affectibus loquimur. Intueantur argumentum, quod hoc loco Cyprianus tractat,certè non aliud est, quàm aliter non posse errores, & schismata in Ecclesia destrui, quàm si caput,& origo teneatur:& ad illa semper recurratur.Hæc ex illo verbo Christi, Tu es Petrus,&c.Dicit facilè cognosci:nam auctoritate Christi in Petro hæc sunt constituta. His consonant omnia alia, quæ loquitur, nec video si huius loci summam colligere velimus, aliã esse posse,quàm hæc,quæ dicta est. Nec tamen hic solùm Cyprianus de hoc locutus est:duo alia sunt nobis adferenda, quibus ille hunc,de quo agimus, locum magis explicat. Epistola igitur ad Cornelium papam, quæ primi libri epistolarum tertia est, post multa de auctoritate, & potestate sacerdotali, de quibus superiùs nonnulla diximus, sic loquitur: Nec enim aliunde hæreses obortæ sunt,aut nata sunt schismata,quàm inde,quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia

sia ad tempus sacerdos,& ad tempus iudex vice Christi cogitatur:cui si secundum magisteria Diuina obtemperaret vniuersa fraternitas: nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret:in quibus verbis,qui meminit,quæ superiùs diximus, esse Cypriani: meritò debet eadem ipsa hic explicatiùs dicta agnoscere: atque si vtrumque locum attentè cogitet, & ex altero alterum exponere velit, aliquid hic obscurius est, sed ex alio loco claresci:quòd vnum ad tempus sacerdotem, & iudicem vice Christi cogitandum in Ecclesia dicit. Referre fortè quis posset ad singulas Ecclesias, vt in qualibet vnus vicem Christi teneat, & quamuis hunc non esse sensum Cypriani, si quis attentè legat,iste locus ostendit(Quid enim Cyprianus totam Ecclesiam omnem Christianorum congregationem vnã esse semper confiteatur,& doceat: cur in hac vnum nõ exiget vices Christi gerentem?Propterea inquit, quòd vniuersa fraternitas ei secundum magisteria Diuina obtemperare debet: & statim ait,quòd nemo aduersus sacerdotum collegium quicquam mouere debeat, collegium sacerdotum, Episcoporum congregationem intelligens,in qua ne schisma sit, agnoscit Cyprianus vnum semper agnoscendum esse, qui inter cæteros vices Christi teneat: sicut in Aphrica Cartaginensis, ita in tota Ecclesia aliquis.Hæc ex ipsis verbis colligi possunt)tamen confer ea his,quæ alio loco loquitur: dixerat ibi schismata esse, quia non reditur ad originem, & caput, quod Petrum esse in vna ac vniuersali Ecclesia,ad quã pertinent omnes Apostoli,affirmauerat.Cùm igitur hic similiter dicit schismata oriri,quia non agnoscitur vnus sacerdos vice Christi in Ecclesia, nónne agnoscis idem dici,quod ibi:& hunc vnum esse,quem dicit ibi originem, & caput? Nam non post multa in hac ipsa epistola verba illa dicit, quæ superiùs citauimus, quòd supra Petrum ædificata sit Ecclesia. Sed audienda sunt quædam alia eiusdem epistolæ verba,quibus omnia supradicta exponantur,priùs tamen paucis argumentum epistolæ est explicandum. Schismatici quidam in Aphrica damnati Romam properauerant, & summa proteruia Cornelii pontificem aggressi, vt reciperet quasdam literas,quas contra Cyprianum adduxerant, instant.

Is enim

Is enim summa integritate,& grauitate Episcopo digna disciplinam Ecclesiasticam seuerissimè retinebat, cõtra quem schismatici illi clamabãt, apud Cornelium se multa turpia,& probrosa aduersus Cyprianum dicturos, nisi suas literas reciperet. Quibus verbis commotus Cornelius ad Cyprianum scripsit: & Cyprianus hac epistola respondit. Mirum quanta Christiana libertate,quanta auctoritate episcopali. Nam ex ea sumunt aduersarij multa vnde colligunt Cyprianum nihil agnouisse superioritatis in Cornelio, fratrem eum vocat: & miratum se dicit,quòd commotus fuerit illorum verbis,& planè obiurgat ipsum, sed sanctissima quadam vnitatis intentione, & zelo iustitiæ,& indignatur quodammodo, quod contra se aliquid ab illis schismaticis Cornelius audiret: vbi seipsum, quanquam inuitus,& subuerecundè commendat à persecutionibus,& periculis constantissimè toleratis. Deniq; , quæ aduersarij ex hac epistola maximè contra primatum Romanę sedis portant, suo loco adferemus: nunc quod commodum est explanandis supradictis omnibus audiamus. Igitur contra schismaticos illos loquens, sic inquit: Post ista adhuc insuper, pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent & ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & prophanis literas ferre. Audi hæc, rogo, vocat Romanam Ecclesiam cathedrã Petri,& principalem Ecclesiam: nónne satis hoc erat, vt principatum Romanæ Ecclesiæ agnoscamus, Cyprianum docere? sed quod sequitur est attentè audiendũ: ex hac Ecclesia dicit vnitatẽ sacerdotalẽ exortam esse,& quid hoc, quàm quod ex libro de simplicitate prælatorum diximus? quid aliud eo loco vocauit originem,& caput, nisi vnde oritur vnitas? sic ibi dicit, postquam citauerat verba, Tu es Petrus, Exórdium ab vnitate proficisci tur, vt Ecclesia vna monstretur: quis ergo non videat, caput illud,& originem, de qua dixerat, nunc fateri Ecclesiam Romanam esse? Itaque tria hæc sic seinuicẽ exponunt, vt meritò apertissimam Cypriani sententiam, & Romanæ Ecclesiæ primatũ agnoscamus: atque ex ijs cætera Cypriani verba nouerimus exponenda esse. Audiamus tantùm alia his conuenientia, & quidem manifestissima. scribit aliam epistolam eidem Cornelio, quæ libro tertio habetur, de schismaticis quibusdam qui ab Ecclesia recesserant, reuersis, & errorem suum agnoscentibus,& detestantibus: quos ille cum vniuerso populo, summo cum gaudio susceperat: & de hoc, atque eorum confessione, & verbis sic loquitur: Vna vox erat omnium Deo gratias agentium, gaudium pectoris lachrymis exprimentes, complectentes eos, quasi hodie pœna carceris fuissent liberati: & vt ipsorum propria verba designem: Nos, inquiunt, Cornelium Episcopum sanctissimæ catholicæ Ecclesiæ erectum à Deo omnipotente, & Christo Domino nostro scimus: nos errorem nostrum confitemur: circunuenti sumus perfidiæ loquacitate factiosa: videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico homine habuisse, syncera tamen mens nostra fuit per in Ecclesia: nec ignoramus vnum Deum esse, & vnum Christum esse Dominũ, quem confessi sumus, vnum Spiritum sanctum, vnum Episcopum in catholica Ecclesia esse debere. Hæc ibi Cyprianus. Hæc fuit confessio, quæ ita ipsum, suamque Ecclesiam lætificauit. vt scribat Cornelio hæc eadem hora eodem momento ad te scripta transmisi, vt nulla procrastinatione habita, velut præsens nobiscum Domino nostro gratias agas. Vide quàm certissima hæc erant in Aphricana Ecclesia Cypriani tempore, Romanũ Episcopũ vniuersalis Ecclesiæ esse episcopum, catholicæ, inquit, Ecclesiæ totius Ecclesiæ, non hic est locus cauillo, quo dicitur, quãlibet Ecclesiam catholicã esse: propterea addunt Pauli verbis, qui dicit, vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, vnus episcopus in catholica Ecclesia, quibus vides quàm verè confirmentur, quæ diximus, quòd quum tota Christi Ecclesia non minus sit vna, quàm quælibet alia priuata, non minus illa vnus episcopum habere debeat. Certè hæc confessio hoc habet, vt quicunq; vnum Deum, vnũ patrẽ, vnum dominum Christum, vnum Spiritum sanctum agnoscãt: agnoscãt etiam vnum Episcopum: Omnes inquã vnius Ecclesiæ mẽbra. Hæc igitur nobis sufficiãt, vt Cypriani testimonium non tantùm fidei suæ, sed totius Aphricæ, & certè totius orbis Christiani, de Romanæ Ecclesiæ primatũ habeamus Ecclesiæ.

Epistol. 11.

Cap. 9.

Cornelij, et Lucij Romanorũ cõtemporaneorũ Cypriano auctoritate probatur primatus Rom.

mus manifestissimũ. possumus & huic adiungere pontificũ Romanorum, Cypriano contemporaneorum auctoritatem, certè ipsius Cornelij, qui eodem modo, quo superiores pontifices, omnium Christianorum curam gessit: prima epistola est ad omnes sanctæ Ecclesiæ filios, & recta fide Domino famulantes, secunda Ruso episcopo orientali dirigitur, in qua auctoritatis huius Romanæ Ecclesiæ, quasi iam certè stabilitæ memoriam facit. Exigit tua, inquit, dilectio, frater charissime, vt ex auctoritate sedis Apostolicæ tuis deberemus consultis respondere, & posteà inquit, hæc sancti viri præcessores nostri, qui huic sanctæ vniuersali Apostolicę Ecclesiæ præfuerũt ante nos, &c. In causa verò Nouati hæretici quid egerit, & quibus scripserit, ex Eusebij historia, & ex eius literis constat: omnia ostendunt hanc auctoritatem. Lucius huius successor, ad quem Cyprianus scribit, eodem modo omnium Ecclesiarum curam gessit, scribit epistolã ad Galliæ, & Hispaniæ episcopos, & vt videas, qua auctoritate, sic loquitur: Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, sed vt in exordio normam fidei Apostolicæ percepit ab auctoribus ipsius, Apostolis Christi principibus, secundum ipsius Domini saluatoris diuinam pollicitationem, qui discipulorum suorum principi in suis loquitur Euangelijs: Petre, inquiens, ecce sathanas expetiuit vos, &c. & post quædam sic dicit de Christo, fidem beati Petri non defuturam promisit, & confirmare eũ fratres suos admonuit, quod Apostolicos pontifices nostræ exiguitatis præcessores, confidenter fecisse semper cunctis est cognitum: quorum & pusillitas mea, licet impar, & minima, pro suscepto tamen ministerio, diuina dignatione, cupit pedissequa existere: & deinde, quantum ad hoc astricti sint pontifices Romani, ostendit. Hæc igitur de huius temporis fide, qua in principio hoc Ecclesiæ primatus Romani pontificis, & Ecclesiæ suæ agnitus est institutione Christi, & Euãgelicis testimonijs debent nobis sufficere, vt in ore Irenęi, Cypriani, & quatuor, aut quinque pontificum Romanorum, sanctissimorum martyrum, quos illi agnoscunt, stet firmum hoc Ecclesiæ fundamentum.

Cap. 92.

Athanasij, omnium *sui* tẽporis *episcoporũ* Aegypti, et Nicæni con *cilij auctori tate idem probatur.*

Verùm apponamus his, velut coronidem, testimonium Athanasij, Alexandrini episcopi, & sedis videlicet illius, quæ semper in Ecclesia post Romanam iudicata est proximum locum tenere, propter Petri Apostoli nomen, & Marcum euangelistam discipulum eius, qui eã fundauit auctoritatem: Itaque Athanasius & propter tantam sedem, & propter celebratissimam famam, singularemque & eruditionẽ, & constantiam fide dignissimus testis merito esse debet, sed nos etiam in illo, qui præsens fuit Nicæno Concilio summæ auctoritatis in Ecclesia, etiam ipsius concilij sensum credimus ostendi. Nec enim ille alienũ sequeretur sensum, sed nec illius tantùm, verùm vniuersorum Episcoporum Aegypti simul cũ eo habebimus testimonia, nec vnicum tantùm. Sit igitur primum ex epistola ad Marcum Romanum pontificem, quam scribunt petentes exemplaria Nicæni concilij, cuius capita Athanasius fatetur septuaginta fuisse à se ad Ecclesiam Alexandriną deducta: verùm ab hæreticis combusta, quòd valde considerandum est, cùm nos vix viginti habeamus. Igitur sic habet illa epistola: Domino sancto, & Apostolici culminis venerando Marco, sanctæ Romanæ, & Apostolicæ sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ papæ, Athanasius, & vniuersa Aegyptiorum Episcopi. Vide igitur si desiderari potest apertior confessio Romanæ, & Apostolicę sedis atq; vniuersalis Ecclesiæ episcopum vocauit, nec verbis tantùm Athanasius, sed operibus etiã hunc primatũ Romanæ Ecclesiæ agnouit: imò vniuersi orientales Episcopi, atque Græci hoc tempore agnouerunt tam catholici, quàm hęretici. Vide quid scribat Theodoretus de Eusebio Athanasij aduersario, atque à vera fide alieno, libro quarto historię tripartitæ: Calumnias, inquit, in Athanasium Iulio Romano pontifici destinauit simul cum consortibus suis: Iulius verò ecclesiasticam legem secutus, ipsos Romam venire præcepit, & venerabilem Athanasium ad iudiciũ regulariter vocauit, vbi Athanasium paruisse dicit, & venisse Romam, sed non alios. Vide rursum, quid eodem libro Sozomenus scribit, vbi Athanasiũ Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, atque duos alios

Universidad de Deusto
Biblioteca

alios Episcopos Romam venisse, vbi & erat Adrianopolitus episcopus, similiter Græcus, refert, quorum omnium causas Romanus pontifex cognouit, ipsosque suis Ecclesijs restituit, intelligens Niceno concilio concordare, & orientalibus episcopis literas scripsit, increpans eos, quòd viros inculpabiles suis Ecclesijs expulissent: & licet illi maximè schismatici grauiter hoc tulerint, & Iulio rescripserint quædam seditiosiùs, illud etiam ex eodem constat, & ex epistola Iulij eius sententiam præualuisse. Vide epistolam ipsam ad Orientales episcopos, pro causis Athanasij, & epistolam Orientalium ad ipsum, & demùm rescriptum ipsius ad illos, vbi hanc sedis Romanæ auctoritatem manifestissimè asserit, & licet schismatici quidam restiterint, auctoritate tamen Niceni concilij, cuius aliquot capita ibi referens, quæ nos non habemus, tandem suam sententiam confirmat, durè ipsos increpans, quod catholicos omnes orientales episcopos constat secutos fuisse. Itaque legantur illa & iam etiam Concilij Niceni testimonium huius primatus, & Græcorum omnium manifestissimum videbis. Ex illis igitur omnibus hoc duntaxat verbum hic referemus. Iulius Orientalibus rescribens sic loquitur, Sancti patres in Nicæa congregati leges statuerũt, quas nos canones appellamus, ne facilè probi ab improbis damnarentur, ex quibus nonnullas sententias his inseri iudicauimus: vt tantorum patrum auctoritate nostra roboraretur epistola. Primus igitur canon, quem adducit, hæc habet verba: Vt omnes Episcopi, in quibuscunque grauoribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem: atque ad eam quasi ad matrem confugiant: vt ab ea, sicut semper fuit, piè fulciantur, & defendantur. Non est opus plura referre: Habemus ex his totius Ecclesiæ Latinę, & Græcę & ipsius concilij Niceni conspirationem, & consensum in primatum Romanę Ecclesiæ verbis, & operibus manifestum. Sufficere possint hęc, nisi velimus credere tantos patres, imò & totam illorum temporum Ecclesiam errasse, sed pauca addenda sunt, quo sequentis temporis consensus in hanc fidem ostendatur in catholica assertione, cap. de summo pontifice, Ambrosij, Augustini, Chrysosto-

Cap. 93. Ostenditur Patrum sequentiũ cõsensus de primatu Romani Pont.

stomi, & Theophylacti adduximus testimonia, asserentium Petrũ totius orbis curã cõmissione Christi gessisse: & Ambrosius Damasum toti Ecclesiæ, de qua Paulus dicit, quod est domus Dei, colũna, & firmamẽtũ veritatis præsidere dicit. Aug. dũ probat epistolas Aphricanorũ cõciliorũ ad Innocentiũ, & illius respõsa, hoc ipsum cõfitetur: rescripsit (inquit) ille nobis ad omnia eo modo, quo oportebat, atq; decebat Apostolicæ sedis antistitẽ: tã verò in epistolis duabus conciliorum Aphricanorum, & altera familiari quinque episcoporum, inter quos Augustinus se fatetur fuisse, quàm in responsionibus Innocẽtij apertissimè ostẽditur hunc primatũ Ecclesiæ Romanæ Aphricanos tunc agnouisse. Atq; hæc omnia, non longè post Nicænũ concilium. Non est tamen inter hos omittendus Hieronymus horum temporum maximæ auctoritatis, & doctrinæ presbyter, in Ecclesia. Is nonnihil ante Innocentium, atq; Concilia illa Aphricana, de quibus August. tempore scilicet Damasi, de contentione Arrianorũ in orientis partibus ad ipsum scribit duas epistolas: ambæ plenæ sunt confessione huius primatus. Cõstitutus enim in Syria apud Antiochænam Ecclesiã propter diuersa dogmata, suspectos habẽs episcopos quosdam, à Damaso petit responderi: quibus debeat cõmunicare. Omnia digna sunt lectu: sed pauca hic apponamus verba. Ita igitur inquit, in priori: Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri cõmunione conseror: super illã petrã ædificatam Ecclesiã scio: quicunq; extra hanc domum agnũ comederit, prophanus est: si quis in arca Noë nõ fuerit, peribit regnante diluuio. Quid apertiùs, rogo, dici potest, quàm illum perire, qui cathedra Petri non cõmunicat: & hoc, inquit, longè separatus ab vrbe Romæ. Vide quid tandẽ dicat in fine huius epist. Quãobrẽ obtestor beatitudinẽ tuã, per crucifixũ, mũdi salutẽ, per homousion trinitatẽ: vt mihi epistolis tuis siue tacendarũ, siue dicendarũ hypostaseon detur auctoritas. In altera sic etiã inquit: hic in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat, monachorum circa manentium gregis antiqua in me insurgit auctoritas: Ego inter rum clamito, si quis cathedræ Petri iungitur, meus est. Milesius Vitalis, atque Paulinus tibi

Epist. 106.

2. tom. epist.

hærere se dicunt: possem credere, si hoc vnus assereret: nunc autem aut duo mentiuntur, aut omnes. Ideireo testor beatitudinem tuã, per crucẽ Domini, &c. vbi per multa sacra obtestatur ipsum, vt mihi literis tuis, apud quẽ in Syria debeã cõmunicare, significes. Noli despicere animã, pro qua Christus mortuus est. Hæc itaque Hiero. scribit, vt vides quàm necessariũ hoc

Lib. 9. hist. tripar. ca. 2

crediderit: hoc, inquit, scribit Damaso, cuius tẽpore, vt Theodoretus ait, lata fuit à Gratiano Christianissimo Imperatore lex, vt episcopis expulsis, qui cõmunionem Damasi sequerentur, suę redderentur Ecclesiæ, vt intelligas, quàm veræ Romanæ Ecclesiæ cõmunio necessaria semper credita fuerit. Ne igitur diutius teneamus lectorẽ. Non iã vnius, aut alterius patris testimonio, sed antiquissimorũ conciliorũ duntaxat simus auctoritate cõtenti. Trium itaque, quæ post Concilium Nicæ-

Cap. 93. Triũ Conciliorum vniuersaliũ Nicænũ sequẽtiũ auctoritate primatus Romanæ Ecclesiæ ostenditur.

num à tota Ecclesia susceptã sunt, quæ simul cum illo de præcipuis dogmatibus fidei rectã doctrinã tradiderunt toti Ecclesiæ, quæ Gregor. sicut quatuor euangeliorũ libros suscipit: tria inquã, hæc testimoniũ perhibent primatui Romanæ Ecclesiæ: illi sese vniunt, & ab ea pendere cõfitentur. Primũ Constãtinopolitanũ centũ quinquaginta patrũ, sub Theodosio imperatore, & Damaso papa diuinitatẽ Spiritus sancti cõtra Macedoniũ docet: & symbolum illud patrũ, quod in Ecclesia soleniter canimus, in cõcilio Nicæno cœptũ cõpleuit, in quo vnã sanctã catholicam, & Apostolicam Ecclesiã confitentur. Scribũt patres huius concilij Damaso, & reliquis sanctis Episcopis in maxi-

Lib. 9. trip. hist. cap. 13.

ma Roma collectis epistolam, cuius meminit Theodoretus, in Ecclesiast. hist. in qua sic aiunt: Quia tamen fraternã circa nos charitatem ministrantes synodum in Romana vrbe Dei voluntate fecistis, & nos illuc tanquã propria mẽbra literis Dei, amabilis principis, euocastis: Et post quædã: Oratio quidẽ nostra fuit, si esset possibile, vt omnes nostras relinquentes Ecclesias desiderio vtili iungeremur. Hæc quidem primò aiunt: vbi vides, quòd se membra agnoscant Romanæ Ecclesiæ: & ad eius vocationem debere se conuenire: Deinde verò causas apertissimas, quare venire non possent referentes, tandem legatos mittunt, per quos inquiunt, & nostram pacificam voluntatem, & inten-

intentionem habentem vnitatis ostendimus. Ephesinum verò manifestiùs hunc primatum agnouit, in quo Cyrillus Alexandrinus episcopus vices Romani pontificis agebat: sic enim habent acta quædam eius, prima actione concilij Chalcedonẽsis recensita, sedentibus Deo amantissimis, & religiosissimis episcopis Cyrillo Alexandrinæ, & agente vices sanctissimi, & beatissimi archiepiscopi Romanæ Ecclesiæ Celestini. In Chalcedonensi autem, horum quatuor vltimo, legati Leonis papæ primum semper locum tenent. Sic habet prima actio conueniente sancto, & vniuersali concilio, id est, Paschasino, & Lucentio reuerendissimis episcopis, & Bonifacio religiosissimo presbytero, tenentibus locum sanctissimi, & reuerendissimi archiepiscopi almæ vrbis Romę Leonis. Vnde & actione decima habes, quia missi Apostolici semper in Synodis priùs loqui, & confirmare soliti sunt: & denique fatetur vniuersum Concilũ Leonem pontificem caput esse, & præsidere, vt habes epistola, quam ad ipsum scribit, in fine tertiæ actionis: tu quidem, inquiunt, sicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebãt ordinem. Quid igitur opus est, pluribus hæc confirmare: certè Leo primus, & Gregorius sanctissimi fuere Romani pontifices, & tales semper ab Ecclesia agniti. Quantam verò rotius Ecclesiæ curam gesserint, & quàm verè eorum auctoritas agnita fuerit ab omnibus: & denique quàm vtilis, epistolæ eorũ ostendunt: quæ omnes plenæ sunt hac solicitudine. Poste-

Cap. 94. Tria, ad quæ primatus Romanæ Ecclesiæ necessarius est.

riorum temporum non est opus doctores citare, quum manifestissimum sit magno consensu omnes hoc affirmasse, & operibus in magnis causis ostendisse. Tria enim sunt, in quibus & ratio ipsa, & tota Ecclesiasticæ historiæ series docet, necessaria esse hanc auctoritatẽ vnius super omnes in Ecclesia. Primùm ad synodum vniuersalem congregandam. Quomodo enim vocari possunt omnes episcopi, nisi à superiori: quomodo conueniri? Si enim cuilibet liberum fuerit venire, aut non: nullũ poterit Concilium fieri. In concilio Chalcedonensi ab omnibus episcopis clamatum est, Ephesinum secundum non esse dicendum concilium, quia nec Apostolica auctoritate coactum est, nec ritè peractum. Socrates in Ecclesiastica historia Concilium

Actione 10. prope finẽ.

lium ab Eusebio Antiochiæ Syriæ celebratum, pessimum & schismaticũ refert, & inter cætera, quia nec Iulius inquit maximæ Romæ præsul interfuit: nec in locum suum aliquem destinauit: cùm vtique regula Ecclesiastica iubeat, nõ oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari. Secundũ verò, ad quod hæc vnius auctoritas necessaria agnoscitur, cauſæ fidei sunt, cùm scilicet contraria ad rectam fidem pertinere à diuersis asserantur: quum enim vna debeat esse fides totius Ecclesiæ, necesse est, vt vltimum sit aliquod iudiciũ, quod certè esse non potest, nisi sit vnus supremus, ad quod etiam concilia vniuersalia congregata sunt: vt ipsa, quæ habemus, manifestissimè ostendunt: in quibus Dei prouidentissima ordinatio ostenditur: dum ita vnus præsidet omnibus, vt tamen omnium concilijs vtatur: quæ nisi vno colligente, & ordinante, quid essent, quàm tumultus, & murmur? sed de hoc posteà pluribus est agendum. Deniq; & tertium, ad quod ea requiritur, maiores causæ sunt: dũ scilicet agitur de mutatione status Ecclesiarũ, aut cõtrouersiæ sunt inter ipsos episcopos primates maximè. Hæc enim in Ecclesia frequeter eueniũt, nec enim trãquillitas perpetua huius vitæ, & tẽporis est, atq; ira nec huius Ecclesiæ.

Lib. 4. tripart. histo. cap. 9.

Cap. 95. Quòd contẽtiones & schismata Romanæ Ecclesiæ nihil detrahant certissimæ fidei primatus Ecclesiæ.

Nec certè quod aduersarij volunt, patitur status Ecclesiæ peregrinantis, vt hæc omnia à Christo fiant: aiunt enim, difficile non esse illi, concordare omnia, de quo scriptum est: Qui habitare facit vnanimes in domo. Quid ergo opus est alio iudice, maximè cùm nonnunquã viderimus, aiunt isti, hos, quos nobis loco Christi imponitis, errasse, & cecidisse in multis: idque nõ rarò: quibus etiã addunt schismata, & cõtentiones, quibus inter eos ipsos sæpe laboratũ est: plures enim nõnunquã se gesserũt, vt Romani põtifices: & inquit inter hos Brent. suis his prolegomenis, quòd Damasus ipse, cuius superiùs mentionẽ fecimus, & ostendimus eius tẽpore, & legibus imperialibus hanc auctoritatem Romanæ sedis cognitam, per seditionem, & multas cædes est electus in pontificem: & iam eius tempore Roma, Babylon, & purpurata meretrix dicebatur. His multa addunt, quibus paruulos scandalizant, & omnino excludunt ab hac saluberrima vnione. Quid igitur respondendum eis? certè

certè non aliud, quàm quòd si Diuinæ prouidentiæ in gubernandis rebus omnibus, & sua maximè vera Ecclesia rationem attentè cogitarent: vel ea sola cõsideratio sufficeret ad hæc, de quibus agimus, maximè illis persuadenda: videmus enim in ipsius vniuersi, oniniumq; hominum moderatione, in principijs scilicet, & finibus, atque medijs & priuatorum hominum, & ciuitatum, atque regnorum, & monarchiarum Deum ita cuncta attemperasse, vt nec testimonia desint prouidẽtiæ suæ, nec tanta, vt non sit necessaria fides plurima: permittit cursui cuidam rerum, & humanæ prouidentiæ, quibus fit, vt malis cõtingant prospera, bonis aduersa, prævaleant mali cõtra bonos: vt scilicet fide, & spiritu boni viuant, & cælestia quærant. Inter hæc verò quædam etiam speçialia signa curæ, quã habet bonorũ, ostendit, quod prosperitate illa Abrahæ, & Israelitici populi agebat: & sunt vtriusq; horũ in regnis omnibus, & quotidie in vita hominũ manifesta exẽpla. Nec enim tã manifestè se Deus ostendit gubernatorẽ omniũ, vt non multa inordinatè fiant, & ad tempus permaneãt: nec ita obscurè, vt qui attendere velint, non habeant, quæ sufficere possint testimonia. Et hæc quidem Deus in administratione temporaliũ harum rerum agit: nec in his tantùm, sed & in ipso salutis nostræ mysterio, atq; dispensatione assumptæ pro nobis carnis. Sic enim omnia attemperata fuerunt in illo opere, vt quàmplurima humana ratione faceret Christus: ita vt nihil in eis, quàm humana infirmitas, appareret. Sic expectauit moras illas nascendi, crescendi, & ad perfectum veniendi nobis consuetas: sic fuga declinauit hostes: sic deniq; & passus est. Inter hęc verò adhibuit diuina quędã miracula, ne omnino fides diuinitatis periret: angelorũ testimonia: curationum remedia: & naturæ, rerumq; mutationes: vt obscuratio solis, & terræ motus ipso patiente. Hæc est itaque perpetua ratio administrationis rerum, qua Deus vtitur, quam meritò etiã in sua Ecclesia per hanc peregrinationẽ deducenda, exercẽda & conseruanda, quousque tandem ad vltimã illam beatitudinem perducat, eam seruare si cogitemus: non solùm nullum patiemur scandalum in cõsideratione infirmitatũ, & imperfectionũ Ecclesiæ, sed potiùs omnibus çdificabimur ad fidem. Subtraxit

Universidad de Deusto
Biblioteca

se Christus Ecclesiæ suæ. quare? nisi vt fide viuamus: subtraxit gratiæ suæ manifesta signa, dū sic nos regenerat per baptismū, & à reatu præuaricationis Adæ liberat, vt tamen eidē morti, eisdem molestijs, & casibus, quibus & alij, qui nō regenerati sunt, laborāt, obnoxios relinquat: cur etiā, nisi vt fide viuamus? Eadē igitur ratione suę Ecclesiæ vnitatē, & pacem cùm videamus eum gubernare, vnde scandalizamur? si omnia perpetua sanctitate, & puritate in sua Ecclesia semper seruasset, vt certè posset, vbi fides? vbi pacientia sanctorū? vbi denique cōditio humanę naturę? illa perfecta sanctitas reseruata est futuro seculo: vbi nō iam merita, sed præmia meritorū sunt. Alia verò debet esse huius seculi ratio, cui cōuenit, vt per speculum, & in ænigmate Dei gratiā, & prouidentiā agnoscamus in Ecclesia per fidē scilicet, quæ probanda est. Certè nō minus miraculum foret, nullum malum, nullum scādalum, in Ecclesia, in Christi ministris, deniq; in vicario eius perpetuò inueniri: quàm si ipse Christus præsens quotidie nobis appareret. Atq; ea ratione Deus Ecclesiā in hac peregrinatione sic gubernaret, ac si iā in cælesti esset patria. Hęc verò nō expedire, satis probat, quod id nō cōsonat cæteris Diuinæ gubernationis legibus: Dum itaq; lapsus pontificū, abusus Romanæ ciuitatis, vel Ecclesiæ, & schismata mihi narras, video cursum humanarū rerū, video homines, & illorū mores. Putaueras nō esse homines, qui Christiani sunt, aut nihil humanū in eis futurum, quod maius miraculū posset quærere infidelitas? certè vt Paulus inquit, euacuatū esset scandalū crucis: & ego dixerim, & meritū fidei. His enim modis illa exercetur: sed ne omnino deficeret, miris argumētis Diuinæ prouidētiæ ratio in hac ipsa hominum infirmitate illā confirmat: dū videlicet inter hos omnes humanos lapsos per hominū infirmorum, morientiū, & sibiinuicē succedentiū, discordantiū, & contendentiū ministeria suā fidē, suā Ecclesiā, sicut promisit, vsq; hodie per N.D. & eo amplius annos seruauit: vt nō dubitemus vel hac experiētia, etiā vsq; ad finē seculi seruaturū. Liberiùs, inquit Brentius, consensit Arrianis, diuersa est etiā in historijs huius rei sentētia: sed quid ad nos? nunquid propterea aut tota Ecclesia consensit Arrianis? aut ipsa saltē Ecclesia Romana succubuit?

cubuit? & nō potiùs, si Theodoreto credimus, magna fuit ostēsa cōstantia Romanorum: cùm Felici Diacono Liberij à Constantio suffecto nunquam Ecclesia cōmunicauerit, quousq; dum redditum obtinuerunt Liberiū. In quo iuxta hunc historicū nihil Arrianæ hæresis, aut cōmunionis cū illis reperimus, quāuis alij aliter scribāt: & diuersa sit historiarum sentētia. Verùm & tunc, nec Romanæ Ecclesiæ fides defecit, nec successio ista pontificum Romanorum perijt, ita testantibus catholicis, qui proximi fuerunt, vt August. Hieron. & Ambrosius. Sufficiant nobis hi testes: agnoscunt successores Petri Damasum, post Liberium, & cū eis tota Ecclesia. Thurificauit Maecellinus idolis, aiunt, quid nocuit hoc Ecclesiæ, quod nec illi quidem obfuit? redijt mox ad se, publicè confessus est in Ecclesia, & pontifex agnitus ab ea, & gloriosum martyrium peregit. Hæc sunt multò maiora miracula, quàm si nihil horum malorum esset: dum agnoscimus homines infirmos fuisse omnes, nec tamen hanc infirmitatem Ecclesiæ nocuisse: certè si hæc attentè cogitemus, & totius Ecclesiæ progressum vsq; ad nostra tempora, multa Diuinæ prouidentiæ argumenta, quibus ad fidem cōfirmamur, habemus. Sed hoc vnū Romanæ sedis perpetuò seruatæ in sana fide, & legitima successione non immeritò admirabimur: de quo vel paucis nunc nobis agendum est. Augustinus enim ante mille, & eo amplius, annos, hoc tanti fecit: vt referens, quæ eum in Ecclesia catholica tenebant, dixerit: tenet me in Ecclesia catholica, ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascēdas oues suas post resurrectionem Dominus commisit, vsque ad præsentem episcopatum, successio sacerdotum: quod Augustinus post miracula, quibus fides confirmata est, post consensum in ea gentium, & populorum proximum refert: satis ostendens hoc non minimum fuisse miraculum: quantò verò maius reputasset Aug. miraculum, successionē hanc mille quingentorum iam annorum? Ille triginta octo (ni fallor) pontifices refert in Ecclesia Romana vsque ad Anastasium, scribens Generoso: inter quos, vt eius testimonium, quod proximè diximus, non omittamus, post Liberium. non Felicem, vt quædam historiæ, sed Damasum ponit. Sed de Augustini sententia

Cap. 96. Prouidentia Dei in seruāda successione Ecclesiæ Romanæ admiranda. Lib. cōt. epistol. Funda. cap. 4.

Epist. 165.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in hac epistola plura inferiùs adferemus: nunc interim meritò annotandum est nobis, quòd si ille triginta octo pontificũ successiones, & quadringentorum plus minus annorum tanti fecit: quanti nos nunc facturi sumus successionem continuã ducentorum, & ampliùs, quàm triginta pontificũ vsque ad Paulũ huius nominis quartũ: mille quingentorũ, & amplius annorũ, de quibus & dicere possumus, quod August. eo loco inquit, in hunc ordinẽ episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro, vsq; ad Paulum quartum, qui nunc eadẽ cathedra sedet, etiam si quis traditor per illa tempora surrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentib. Christianis, quibus Dominus prouidẽs, ait, de malis prępositis: Quæ dicunt facite, quę autẽ faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Vbi duo, rogo, attentè in August. vide. Alterũ, quòd verã successionẽ agnoscit ex publico testimonio Ecclesiæ: vnde non dubitẽ Anastasium cathedrã Petri tenere: imò hoc ipsum dixit priùs sibi persuadere in eccle sia esse manendũ. Nõ dubitauit itaq; ille, quos cõsensus popũlorũ fideliũ successores Petri agnouisset, cõfiteri, nec schismatibus, & dissentionib. territus fuit, quæ nouerat cõtigisse, & hæreticis illa obijcientibus respondet alibi, sed continuã successionẽ agnoscit. Reliquũ est, quòd peccata illorũ etiã traditionẽ, siue proditionẽ fidei in libris sacris (de hac enim agebat) nihil nocere Ecclesiæ docet, vt certa, inquit, sit spes fideliũ, quæ non in homine: sed in Domino collocata nunquã tempestate sacrilegi schismatis dissipetur. Itaque successionẽ hominũ agnoscimus in sede Petri: sed non in homine spes nostra collocata est. Deũ agnoscimus cõseruare hanc Ecclesiã: (sicut promisit:) schismata, & peccata hominum nõ curamus: quæ si aliquando ad tempus permanserint: tamen sicut vsque ad sua tępora Augustinus agnouit, non propterea defecisse legitimã successionem: ita & nos agnoscimus, nec vsque ad nos defecisse: sed iã prouidẽtiæ Dei vestigia in hoc vno opere cõsideremus. Nõne Diuinæ virtutis, & præsentiæ agnoscendũ est fuisse opus, quod prioribus illis tẽporibus, cùm vbique, & Romæ maximè, lux Euangelica oriri cœpisset, & repugnãti Diabolo, qui tũ regnabat, regnãte sapiẽtia, & potentia huius mundi: atq; ideo grauissimis persecutionibus, pœnis, mortibusq;, & tormentorũ generib. & acerbissimis, & diuturnis & imperatores ipsi fidẽ Christi persequerentur: ita vt etsi vsq; ad Constantinũm decẽ vel duodecim persecutiones ab imperatoribus susciratas quidã referant, si tamen rectè historia consideretur, perpetua quædã persecutio à Nerone vsque ad Constantinum, non multò minus quàm trecentis annis, licet nonnunquam paulò remissior, vel ad breue tempus intermissa, videri possit: nónne igitur miranda diuinæ prouidentiæ efficacia fuit, quòd in sede Romana Sathanas, & imperatores obtinere non potuerunt, vt deesset certa, & legitima successio? Certè qui hæc per singula (vt ita dicamus) membra consideraverit, intuebitur miranda Dei opera. Occidebantur vno die Petrus, & Paulus, & tam atrociter sæuiebat Nero in Christianos, vt ex cadaueribus interfectorum lumina continuata per aliquot noctes fuisse dicantur: & tamen intrepidè audet Linus locum Petri tenere, nec officio deesse boni pastoris: afficitur ille supplicio vltimo, & mox succedit Clemens, aut accedit potiùs ad periculum, & victimam: atque sic demùm omnibus illis temporibus neque defuit populi, & cleri cura, & constantia in eligendo pontificem, nec in electis virtus, & charitas animas suas ponendi pro ouibus. quæ maiora miracula spectare debemus quibus hæc confirmetur fides? succedunt post hæc mutationes circa imperium, diuersæque irruptiones in Italiam, & Romam, & hinc circa electiones ipsas pontificũ difficultates plurimæ ortæ sunt, & cõtẽtiones, & inter hæc omnia nec defuit hæc successio, nec legitimi pontifices defuerunt officio suo: ita vt etsi nonnulla aliquando fuerit turbatio, vnde & in historijs inuenitur diuersitas, tandem semper illuxit diuina gratia Ecclesię suę, qua & agnosceretur verus pastor, & ipse vel præstaret, quod sui erat muneris, vel certè non læderet Ecclesiam. Multa sunt horum omnium exempla, sed illa sanctissimi Agapeti, & Siluerij successores eius, atque Vigilij maxima sunt. Instat Iustinianus Imperator potentissimus, cum Agapeto Constantinopoli apud se agente, ad quẽ auertendæ inę eius causa ab Italia venerat, vt Anthemium confirmet hęresiarchã in Constantinopolitana sede: minatur etiam multa, sed demũ supe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

superatus cõstantia pontificis, eius sententię cedit, & catholicũ pontificem ab eo ordinari petit, quod & fecit, atque tunc Agapetus sub tanto imperatore Cõstantinopoli, vt Petri successor agnitus est, & vt superior toto Christiano populo hæreticum pontificem damnat, catholicum constituit: idque agit constantia liberrima, & increpatione seuera, humiliato, & ad obedientiam inclinato potentissimo monarcha. hoc non agnoscemus diuinæ prouidentiæ opus, infirma mundi in pontifice eligente vt confunderet fortia, & in imperatore ostendente se eum esse, de quo scriptum est: Cor regis in manu Dei est, & quocunque voluerit, vertet illud. Sed perstat malitia Diaboli, & quo hæc Dei cura magis ostendatur, agit Theodora imperatoris vxor. vt Siluerius, qui Agapeto successit Anthemium hæreticum restituat, additis etiam grauissimis minis: restitit ille sanctissimè: excitatur fœminis furor, & demum falsò impositis criminibus, cogitur Siluerius se pontificatu abdicare, & in exiliũ mittitur: quia non vult iniquæ voluntati consentire, succedit Vigilius eius Diaconus, & quidem non satis, vt videtur, ritè ingressus. At cùm Theodora imperatrix ab eo posteà exigeret, vt promissis staret, & restitueret hæreticũ, quo videtur ipsum, qui tunc Constantinopoli erat, ambitione iniquum aliquid promisisse. sed vtcunque sit, mortuo Siluerio eius constantiam non imitatus solùm, sed superans nolle se malis promissis stare respondet: & sustinet potiùs, vt captus Constantinopolim duceretur, quàm vt iniquitati consentiret: & ibidem multis iniurijs affectus, diuturnoque carcere vexatus perstat in officio, vsque ad mortem. Vbi videtur certè sedis ipsius sanctitate purgatus fuisse, qui merito suo indignus videri poterat. Vexatus enim longa carceris inædia, & afflictione tandem liber dimittitur Romam. Nec verò permisit Deus illum eò peruenire: sed in via mortuus, vt verus Petri successor, sepulchrum Romæ obtinuit. Qua in re ostendit Deus apertè, quantam curam habuerit Ecclesiæ suæ: atque illud impleſſe quod scriptum est. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo, nec prophanabo testamentum meum. Hoc enim vero no-

nostro Dauid Christo promissum meritò accipere possumus, vt peccantibus filijs, & iram Dei prouocantibus nobis, non auferet misericordiam suam, sed implet promissa: Portæ inferi nõ prævalebunt aduersus eam. & in hac præcipuè sede vicarij Christi illud, quod in domo Dauid, ex cuius successione Christus nasciturus erat, factum legimus, videmus impleri, vt remaneat, ait, lucerna seruo meo Dauid cunctis diebus coram me in Hierusalem ciuitate, quam elegi, vt esset nomen meum ibi. 3. Reg. 11.

Cap. 97. *Admiranda Dei iudicia in primatu Ecclesiæ Romæ collocandæ.*

Multò enim iustiùs dicere possumus, elegisse Christum Romam, in qua sedem suam collocaret, dum eam principũ Apostolorum sanguine fundauit, & multorum milium nobilissimorum martyrum constantia, & meritis ædificauit: vt simul hoc vno opere duo digna sapientia, & virtute sua iudicia nobis ostenderet, quæ & anteà satis pronunciata erant: alterum in punitione Iudæorum, eorumque directione, & subleuatione gentium: Alterum in huius mundi potentia superanda, Iudęos quidem, ciuitatemque Hierusalem propter grauissimũ illud in se commissum peccatum, propter Messiam suum non cognitum, sed crucifixum, & in eo prophetias omnes, denique Deum ipsum contemptum, & abiectum, propter Apostolorũ prędicationem repulsam, sicut prędixerat illis, & figuris ostenderat, ex populo primogenito, ex capite, & primo voluit vltimum esse, & sibi gentes prælatas in regno hoc Dei, in Ecclesia Christi humiliter agnoscere: dum Aethiopia præuenit manus eius Deo, & populus, quem non cognouerat, priùs, seruiuit ei. Psal. 67. & in auditu auris obediuit ei: filij verò alieni facti mentiti sunt Psal. 17. ei, & claudicauerunt à semitis suis: & cùm, vt Paulus inquit, gẽtes quę non sectabantur iustitiam, inuenerunt iustitiam. Israël autem sectando iustitiam, in legem iustitiæ, non peruenit: quia Rom. 9. non ex fide, sed quasi ex operibus, & denique cùm inueniretur Ibidem. à non quærentibus, & palàm appareret his, qui eum non interrogabant. Hoc itaque iudicio factum est, vt fieret populus Iudæorum, & magna illa ciuitas Hierusalem sicut vmbraculum Esa. 65. in vinea, & tugurium in cucumerario, & sicut prædixerat illi Esa. 1. Deus: Aduena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, Deut. 28. eritque sublimior; tu autem descendes, & eris inferior: ipse erit

Universidad de Deusto
Biblioteca

erit in caput,& tu eris in caudam.Sic factum est,quum gentes,
Ephe.2. quæ,sicut Paulus inquit, erant sine Christo, alienatæ à cõuersa
tione Israël, & hospites testamentorum,facti sunt propè,& de-
nique ciuitas illa gentium ferè omnium domina facta est ca-
put, & Hierusalem mansit desolata. vbi etiam & alterum im-
pletum est iudicium, vt potentia illa, quæ domarat orbem sa-
pientia, & prudentia: Denique malitia Sathanæ, & superbia,
quæ omnia sedem suam collocauerant Romæ, infirmorum
hominum sola prædicatione, & virtutibus ad terram proster-
neretur,& crucifixi pedibus, imò & seruorum suorum subia-
Esa.25. ceret: meritò cantemus cum Esaia: Domine Deus meus es tu,
exaltabo te,& confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabi
lia,cogitationes antiquas, fideles, amen.quia posuisti ciuitatẽ
in tumulum, vrbem fortem in ruinam, super hoc te laudabit
populus fortis, ciuitas robustorum timebit te, quia factus est
fortitudo pauperi,fortitudo egeno.Hæc quidẽ de totius mun-
di conuersione,prostrataque idololatria:cum quàm verissimè
dicta sint, meritò etiam ea referemus ad ciuitatem,de qua me-
ritò Aug.inquit,quod vt omnibus gentibus imperaret,omniũ
gentium seruiuit Dæmonijs, facta caput superstitionis totius:
quod solius diuinæ potentiæ opus meritò fuit perpetuò ante
oculos habendum in hac Romana vrbe. De qua rursum idem
Esaias,cùm de ædificatione Ecclesiæ loquitur, vide an nõ aper
Esa. 26. tè mentionem faciat.In die,inquiens,illa cantabitur canticum
istud in terra Iuda,vrbs fortitudinis nostræ Sion saluator: po-
netur in ea murus, & antemurale: aperite portas, & ingredie-
tur gens iusta,custodiens veritatem,quæ omnia ad ædificatio-
nem Ecclesiæ,doctrinam, atque baptismum,meritò referenda
sunt: portæq; quibus ingressæ sunt gentes omnes,vt custodien
tes veritatem confessionis peccatorum iusti fierent,& propte-
reà statim clamat:vetus error abijt,seruabis pacẽ, pacem, quia
Roma.5. in te sperauimus.Nónne hoc est illud Pauli, Iustificati ergo ex
fide,pacem habeamus,siue habemus, ad Deum per dominum
nostrum Iesum Christum? Pacem inquit propheta seruabis,
quia in te sperauimus,nõ in nobis.& sequitur,sperastis in Do-
mino, in seculis æternis, in domino Deo forti in perpetuum.

Hoc

Hoc iam spem illam fidelium omnium prædicat, qua per om-
nes vsque ad finem seculi generationes, quousque tandem ad
æternitatem perueniamus,speramus, innixi his diuinis promis
sionibus:vobiscum sum:portæ inferi,&c. Hanc verò spem vo-
luit Deus certissimis argumentis omnipotentiæ suæ, quæ sem
per ante oculos nostros esset, confirmare: inter quæ maximũ
est totius orbis subiugatio in obsequium fidei contrariæ peni-
tus omni sensui carnis. Huius verò operis in ipsa vrbe Roma-
na,piscatori subdita,voluit nos perpetuum habere exemplum:
vt nouerimus Deo nihil impossibile esse: atq; ideo speremus
constantissimè in illo.Et vide,an non hoc propheta explicaue-
rit:cùm enim dixisset: Sperastis in Domino in seculis æternis,
in domino Deo forti in perpetuum:statim subdit, quia incur-
uabit habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliabit:
humiliabit eam vsque ad terram,detrahet eam vsque ad pulue
rem, conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.
Quid manifestiùs dici potest de Roma illa olim triumphante,
quæ iam vsque ad terram, & puluerem coram Christo humi-
liata est: & agnouit in multis nobilissimis suis senatoribus, &
consulibus,& imperatoribus maximis,se puluerem esse, & ci-
nerem,& à solo Christo veram stabilitatẽ habere posse. Nón-
ne ad terram humiliabatur Roma,dum Constantinus crucem,
auro,& margaritis formatam,vexillis suis imponeret: cùm sa-
cerdotibus Christi se subderet: cùm Philippus Imperator, &
Theodosius publicam pœnitentiam non respuerent?Prostrati
enim inter peccatores pauimentum Ecclesiæ lachrymis irriga
rent,& purpura imperiali tergerent. Verè ciuitas sublimis hu-
miliata erat, & conculcarunt eam pedes pauperis Christi, & *Cap.98.*
gressus egenorum piscatoris Petri,& Pauli scenofactoriæ artis. *Iudicia Dei*

Hoc igitur opus tantæ sapientiæ, tot iudiciorum Dei, pu- *in inimicos,*
tamus facilè dejci posse, quod iam per mille quingentos an- *et impugna*
nos confirmatum sic stat,vt quanquam impugnatum fuerit, & *tores huius*
quidem ab ipso suo ortu omnibus Sathanæ machinis, tamen *primatus,et*
nunquam prævaluerunt in illud:sed hoc tantùm egerũt,quot- *præcipuè in*
quot obstinatè contradixerunt ei, nec Diuinæ ordinationi *Constanti-*
æquanimiter paruerunt, vt sibi ipsis primò auferrent salutem, *nopolim.*

& de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& demum in miseram seruitutem inciderent. Vide superbam illam Constantinopolim,& cum ea Græciam, & imperium illud Constantinopolitanum à Constantino erectum, & priorẽ gloriam temporalem Romæ in se translatam habens, quod iã ante multos annos aduersus Romanam Ecclesiam se erigebat ab oriente asserens aduenisse in occidentem prædicatores, & lucem fidei:& fidebat æruditioni suæ in sacris literis, multitudiníque reuera sanctissimorum, & doctissimorum patrum, qui primi in tractandis sacris literis,& confutandis gentium erroribus claruerunt.In hac igitur contentione, quàm apertum iudicium Dei ostensum fuit Gregorij sanctissimi tempore.Nã quanta ille,& quàm humiliter,& patienter passus fuerit,à Mauritio Imperatore Ioannem Constantinopolitanum patriarchã superiorem Gregorio conantem efficere,& vniuersalis Episcopi nomen,& auctoritatem ei conferre:satis ostendit registrum Gregorij, ciusq; epistolæ omni sanctitate, & modestia refertæ manifestant abundè. Sed iudicium illud Dei in Mauritium Imperatorem, quod priùs etiam miraculo apparentis in vestitu monachi publicè voluit Deus reuelatũ esse, vt Imperator ipse, & omnes agnoscerent eum Romanæ Ecclesiæ fundatorem, & defensorem,& propugnatorem, seruíque sui Gregorij defensorem,satis edocuit, quem exitum huius diuinæ ordinationis contemptores habeãt. Interfectus est igitur Mauritius,& priùs ante illum vxor, & filij ab infimo milite Phoca. Suscepit verò ille hoc Dei iudicium,& pœnam humiliter,sed interim ostẽdit Deus dignum fuisse illum, qui vicarij sui successionem auferre conatus est,qui priuaretur successione omni,& spe posteritatis in imperio,& mundo.Possint dicere,qui volent,hoc ob alias causas Mauritio contigisse,cæterùm nobis satis sit, quòd conatus ille Romanæ sedis primatum subuertendi, cum Mauritio tunc extinctus est,& cognouerunt successores eius, hanc auctoritatem:& Phocas illud lege confirmauit,vt produnt historiæ,quos exitus habuerunt imitatores Mauritij, & res ipsa iam prodidit, quem exitum imperium illud Constantinopolitanum habuerit.Ab eo enim tempore, quo huic schismati locum dedit,cœpit paulatim deficere,& demùm gladio infideliũ tra-

traditum in miserrimos errores, & seruitutem lapsum, & tandem non ante multos annos ipsa Constantinopolis subacta in miseram seruitutem Mahometi: in pœnam proculdubiò rebellionis suæ,qua suaue Christi iugum ob superbiam refugiẽs incurrit miserrimam hanc seruitutem:quod priùs Brigittæ sanctissimæ prophetijs comminatus fuerat illi Deus, quarum beatus martyr Roffensis meminit, & inter hæc audet Brentius hunc sedis Apostolicę primatum ita suorum scriptis deiectum asserere,vt in loco de auctoritate scripturæ, hæc verba ausus sit proferre: Non possum mirari, quòd in tanto splendore Euãgelij Christi,& tot eruditissimis scriptis aduersus primatũ pontificis in lucem editis, audeant adhuc de suo primatu gloriari. Vbi lectoré rogo videat, quanta sit hęc arrogantia:certè maior quàm prudentes & modestæ aures pati possint. Miratur quòd in tanto splendore Euãgelij, & tot eruditissimis scriptis, quid, rogo Brentij, per Lutherum, & nescio quos eius sequaces splẽduit nunc Euangelium?Lutheri scripta aduersus primatum põtificis,quæ nihil habent nisi meras calumnias,& conuitia, impostursq́ue manifestissimas,sunt eruditissima scripta?vt enim omittam interim viuentium memoriam, talia sunt Lutheri, & suorum scripta,vt conferri possint cum tot sanctissimorum,& eruditissimorum patrum scriptis, quæ superiùs citauimus, Irenæi scilicet,Cypriani,Athanasij,Hieronymi,Ambrosij,Augustini,Chrysostomi,& Basilij,& denique Concilijs ipsis, quæ vos cum multa reuerentia nominatis,Nicæno Constantinopolitano,Ephesino,& Chalcedonensi, quæ vt quatuor Euangelij libros Gregorius recipit? Digna sunt scripta vestra, si Dis placet,eruditissima,vt cum his conferantur:quæ solius beati Ioannis Roffensis episcopi,& martyris veritate,grauitate,& auctoritate longo interuallo superantur ? apud vos certè sola verba sunt:qualia hic à te audio, & audes post tantam iactantiam, & arrogantiam,contumeliam etiam addere,quam visus es tibi facere dixisse,mihi verò videtur in magnam tui ipsius infamiam: Huic enim,ais,asino χωρὶς ita detracta est,vt meritò eum pudere debeat in publicum prodire:ego verò si de me loqueris (sic enim dicis,vt ad omnes possit referri,qui hanc tenent fidem)liberè,

Cap.99. Cõtumeliæ Brentij contra primatũ Romanæ Ecclesiæ detegũtur & refelluntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

berè, certè, & citra vllum pudorem prodeo in publicum, & hoc tantùm tibi respondeo, hæc inania verba esse, quæ si attendisses, nusquam dixisses, vidisses enim in quos hanc contumeliam iactabas. Nunquid enim Hieronymus ille, tanquam asinus, leoni deoperiebatur, quum diceret Damaso? Ego Christũ sequens beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consecror: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Asinus erat Ambrosius, qui eundem Damasum dicit, Ecclesiæ illi Christi præesse, de qua Paulus dixit, quod est domus Dei, columna, & firmamentũ veritatis? Denique patres reliqui quos citauimus Latini, & Græci, Cyprianus, Irenæus, Athanasius, Basilius, & Chrysostomus, & Concilia illa sanctissima leonide induebantur tanquam asini, quam vos nunc demum Luthero duce detraxistis? pudeat te tam venerandæ patrum canicici contumeliosum esse, pudeat te sola verba iactare in rebus tam grauibus: qualia sunt, & illa, quæ postea dicis eodem loco de auctoritate Scripturæ sacræ, cùm enim ad loca hæc Scripturæ, quæ nos citauimus: Tibi dabo claues regni cælorum, &: Quicquid solueris in terra, &c. respondet, sic inquit: sed hæc loca non solùm sacræ Scripturę, verùm etiam Ecclesiasticorum scriptorum testimonijs à vanis, & impijs sophistarum commentis vindicata sunt. Hæc ille, vt scilicet sophista sit Hilarius, Chrysostomus, & impia commenta sint eorum expositiones, quibus hæc de Petro exponunt, sed sequitur, inquiens: hæc ita vindicata esse à nostro errore, vt existimet me in alio orbe hactenus commoratum, quod nescio: quid in hoc orbe aduersus Romanenſium adulatorum deprauationes dictum, scriptum, atque etiam depictum sit: miranda certè fiducia, & miseranda hominum sibi solis placentium cæcitas. Non putat Brentius vixisse inter homines illum, qui ineptissima commenta suorum clausis auribus, & oculis præterire volet. omnes sunt illi Romanenses adulatores, & deprauatores, qui non probant Lutherum, & suos. Non fuit adulator, nec deprauator Hilarius, non Chrysostomus, non Augustinus, Bernardus, qui loca illa sic interpretantur, vt nos? & vide tandem, quò prorumpit arrogantia sibi placentium, ad picturas nos mittit, ad ea quibus plebi simplici

plici imponunt, eamque à veritate miserrimè auertunt: quas putabam certè nec ipsis, qui inter eos communi aliquo sensu vigent, placere. Sed nunc video probari Brentio seni, & tanto illorum doctori: vt de nullo catholicorum velit, nisi cum dedignatione loqui: si quod depictum est, attendendum esse putamus, quantò iustiùs antiquissimis picturis, & illorum temporum, quo in tranquillitate, & vnitate confessionis fidei Christiani omnes viuebant, adhibenda est fides. sed ad suas nos mittit picturas, quas, rogo? Nunquid ad ineptissimum illud figmentum Lutheri, quod Papaffelum vocat? Nam, quam poterit maioris auctoritatis picturam ex suis proferre, quàm primi præceptoris, & magistri sui: qua tamen pictura, nullum maius testimonium desiderari à me potest, ad auertendos omnes à Luthero, quàm quòd tale adinuenerit monstrum: aut adinuentum à Sathana suo commento curauerit lustrari, & in lucem emitti: & quid opus est de alijs Diaboli, & membrorum eius blasphemijs, & adinuentionibus figurarum, & imaginum, quas passim vidimus in Germania, mentionem facere, nunquid persuadere possunt quiequam prudenti homini tam indigna figmenta? sed post tanta conuitia audiamus, si iam aliquid rationis adfert. Sic igitur, inquit, in hoc loco post illa, quæ proximè citauimus, Claues Ecclesiæ datæ sunt Petro, & Confessoribus Petræ, quæ est Christus: & nõ sunt datæ Liberio, Arriano, & Marcellino idololatræ: datæ sunt seruo Christi, non seruo Antichristi. Hæc est, qua tandẽ vtitur, ratio: & quid rogo illa aliud continet, quàm veterem suam cantilenam: nempe vt ex moribus prauis auctoritatem neget prælatorum: contra quod apertè ipse Brentius testatus est: & nos superiùs illi concessimus: quòd si à vera fide decesserit episcopus, aut pastor, meritò sit reijciendus. Itaque si de fide loquitur, nihil contra nos adfert, qui manifestè alienum à fide, ab Ecclesia etiam alienum dicimus, si de moribus verò, Antichristi serui possunt non minus, quàm Iudas, gradum in Ecclesia Christi tenere: sed quorsum rogo necesse erat Liberij, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Marcellini hîc mentionem feciſſe? nunquid vt paruulos ſcandalizet? nos non in homine aliquo ſpem ponimus: neque ad fidem noſtram pertinere putamus diſputare, an vnquam à Deo permiſſum fuerit, aut permittendum, vt erret tanquam homo Romanus pontifex: ſatis eſt nobis, quòd non dubitamus, non permiſſurum Deum, vt hic error in Eccleſia prævaleat, quòd exempla quæ ipſe adfert, confirmant. Thurificauit metu Diocletiani Imperatoris Marcellinus: quid nocuit Eccleſiæ, qui, vt diximus, mox pœnitentiam egit, & humilimè in concilio multorum Epiſcoporum peccatum deſleuit, & ab eis agnitus eſt, vt verus pontifex? & tandem à Diocletiano martyrio coronatus, fidem, quam negauerat, vſque ad mortem confeſſus eſt: & hunc ſanctiſſimum martyrem idololatram audet appellare Brentius. Liberius an Arrianis conſenſerit, an non, dubitant antiquiſſimæ hiſtoriæ: & ipſe Euſebius Cæſarienſis, & Theodoretus non ſatis conſonant. ſed eſto, conſenſerit Arrianis: certè, vt proximè dictum eſt, mox vt à catholicis hoc agnitum fuit, ab eius communione ſe ſeparârunt. Auguſtinus certè illis temporibus ſatis vicinus Liberium inter veros pontifices refert, ſicut & Marcellinum: & tandem, inquit, in hoc ordine epiſcoporum, qui à Petro computatur, etiam ſi traditor quiſpiam ſurrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus ait, de præpoſitis malis: Quæ dicunt, facite: quæ faciunt, facere nolite: vt certa ſpes fidelis, quæ non in homine, ſed in Domino collocata eſt, nunquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur. Quantò igitur ſatiùs Brentius ſtylum temperaſſet, & abſtinuiſſet à blaſphemando ſanctiſſimo martyre Marcellino: nec aſſeruiſſet, vt certum, quod de Liberio antiquitas incertum habuit: quum etiam ſi vtrunque verum eſſet, nihil fidei noſtræ detrahit. Duo ſunt in prolegomenis his reliqua contra hoc, quod agimus, nõ omittenda. In fine enim primi loci de poteſtate principum, ſic loquitur. Quod alligat nos ad Romanam Eccleſiam, tanquã primam, & matrem aliarum Eccleſiarum, atque prælatos eius: vetus eſt Romanenſium adulatorum cãtilena: vbi iam noſti, quos patres Romanenſes adulatores vocat: vt igitur hoc reij-

Epiſt. ad Generoſũ. 165.

reijciat, ad mores confugit. Quid, inquit, hoc tempore Roma ſit, alij diſſerant, temporibus Damaſi, qui per multas cædes, & ſeditiones electus eſt in pontificem, iam tum dicebatur purpurata meretrix, & Babylõ, ſed an intereà temporis melior facta ſit, res ipſa declarat, & talem, inquit, pro matre Eccleſiarum agnoſceremus, vnde doctrinam æternæ noſtræ ſalutis peteremus? Hæc ad eadem pertinent, quæ ſuprà diximus, & quidem Hieronymus, à Damaſo ipſo, & à Romana Eccleſia petunt doctrinam ſalutis, vt ſuprà oſtendimus: nec deterritus eſt cædibus, & ſeditione, quibus electus fuerat: nec prauis moribus, quos Brentius accuſat tunc fuiſſe. Igitur reſpondebo ego viciſſim Brentio: non agnoſces tu matrem quam Hieronymus? Non petes doctrinam ſalutis ab ea, à qua Hieronymus? ſed addit eodem loco, non adimimus ei omni ex parte matris nomen, ſi quando miſit ad alias regiones, aut vrbes pios viros, qui Euangelium Chriſti annunciarent: & filio Dei Eccleſiam ſuam congregarent: & fatetur priùs, quòd in initio Roma miſerit aliquoties miniſtros Eccleſiæ ad alias partes occidentis. Vbi aduerte, quòd hic blandiri Græcis ſe velle oſtendit, & hoc argumento ad orientalem Eccleſiam auctoritatem, & primatum transferre vult. Sit, inquit, Roma mater illarum Eccleſiarum, quibus miſit prædicatores, ad occidentales nempe aliquas. Cæterùm manent iam primò exemptæ orientales omnes: imò ad eas tranſferamus hanc auctoritatem, in quibus, priuſquàm Romæ, docuerunt Apoſtoli. ſed huic commento nos reſpondemus cum Irenæo, & Cypriano, cum Ambroſio, & Auguſtino, & cæteris omnibus patribus: Romam eſſe, ad quam omnem Eccleſiam oportet conuenire, matricem, & fontem vnde vnitas ſacerdotalis emanat: in qua ſola eſt cathedra Petri, & ſucceſſor eius: cui Dominus poſt reſurrectionem paſcendas oues commiſit. Hæc ſunt certiſſima patrum teſtimonia, non humana auctoritate, aut induſtria primatus Eccleſiæ Romanæ ceſſit: ſed inſtitutione Chriſti, qui vnũ eſſe caput voluit in Eccleſia. Sed quod vltimo in hoc loco inquit Brent. non eſt omittendum. Hieroſolymitanam Eccleſiam matrem vult eſſe, quoniã non extat, vt ita nũllam habeamus matrem.

Cap. 100. Quod falsè dẽ, & falsè Brẽtius Hie roſolymam matrem omniũ Eccleſiã rum faciat.

«Dauid, inquit, magnus auus Christi proponit nobis pro Eccle
«siarum matre Sionem, virgã virtutis tuæ emittet Dominus ex
«Sion. Et Esaias, atq; Micheas: de Sion exiuit lex. Et ipse Chri-
«stus, inquit, prædicandã in nomine eius remissionẽ peccatorũ,
«initio facto à Hierosolymis. Hãc igitur, inquit, nobis dant pro-
«phetæ, & Christus pro matre, cur ad Romã confugiemus: sed
«ad montem, inquit, illũ domus Domini, & ad eã doctrinã, qua
«Apostoli, accepto Hierosolymis Spiritu sancto, vulgauerũt in
totũ orbẽ, & literis Apostolicis noui Testamenti nobis tradita
est. In quibus verbis videtur mihi Brent. Iulianũ imp. imitatus,
qui vt auerteret à Christo populos, templũ Hierosolymis ędifi
cari voluit: verùm qui dixerat, Relinquetur filia Sion sicut vm
braculum in vinea, & tuguriũ in cucumerario, non permisit:
sed iudicio manifestissimo ostendit, collectum esse fructũ, quẽ
ex illo templo colligi voluerat Deus. Ita nunc Brentius in odi-
um Romanæ Ecclesiæ conatur nobis erigere Hierosolymita-
nam, quam reipsa constat iam diu à synceritate fidei defecisse,
vestigijs tantùm quibusdam relictis, ob fidem resurrectionis
Christi, quam, nunquam in Ecclesia desunt, qui profiteantur,
atque adorent, longa & periculosã susceptа peregrinatione.
Cæterùm nouit iam vniuersus Christianus orbis, quòd in
quamplurimas sectas, & schismata diuisi sint Christiani Hiero
solymis habitantes. Igitur sicut non passus est Deus tyran-
nidem Iuliani, qui contra verbum suum conabatur templum
vetus ædificare, prævalere: ita nec Brentij calumniam persua-
dere permittet fidelibus, Hierosolymitanam Ecclesiam, etiam
quũ staret, & floreret, Romanæ præferri: dixerat enim Deus Iu
dæorũ populo, & in eo maximè regali illi ciuitati, & capiti: fa-
ciam te in caudam, non in caput: & aduena, qui est apud te, erit
superior, & tu eris inferior, & vide Brentium, Scripturæ sa-
cræ dignitatis, auctoritatisque magnum propugnatorem,
qualiter exponat prophetarum promissa: verba hæc: Vir-
gam virtutis emittet Dominus ex Sion, dominare in medio
inimicorũ tuorũ. Dicit significare Ecclesiarũ matrẽ esse Hieru
salem: & idem Esaiæ & Micheæ verbis: de Sion exibit lex, &c.
Vbi, rogo, quis hic sensus est scripturæ? Cur enim ad Hierusalẽ terre-

terrestrem illud referemus, quod magis ad eam, cuius ipsa figu
ra est, referri oportet. Nam ciuitas Hierusalem, sedes Dauid, &
domus Iacob, satis nobis ostensum est in Euangelio ad Eccle-
siam referenda esse, cuius figura erant. Dabit, inquit angelus, Luc. 1.
illi Dominus (de Christo loquens) sedem Dauid patris eius, &
regnabit in domo Iacob in æternum. Ecce spirituale regnum,
& æternum regnum, non terrenum, & temporale: sed cuius nõ
erit finis. Non ergo in terrestri Hierusalem: sed in ea, de qua lo
quebatur propheta Esaias: Venite, inquiens, ascendamus ad Esa. 2.
montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias
suas: & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex: &
verbum Domini de Hierusalem. Hæc est vera Sion, & Hierusa
lem, sedes Dauid, in qua perpetuò regnat Christus. Hæc da-
tur nobis pro matre à prophetis, non terrena illa. Sentit qui-
dem hoc Brentius, cùm tandem inquit, ad doctrinã illam, quã
Apostoli accepto Hierosolymis Spiritu sancto vulgarunt, re-
currendum nobis esse: quanquã nec hoc sit satis. Nec enim tan
tùm doctrinam, sed & Ecclesiam etiã quærimus: certã illius se-
dem, & hanc per verba illa intelligimus. De Sion exibit lex, &
verbum Domini de Hierusalẽ. Hoc itaq; de Apostolorũ prædi
catione libenter suscipimus. Sed quid est, quod primò dicere
voluit? Dauid nobis Hierusalem & Sionem pro matre Ecclesia
rum dare. Esto de illa terrena ciuitate accipiamus verba illa:
Emittet Dominus ex Sion: & de Sion exibit lex: ortum quen-
dam, & initium (vt ille inquit) prædicationis Euangelij nobis
significant: inde incepit, inde egressa est à Christo, ab Aposto-
lis: deniq; à Iudæorũ populo, cuius filij erant: salus enim ex Iu-
dæis est, ita dicente Christo Samaritanæ. Inde igitur cœpit, sed Ioan. 4.
non ibi quieuit: non ibi sedem constituit: hoc nos nomine ma
tris intelligimus, Ecclesiã, in qua prima residet auctoritas: vbi
sedet successor eius, quẽ Christus loco sui præfecit omnibus:
vt perpetuò vsq; ad finem seculi locum eius visibiliter teneret.
In hãc sede, quæ propter vnitatem seruandam inter omnes Ec
clesias, & Episcopos, propter eandem fidem, & pacem prima
est, & suprema auctoritas, non in Hierusalem: vbi iam noui-
mus veram Ecclesiam defecisse; sed Romæ, cuius successio

tenebat Augustinum in fide: & ab omnibus catholicis patribus agnita fuit: hoc est matrem Ecclesiarum esse. Et vt huius Diuinæ prouidentiæ, miraculis etiam confirmatæ, mentionem faciamus: quantum hoc fidem nostram confirmare debet, quod cùm constet, Deum voluisse, & infirmitati nostræ conueniens esse, vt vnus agnoscatur visibilis, & manifestus, atque præsens corpore pastor totius Ecclesiæ: & hunc esse successorem Petri, Romanumque pontificem: videmus defecisse iam, aut omnes aut ferè omnes primas illas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & cæteras: & præualuisse in eas portas inferi, atque ab vnione se subtraxisse: stat tamen vsque in hodiernum diem Romana sedes, Romana Ecclesia, & habet successorem Petri in vniuerso orbe Christiano agnitum: quod nec imperatorum infidelium tyrannis, nec nimia prosperitas, & luxus, qui illam sequitur, & reliqua omnia mala, quæ non negamus Romæ fuisse, & esse, impedire potuerunt: nec certè innumeræ clades, & vastationes, & Italiæ, & ipsius vrbis. semper enim mansit in Ecclesia illa integra fides, & certa successio. Quanquam vitio hominum ad tempus nonnunquam obscurata, Deo id ad manifestationem potentiæ suæ permittente. Quare nec dubitamus vsque ad finem hanc ipsam permansuram. Nec enim fortiores machinæ Sathanæ, & acriores expugnationes excogitari possunt contra hanc, quàm quas iam præcessisse nouimus: etsi fortiores poterunt excogitari, fortior est in immensum, qui illam defendit. Non hic quicquam agimus de loco, de dominio temporali, & splendore illius Ecclesiæ, sed de fide vera, de successore Petri. hæc à Christo promissa sunt Petro, & vsque hodie seruata, nec dubitamus seruanda vsque in finem. Sed vltimò iam audiamus acerbiores B. criminationes in Romanum pontificem. Ita igitur loco de traditionibus inquit. In Cõcilio Aphricano petunt legati Romani pontificis, vt liceat Episcopis Romam prouocare, & proferunt canonem Nicæni Concilij, cuius auctoritate exigunt, vt Aphricanæ Ecclesiæ subijciantur Romanæ: sed patres Aphricani Concilij petunt ab Ecclesia Alexandrina, & Constantinopolitana vera exemplaria

Cap. 101. Dei prouidẽtia seruatam successionẽ, in sede Petri ostendit defectus aliarũ primarũ Ecclesiarum.

Cap. 102. Criminatio Brentij grauissima in Romanum Pontificem, & auctoritatem eius, cui respondetur.

ria Canonum Nicæni Concilij: & deprehendunt Romanum pontificem ambitione excitatum designasse in proferendis canonibus Nicænis crimen falsi: quare inuehuntur in eum grauissimè, & arguunt eum apertè mendacij. Hæc Brentius eo loco: & citat verba ipsa ex epistola quadam Concilij Aphricani ad Bonifacium de causa hac, quæ cœperat in sexto Concilio Carthaginensi agi, & ita demum hoc exaggerat Brentius, vt rursum hìc dicat: si Romani pontifices, & Legati eorum non sunt veriti coram venerando Concilio Aphricano, cui etiam Augustinus interfuit, crimen falsi committere: & quamuis manifestè in eo crimine deprehensi erant, perstiterunt tamen, vt acta testantur, postulata sua vrgere: suspecta nobis esse debent omnia alia, quæ de Apostolicis traditionibus, & primatu Romanæ Ecclesiæ suo ipsorum testimonio confirmant. Et rursum ibidem: cùm in Romanis pontificibus deprehensum sit, manifestum crimen falsi, summa est temeritas, traditiones, & dogmata de æterna nostra salute sine testimonio scripturæ agnoscere. Hæc sunt nimiùm certè amarulentæ criminationes Brentij in Romanum Pontificem, quas vsque adeò extulit, vt nec rhetorices figuram omiserit, qua quod de vno Romano pontifice dixerat, pluraliter postea protulerit: nec semel in Romanis, inquiens, pontificibus crimen falsi manifestum deprehensum esse, & præter colorem omnem rhetoricũ suspecta, ait, nobis esse debent omnia alia, quæ suo testimonio affirmat de Apostolicis traditionib. & primatu Romanæ Ecclesiæ: atq; ita omnes pontifices, & omnia eorum testimonia suspecta vult esse. Quia igitur res grauis est, & meritò mouere potest legentes: cùm maximè vix credibile sit Brentium crimen falsi commitere voluisse, quod reprehendit in Romano pontifice Bonifacio: & cuius facilè conuinci poterat, si ita fecisset: quia itaq; res grauis est, & summa amarulentia excogitata à Brentio respondendum est attentè, & excipiendum, quòd dicimus in omni sinceritate, & charitate Christiana, nec sine magno cordis dolore, quòd hæc audiamus, & quòd hæc liceat edere in lucẽ, & venditare pro rebus ad æternam nostrã salutẽ pertinentibus, Deo propter peccata nostra permittẽte,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt impunè liceat ſummam iniuriam ſummis Eccleſiæ membris inferre: & quod leges omnes humanæ, atque Diuinæ non ferunt in rebus minimis, in re maxima fieri: & priuari iure ſuo, quod pacificè poſſidet vicarius Chriſti, à quouis, & cuiuſuis conditionis homine: & quod maximè dolendum eſt, cum tot milium animarum iactura. Sed iam ad rem quàm breuiſſimè fieri poterit. Aguntur enim duo: Primum, quòd Aphricani epiſcopi, & inter eos Auguſtinus Romanæ Eccleſiæ primatũ nolint agnoſcere: atque ideo nec à nobis agnoſcendus ſit vel tantorum, tam grauium epiſcoporum auctoritate. Alterum verò, quòd Bonifacius, & legati eius de crimine falſi coniuncti fuerint, in grauem certè, & perpetuam infamiam, non ſolùm eius, ſed ſuæ ſedis: ita, vt auctore Brentio, omnia teſtimonia eius ſuſpecta ſint habenda.

Cap. 103. Auctoritas Romani Pontificis oſtenditur cognita ab Aphricanis Eccleſijs, in ſexto Concilio Carthaginẽſi, & ante, & poſt.

De primatu igitur Romanæ Eccleſiæ ſuperiùs ſatis oſtendimus, quid Auguſtinus ſentiat, quem, Brentius dicit, Concilio illi Aphricano adfuiſſe: fatetur pontifices illius, ſucceſſores eſſe Petri, cui poſt reſurrectionem Dominus paſcendas oues commiſit: & Eccleſiam illam alijs ſuperiorem. Sed quod ad hanc cauſam attinet, audiamus quid ad ipſum Bonifacium, quem dicit Brentius conuictum apertè crimine falſi, ſcribat Auguſtinus. Ita igitur inquit libro primo contra duas epiſtolas Pelagianorum ad ipſum Bonifacium: Noueram te quidem fama celeberrima prædicante, atque veraciſſimis nuncijs, quanta eſſes Dei gratia plenus: acceperam beatiſſime, atque venerande Papa Bonifaci, ſed poſtea quam te etiam præſentia corporali frater meus vidit Alexius, &c. tantò maior in me tuæ ſanctitatis eſt facta notitia: quantò certior amicitia: nec enim dedignaris, qui non alta ſapis, quãuis altiùs præſideas, eſſe amicus humilium, & amorem rependere impenſum. Videſ itaque quis Bonifacius fuerit teſte Auguſtino: & quod ad cauſam attinet, vides, quia fatetur illum altiùs præſidere: & ne hoc in diuerſum ſenſum trahatur, ita poſt pauca eodem loco inquit: cùm non deſinant hæretici fremere ad Dominici gregis caulas: atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oues aditus vndecunque rimari: communiſque ſit omnibus nobis cura, qui fungimur epiſcopatus officio,

cio, quamuis ipſe in eo præmineas, celſiori faſtigio ſpeculæ paſtoralis. Hæc Aug. ad Bonifacium, quod licet in noſtra catholica aſſertione adduximus: ideo hoc loco cenſuimus repetendũ, vt eorundem temporum apertius Auguſtini teſtimonium haberemus: ſimiliter epiſtolæ Concilij Aphricani, ad Innocentiũ, & familiares quinque epiſcoporum, inter quos Auguſtinus fuit, ad eundem, de quibus eodem loco mentionem fecimus, quid Aphricani ſenſerint de hoc primatu, ſatis oſtendunt. Inquit Concilium Aphricanum: Hoc itaque geſtum, domine frater, ſanctitati charitatis tuæ duximus intimandum, vt ſtatutis noſtrę mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda ſalute multorum: & in familiari epiſtola eidẽ Innocentio dicunt de Pelagio, quem fama erat purgatum fuiſſe in oriente, aut ergo à tua veneratione accerſendus eſt Romã aut per literas cum eo agendum, &c. Hoc quidem dicebant, quò iudicium illud cum eo priùs factum, aut probaretur à Romano pontifice, aut reijceretur: vt videas quam auctoritatem illi tribuant. Et reſpondet illis pontifex: Nobis perſuaderi non poteſt, eum eſſe purgatum, neque aliquas de hac re literas accepimus. Reliqua ibi lege. In quibas Innocentius ab Aphricanis ſibi delatum hoc iudicium agnoſcit, nec detrectat, quamuis non illum vocandum ad ſe putet: qui, inquit, ſi confidit non ſe dignum eſſe damnatione, ipſe potiùs debet feſtinare, vt poſſit abſolui: quòd ſi accerſendus eſſet, ab his meliùs fieret, qui magis proximi ſunt: ſed non deerit, inquit, cura, ſi medicinæ ille præbeat materiam. Hæc adduximus, vt exemplo conſtet, quantum detulerint ſedi Apoſtolicæ Aphricani epiſcopi tempore Auguſtini, & quòd pontifices ipſi Romani nulla ambitione, nulla celſioris gradus faſtu elati ſint, quærentes tantùm Eccleſiæ, & animarum ſalutem, minus etiam poteſtatis, & iuriſdictionis, quàm ſibi deferetur ſuſcipientes. Innocentius hoc loco non recipit, vt ad ſe accerſitum Pelagiũ examinet: ſed perviciniores, inquit, meliùs fieri poſſe. Iã ad cauſam illã Brẽtij. Petiuit, inquit, in Concilio Aphricano legati Romani pontificis, vt liceat epiſcopis Romã prouocare, & proferunt canonẽ Nicæni Concilij. Verum eſt non tantùm à Bonifacio, ſed primũ à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Zozimo eius præcessore missi sunt legati in Aphricam de ea causa acturi, vt sexto Concilio Carthaginensi patet: sed, cùm il le vnum annum tantùm, & paucos dies sedisset, successit Bonifacius, ad quem ex eo Concilio scriptum est ab Aphricanis: se quidem in canonibus, quos habere poterant, Nicæni concilij non reperisse statutum: vt ad Apostolicam sedem appellari liceret, vt à suis legatis proferebatur: velle tamen se id seruare, quod petebatur: quoadusque authentica, & veriora exemplaria, Nicæni concilij habere possent: quandoquidem diuersitas erat inter ea exemplaria, quæ ab Apostolica sede proferebantur, & quæ in Aphrica inueniri poterant, quæ vt haberentur authentica, & ipsi ad Ecclesiarũ Græcarum antistites, Constantinopolitanum, Antiochenum & Alexandrinum se nuncios mittere profitentur: & petunt, vt & à Bonifacio mittantur hæc omnia: constant ex sexto illo concilio Carthaginensi, & epistola, quæ post Concilium Aphricanum, quod sequitur, septimum Carthaginense posita est: idque factum esse in eodẽ sexto Carthaginensi concilio constat, consentientibus Apostolicæ sedis legatis: vt scilicet authentica exemplaria quærerentur: Sic habes quinto capite eius concilij: Faustinus Episcopus legatus Ecclesiæ Romanæ dixit: Nec sanctitas vestra præiudicat Ecclesiæ Romanę, siue de hoc capitulo, siue de alijs, quia dicere dignatus est, frater noster, & coepiscopus Alypius, dubios esse canones: sed hæc ipsa ad sanctum, & beatissimum papam nostrum scribere dignemini: vt ipse integros canones inquirens, cum sanctitate vestra de omnibus constitutis tractare possit, &c. ne contentio in Ecclesijs nasci videatur: sed magis charitate fraterna deliberare possitis. Vide igitur in his omnibus, quàm longè erant legati Ecclesiæ Romanę à tanto crimine, corrumpendi scilicet Nicæni concilij canones: imò vide quanta modestia omnia agebant, cùm enim suspecti sui canones, quos proferebant, ingenuè ab episcopis dicerentur: Non, inquiunt illi, præiudicat sanctitas vestra Ecclesiæ Romanæ: & petiuit vt id tantùm scribatur pontifici, & præcipuè cauent, ne contentio oriatur inter Ecclesias: sed de omnibus charitate fraterna deliberetur. Quàm longè hæc omnia à crimine falsi intẽ

tando.

tando. Vbi iam hoc est attentè cogitandum, non in eo Concilio de auctoritate capitis actum fuisse inter Romanam, & Aphricanas Ecclesias, quam iam inde à Cypriani tempore, vt suprà ostendimus, & anteà agnoscebant Romanæ Ecclesiæ conuenire: & tunc manifestè tempore Augustini ad Innocentium scribentes confessæ sunt: sed de vsu, atque exercitio potestatis huius, qua in re magna integritas Episcoporum omniũ, & magna modestia Romanorum pontificum meritò nobis est considerandа: cùm apud omnes æqualitas quædam, & libertas veræ Christianæ charitatis ita vigeret, vt superiores per humilitatem inferioribus se subderent: & inferiores conscientiæ securitate, & solius Dei vero timore, libertate quadam sincerissima cum superioribus agerent. Itaque illud Euangelij ab omnibus audiebatur: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur: vos autem nõ sic, sed qui maior est in vobis, fiet sicut minor, & qui præcessor sicut ministrator. Et rursum: Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: atque ita in humilitate spiritus superiores se inuicem arbitrantes, & cogitantes Romani pontifices potestatem sibi traditam in ædificationem, non in destructionem esse, non ea à principio passim vtebantur: sed cùm id saluti Ecclesię expediret. Nec tam soliciti erant, vt sua auctoritate res fieri videretur, quàm vt fieret quod Ecclesiæ expediebat. Multa possemus huius rei adducere exempla: cùm & in conuocandis concilijs imperatoribus omnem deferebant auctoritatem, inferiores se illis, & tanquam seruos exhibentes, vt scilicet ita eos lucrarentur Christo, & interim cùm opus erat, & Ecclesiastica seueritas posceret, & Ambrosius Theodosium ad publicam pœnitentiam cogit, cùm priùs interdixisset illum ingressu Ecclesiæ: &, quod admirandum magis est, inter ipsas ferè persecutiones, & summas Ecclesię angustias Fabianus Philippum, vnum inter omnes illorum temporum imperatores Christianum, non permittit in solennitate paschali sacrificijs communicare fidelium: nisi priùs confiteretur peccata, & inter pœnitentes staret in Ecclesia: vt videas quanta humilitas tantę auctori-

Cap. 104. Diserimẽ auctoritatis, et potestatis põtificis Romani, & vsus eius.

Lucæ 22.

Matth. 20.

Lib. 9. histo. trip. cap. 30.

Lib. 6. histo. Euseb. ca. 25.

ctoritati coniuncta fuerit in illis. Ad eam etiam humilitatem pertinet, quod & ipsis imperatoribus parebant: & de ordinatione sua decretum eorum suscipiebant. Bonifacius ipse, cuius Brentius meminit, electus in schismate cum Eulalio Augustorum iussu egreditur Romam: & confirmatus iam Bonifacius concilio ducentorũ, & eo amplius, Episcoporũ eorundem Imperatorum auctoritate obtinet: vt, si duo Romæ electi fuerint, nullus admittatur. Itaque quærebant, quod vtile erat Ecclesijs de sua auctoritate parum soliciti: quæ certè sola est verissima ratio eam stabiliendi: cùm scilicet propter gloriam, & salutem animarum videtur negligi. Lege epistolas plurimas Gregorij ad Imperatores, & Leonis papæ: vide quàm obliti suæ auctoritatis loquuntur, & si illius antiquitatis alia videre placet, lege epistolam Agatonis papæ Constantino, Heraclio, & Tiberio Augustis Cõcilio Romano directa, quæ est actione quarta sextæ synodi. Nos, inquiunt, exigui Ecclesiarum præsules, vestri Christiani imperij famuli. Non est opus plura prosequi. Hoc sit satis. Illorum temporum simplicitas à prima illa Apostolorum Ecclesia deriuata ea erat, vt quiduis posset inferior apud superiorem prosequi, loqui, & agere: sed in vera, & Christiana subiectione: & nihil humilitatis superior detrectaret apud inferiorem: modò in fraterna charitate, & sancta pace coleretur Deus, & salus animarum promoueretur. Igitur iuxta hãc modestissimam rationem fatemur Romanos pontifices in vsu, atque exercitio tantæ potestatis sibi à Deo concessæ passos fuisse præscribi sibi à patribus modum, quem paci Ecclesiæ, & saluti iudicarent conuenire: vt scilicet præceptum illud primi sui prædecessoris, primique vicarij Christi seruarent: non quasi dominantes in cleris, sed forma facta gregis ex animo, hoc agnouerunt Christum ab eis exigisse, & verbis, & exemplis. Ego, inquit, non veni ministrari sed ministrare. Propter quod etiam Paulus saluberrimè admonuit: debemus nos, inquiens, firmiorum imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Etenim Christus, non sibi placuit. Sic in concilio Nicæno aliquid statutum est, & habemus in paucis illis capitulis, quæ nobis sunt reliqua sextum caput, in quo de cõsuetudine, qua Romanus

Cap. 105. In vsu potestatis præscriptum esse ab alijs patribus & consuetudine Romano pontifici.

1. Pet. 5.
Rom. 15.

manus episcopus curam habebat vicinarum Ecclesiarum, vt minimum fit mentio, & ibi, atque sequenti capite de Hierosolymitanæ, atque Antiochenæ auctoritate agitur: & vt cuilibet Ecclesiæ, sua seruentur priuilegia, statuitur. Vbi vides iam tunc vix trecentis annis à Christo, & consuetudines, & iura, atque priuilegia introducta fuisse circa vsum iurisdictionis, & potestatis inter Ecclesias. Ibidem etiam cap. 5. canetur, ne excommunicati in vna prouincia in alijs recipiantur. Et Zozimus ipse, quem diximus, primùm legatos misisse in Aphricam de hac causa appellationis episcoporum ad Romanam Ecclesiam, sic inquit, In decreto apud Gratianum contra statuta patrum condere aliquid, vel mutare, ne huius quidem sedis potest auctoritas: apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas: cui decreta patrum sanxêre reuerentiam. Nihil ergo contra primatum Romanæ Ecclesiæ est, quod hoc, aut illud quandoque illi non fuerit permissum. Certè Cyprianus ipse, cuius tam aperta testimonia huius primatus vidimus, in ea ipsa epistola ad Cornelium postquam Romanam Ecclesiam cathedram Petri, atque principalem Ecclesiam, vnde vnitas sacerdotalis exorta est dixit: quod citauimus suprà, & ostẽdimus quid significet: mox post illa verba sic loquitur Cornelio: Cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter, ac iustum: vt vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum: & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisq; & gubernet, rationem sui actus domino redditurus: oportet vtique eos, quibus præsumus, non circumcursare: nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collidere. Loquitur ibi multa Cornelio etiam nonnihil subiratus, sed modestissimè, atque sanctissimè: nolens permittere, vt à se excommunicatos audiret Romanus pontifex. quę omnia satis ostendunt, & ista, & multa alia, quæ ab aduersarijs adferuntur, non esse contra auctoritatem illam primatus, quam Christus concessit Petro, & successoribus: quę magis pertinent ad modum rationemque illa vtendi, in qua viribus, consuetudinibus, patrumque decretis iustissimè Romani pontifices parent, seruata sibi in omnibus auctoritate dispensandi, vt Paulus inquit,

pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Cor. 2. propter vos in persona Christi, hoc est in Ecclesiæ vtilitatem, & gloriam Christi. In qua re id maximè in prima illa Ecclesiæ integritate cautum videmus: ne vlla vel species secularis fastus, aut terroris tyrannici in Ecclesia locum haberet. Extant huius rei Cypriani verba dignissima, quæ Augustinus meritò in exemplum concordiæ, & modestiæ in Ecclesia proponit. Nec enim, inquit Cyprianus in Concilio, quisquam nostrûm episcopum se esse episcoporum constituit: aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit: quando habent omnes episcopi pro licentia libertatis, & potestatis suę proprium arbitrium, tanquam iudicari ab alio non possent, quomodo nec quis potest alterum iudicare: sed expectemus vniuersi iudicium domini Iesu Christi, qui vnus est, solus habens potestatẽ præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. Hęc cum summa modestia loquebatur Cyprianus in concilio, superior ipse cæteris omnibus, libertatem omnibus non tam tribuens, quàm excitans ad loquendum liberè, quod sentirent de baptizatis ab hęreticis. quæ sanè verba modestè, sicut dicta sunt, accepta ostendunt in dubijs fidei, & Sacramentorum, rebus nondum exploratis, nullum quantumuis gradum superiorem suam propriam sententiam alijs debere obtrudere: quousque, vt Augustinus eo libro loquitur, vniuersę Ecclesiæ concordi auctoritate, rebus bene discussis firmata sit veritas: de quo etiam memorabile illud Cypriani verbum in epistola ad Quintum Aug. meritò eodem loco commendat. Nam nec Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam: cùm secum Paulus de circuncisione disceptaret, postmodum vendicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit: vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris sibi deberi. Hæc Cyprianus. In quibus vide iam, rogo, attentè id, quod hic agimus, à Cypriano apertissimè ostendi? primatum habet Petrus, habent eius successores, de Petro hoc loco manifestè id dicit, vt suprà ostendimus, & de successoribus ostensum est, quid ille sentiat. Non igitur inquit hoc loco, quòd Petrus non verè diceret, se primatum tenere: quin potiùs fatetur, id verum esse:

In Concilio Carthagin. 2. li. de Bap. cont. Dona. cap. 2.

cap. 1.

esse: sed laudat illum modestiæ, quòd nihil arroganter dixerit, nec despexit (inquit statim) Paulum, quòd Ecclesiæ persecutor fuisset: sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus attulerat, facilè consensit: Documentum scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens: vt non pertinaciter nostra amemus: sed quæ aliquando à fratribus, & collegis nostris vtiliter, & salubriter suggeruntur, si sint vera, & legitima ipsa potiùs nostra ducamus. Hęc omnia Cyprianus illo loco: ex quibus constat primatum quidem esse in Ecclesia, & in Petro: non tamen infallibilem circa gubernandi rationem, &, qui nunquam errare possit, sensum. Quare modestissimè is cui Deus primatum dedit, & audire alios, & sequi meritò debet. Quod Cyprianus docet ex ipso Petro: & agit ipse in suo Concilio: & à Cornelio petit, vt pariter & ipse agat. Hoc igitur constituto, ea scilicet, quæcunque sunt à Brentio ex illo Aphricano concilio adducta, nullo modo esse contra primatum Romanæ Ecclesiæ. Intueamur iã an crimen falsi, aut quouis aliud, vnde Romanæ Ecclesię testimonia suspecta esse debeant, quod Brentius agit, ex eis probetur. Ait igitur ille: Patres Aphricani concilij petunt ab Ecclesia Alexandrina, & Cõstãtinopolitana vera exemplaria canonũ Niceni concilij. Verũ est, petunt ea, id etiam volentibus legatis Romani pontificis, ‘‘ sequitur Brentius: & deprehendunt Romanum pontificem am‘‘ bitione excitatum designasse in proferendis canonibus Nicæ-‘‘ nis crimen falsi. quare inuehuntur in eum grauissimè & arguũt ‘‘ eum apertè mendacij. Hęc ille. vbi illum in primis rogo, patien-‘‘ ter ferat, si ipsum falsitatis apertè redarguam: non enim dico mendacij, neque criminis falsi: quod ille Romano pontifici tribuit: sed falsitatis duntaxat illum arguo, quantę autem culpę, quantique peccati id sit, Deo relinquo, & omnibus, qui volunt sine affectu iudicare. Certè huius rei non habemus certiora testimonia, quàm ipsas epistolas Aphricani Cõcilij. inde scribunt alij, quòd pro suo affectu fortè colligunt, sicut nunc Brentius: sed nos inquiramus ex illis veritatem. Quis pontifex Romanus ambitione excitatus admisit crimen falsi in canonibus Nicæni Concilij? quem pontificem Aphricani patres arguunt aper-

Cap. 106. Ex testimonio Aphricanorũ conciliorũ probatur nullum crimen falsi cõmen tum esse Romanum pontificem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

apertè mendacij? Prima epistola Aphricani Concilij ad Bonifacium scribitur,& sic aiunt: Quoniam Domino placuit,vt de his quæ egerunt nobiscum fratres nostri, coepiscopus Faustinus,& conpresbyteri Philippus,& Asellus, vt non beatæ memoriæ episcopo Zozimo(à quo ad nos mandata, & literas tulerunt)sed tuæ venerationi,qui in eius locum es diuinitus constitutus humilitas nostra subscriberet, ea breuiter insinuare debemus, quæ vtrorumque concordia determinata sunt: & deinde: quatuor, aiunt, nobiscum agenda mandata sunt eis, quorum vnum de appellationibus episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem fuisse referunt:omittamus reliqua.Et tandem de hoc respondent vt superiùs diximus: se id seruaturos, nisi aliter habeant canones Nicæni Concilij. Quamuis enim, inquiunt,plurimos codices legeramus: sed nusquam in Nicæno Cõcilio in Latinis codicibus legimus,quemadmodũ in supradicto cõmentario inde directa sunt: vnde tandem mittũt ad Ecclesias orientales, & hæc est sexti Carthaginẽsis Cõcilij conclusio. Vbi primò vide Zozimum legatos misisse, & per eos in suo, vt vocant monitorio, illos canones Nicæni Concilij: & mortuus est Zozimus antequam quicquam rescripsissent patres Aphricani,antequam in orientales Ecclesias misissent: atque ita re adhuc illa de canonibus Nicæni Concilij dubia, vnde ea non ad illum,sed ad successorem Bonifacium scribũt. Zozimus igitur vnius non est conuictus criminis falsi, neque quòd ambitione excitatus fuerit,vt Brentius dicit.nec arguũt cum apertè mendacij,vt ipse manifestiùs falsè dicit,quippe qui iam mortuus erat, priusquam vllas literas scriberent Aphricani:nec ipsæ literæ vllum verbum cõtinent, quo id significetur, nec poterant quidem, quandoquidem adhuc res, vt his literis fatentur,dubia apud eos erat: Non arguunt igitur Zozimum vllius criminis,non Bonifacium, qui nihil egerat. Subindicant quidem modestissimè Bonifacio, ne aliquid imponatur Ecclesijs Aphricanis, quod non in concilio Nicæno sit constitutũ. Itaque dicunt: credimus, adiuuante misericordia Dei tua sanctitate Ecclesiæ Romanæ præsidente,non sumus iam istum typum passuri: sed seruabuntur erga nos ea, quæ custodiri debeant

beant cũm fraterna charitate,quæ secundum sapientiam, atq; iustitiam,quam tibi donauit altissimus etiã ipse prospicis esse seruanda,si fortè aliter se habeant canones Cõcilij Nicæni. Vides itaq; liberam quandã,sed plenã modestiæ querelã,& petitionem humilem.Fatẽtur enim se aliqua coactos toleraſſe: vel intolerabilia passos,quæ commemorare,aiunt,nolumus: Hæc pertinent ad libertatẽ, quam diximus: sed nihil in eis criminis falsi.Audiamus iam quæ sequuntur,recipiũt ab oriẽtalibus Ecclesijs exemplaria Concilij Nicæni, quantum videtur illa duntaxat capita,quæ nos habemus continentia: & viuente adhuc Bonifacio aduertunt,non ea contineri,quæ à Romana Ecclesia missa fuerant:idque significant Bonifacio,cuius rei testimoniũ habemus in altera epistola nõ ad Bonifaciũ, sed ad Cælestinũ successorẽ eius scripta:& ingenuè fatentur,quia illud,quod pridem per eundem coëpiscopum nostrũ Faustinũ, tanquã ex parte Nicæni Cõcilij exinde transmissistis,in exẽplaribus verorib.Cõcilij Nicæni à sancto Cyrillo Alexandrinæ Ecclesiæ episcopo,& à venerabili Attico Cõstantinopolitano antistite trãsmissis,ex authentico: quæ etiã ante hoc venerabilis memoriæ Bonifacio episcopo prædecessore vestro à nobis transmissa sunt:in quibus tale aliquid nõ potuimus reperire.Hęc ad Cęlestinũ scribunt.Ex qua etiã epistola patet, per eosdem legatos, eadẽ capitula Nicæni Cõcilij Cælestinũ rursum misisse:sed nec vllũ verbũ est in his omnib. de crimine falsi,nec vlla cõiectura, vnde id colligi possit.Nũquid tres põtifices Zozimus, Bonifacius,& Cælestinus cõtinuè sibi succedẽtes, cũ quibus hæc causa acta est,ambitione excitati falsarũt exẽplaria Nicęni Cõcilij: aut hoc credi potest? certè nihil de hoc loquuntur Aphricani, nec verbũ in eis est de mẽdacio,vel crimine falsi:nec ex monumẽtis illius temporis aliud colligi potest: meritò igitur dicam ego,falsum dixisse Brentium.cũm dicit, quòd Aphricani arguunt pontificem apertè mendacij,ignorantia, an affectu, an vtroq; potiùs, ipse viderit:ego, quod dicit,video esse falsum. Habet hæc secunda epistola Aphricani concilij,quæ est ad Cælestinum, nonnihil querelæ de Faustino legato Apostolicæ sedis præcipuè.Nam primum,inquiunt, quantum obstiterit om

ni congregationi diuersas iniurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens priuilegia. Hæc de legato suo dicunt pontifici: & quòd in causa Apiarij magis suscepit patrociniũ, quàm iudicium, & defensionem, quàm disceptationem: sed de ipso etiam pontifice conqueruntur, & satis apertè, quàmuis modestè: & humiliter illum arguunt in causa illa Apiarij, quòd scilicet nimium festinauerit in restituendo eum cõmunioni: quòd facilè credidit illum ad se appellasse, quod probare, inquiunt, non potuit. sed hæc quàm longè sunt à crimine falsi, vel pontifici, vel legatis inurẽdo? Habet etiam hæc epistola plurima syncerissimæ certè libertatis: præfato itaq; (inquiunt) debitæ salutationis officio, impendio deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis: neque à nobis excommunicatos in cõmunionem vltrà velitis accipere: quia hoc etiam Nicæno Cõcilio definitum facilè aduertit venerabilitas vestra. Nam si de inferioribus clericis, vel laicis videtur ibi præcaueri: quantò magis de Episcopis hoc voluit obseruari? Deinde aiunt presbyterorum quoque, & sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est repellat, sanctitas tua: quia nulla patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Aphricanæ. Et post multa de eadem re. Nam vt aliqui aiunt, tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus patrum synodo constitutum. Executores etiam clericos vestros, quibuscunque petentibus, nolite mittere: nolite concedere ne fumosum typum seculi in Ecclesia Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem videre cupientibus præfert, videamur inducere. Quæ ex illa epistola ideo hoc loco adduximus, vt quanta tunc fuerit libertas in Ecclesia ostendatur, & quanta modestia in pontificibus, quod an tempore Augustini scriptũ sit, non satis nobis constat. id duntaxat hinc habemus, quòd in tanta libertate, nihil quod sapiat crimen falsi audimus. cùm tamen Brentius dicat, quòd pontificem apertè arguunt huius criminis. Sed inquiet Brentius, Aphricani dicunt, non inueniri in authenticis exemplaribus, quod pontifex scripserat: reijciunt illud, & amplectuntur Græca exemplaria: hoc non est arguere criminis falsi: imò inde quàm maximè ego te arguo Brenti,

Brenti, quòd hoc tu in peiorem partem tam sinistrè interpreteris: tu inquam, aut quisquis ille est, vnde id desumpsisti, cogitare debuistis, potuisse pontificem bona fide, quos putabat Nicænos canones protulisse: quoniam sic ad manus eius venerant. quod non est difficile contigisse, etiam nullo ex intẽtione hoc agente, vt corrumperet scripturam. Quot huiusmodi diuersitates inuenimus ex inscitia, aut incuria scriptorum in ipsis sacris literis? in numero annorum primæ illius ætatis mundi, in ipsis prophetarum verbis. inter Hebraicã originem, & translationem septuaginta. Quid ergo mirum, si quod alterius Concilij proximum erat, Concilio Nicæno inter scribendum affixum fuerit: ita vt ratione aliqua eiusdem creditum fuerit: quod multis modis fieri potuit: & postea ab alio eodem modo transscriptum, & sic demùm lectum, & creditum. Quis vnquam eum, qui falsum etiam instrumentum in iudicio profert, dicet conuictum esse criminis falsi, eo quòd instrumentum conuictum sit falsitatis? potest enim bona fide protulisse, quod hic Brentius agit, tam certò, tam constanter, vt ter etiam id repetat: vt lectores bene aduertant rem tam indignam: sed, si de re ipsa agitur, quanquam non magnopere ad nos pertineat, qui tantùm primatum asserimus, cui non solùm nihil repugnat limitatio quædam, & moderatio vsus illius, ad quam hoc pertinet, sed conducit potius: Tamen vt de hoc etiam dicamus: multò nobis probabiliùs est, veriora fuisse exemplaria Romanæ sedis: quod ita patet.

Cap. 107. Exẽplaria Nicæni Cõcilij à Romana sede prolata veriora fuisse probabiliter ostenditur.

Primò ex his, quæ superiùs attulimus ex Athanasij epistolis, atq; Aegyptiorum ad Marcũ, Iulium, & Felicem, & duabus epistolis Iulij, ad Orientales, & altera Felicis, atq; ex Cassiodoro, & Theodoreto, & historia tripartita satis constat: & quòd agnita fuerit, & quantum fidei etiam paci Ecclesiæ tunc contulerit superioritas ista Romanæ sedis, & facultas ad illam appellandi, qua tunc vsus est Athanasius sanctissimus, & constantissimus veritatis assertor: imò constat iam tum hoc habuisse Ecclesiasticam regulam. Ita inquit Cassiodorus: Iulius sequens Ecclesiasticam legem, & ipsos (de calumniatoribus Athanasij loquens) Romam venire præcepit: & venerabilem

Athanasium ad iudicium regulariter euocauit. Non est opus de hac re plura referre. Constat Romani pontificis auctoritate restitutum Athanasium sedi Alexandrinæ, à qua fuerat ab hæreticis eiectus, idque imperatore etiam consentiente, fuisse à catholicis omnibus Episcopis agnitum, vt legitimum: scribit Iulius in epistola sua hoc etiam cautum esse in Nicæno Concilio, & aliquot canones citat triginta scilicet, & sex eiusdem concilij: inter quos illi ipsi sunt, quos in Aphricano Concilio legati pontificis proferebant: & hoc scribit Iulius, viuente Athanasio, & non dubium quin multis alijs, qui Concilio Nicæno interfuerant, cùm recens esset eius memoria: quomodo ergo tunc posset corrumpere, & crimen falsi admittere in canonibus Nicænis, quũ multi supersessent testes, quibus conuinci possit falsitas? accedit quòd ad ipsos orientales hæc scribit, apud quos concilium celebratum fuerat, quique quantũ poterat, resistebãt Iulio, & Athanasio. Præterea Athanasius 70. capitula fuisse Nicæni Cõcilij asserit, quæ (inquit) decreto omniũ Episcoporũ attuli, & corã omnib. recitaui, atq; transcripsi: quæ conqueritur ab hæreticis cõbusta esse, vt suprà diximus: atque ideo ab Ecclesia Romana eosdẽ canones sibi mitti petit. Ex quibus omnibus satis ostenditur nullo crimine falsi, imò nulla falsitate, sed integerrimè canones illo Romæ seruatos, & post centũ fermè annos prolatos in Concilio Carthaginẽsi: quibus cùm illi nõ adhibuissent fidẽ, recipiunt ab Ecclesia Constantinopolitana, & Alexandrina quantum videtur, non plures Canones quàm nos habemus, viginti & vnum duntaxat. Itaque meritò credere possumus integra omnia fraude hæreticorum in Ecclesijs orientalibus perijsse, etiam si per Marcum pontificem fuissent transmissa. Vbi ego magis video modestiam magnam Bonifacij, & Romanæ Ecclesiæ, quòd Aphricanis negantibus veritatem exemplarium Romanæ Ecclesiæ, non duriùs, & obstinatiùs restiterint: nec turbauerint propterea pacem Ecclesiæ, propter rem videlicet non tam fidei, quàm cuiusdam consuetudinis, quæ pro diuersitate temporum solet diuersa esse, & reuera de hac crediderim ego ab initio Ecclesiæ magis consuetum fuisse, vt omnia agerentur ab Episcopis, atque metropolitanis: quod Cyprianus in epistola

stola ad Cornelium dicit apertè, & in Aphrica id fortè seruatum fuit vsque ad Concilium istud sextum Carthaginense: quia fortè non occurrerat necessitas vlla, ob quam fuisset confugiendum à catholicis episcopis ad Romanam Ecclesiam post priora illa tempora Cypriano vicina. Certè valde consonum veritati videtur, quòd in Concilio Nicæno, quando, pace data Ecclesijs, licitum fuit maturiùs, & quietiùs de statu Ecclesiarum cogitare, & fontem ipsum institutionis Christi expendere, statutum fuerit: vt ad Romanam Ecclesiam licitum esset confugere Episcopis: sicut de non conuocandis Concilijs sine eius auctoritate: nec causis maioribus fidei finiendis: quod ita videmus seruatum ab Athanasio, & alijs catholicis orientalibus Episcopis eiusdem temporis: de quo superiùs diximus. Illud constat ex historia tripartita, Socrate auctore, Sardicense Concilium, grauissimum quidem auctoritate Iulij pontificis Romani vndecimo anno à Constantini morte fuisse celebratum: cui trecenti Latini Episcopi interfuerunt: quanquam pauciores Græci in Concilio tantæ auctoritatis, cui etiam plures interfuerunt ex his, qui Concilio Nicæno præsentes fuerant, manifestissimè statutum fuit de appellando ad Romanam Ecclesiam licitè: vt patet septimo capite illius: in quo omnia illa, quæ Aphricani negant in illo Concilio sexto constituuntur, & tamen post annos centum plus minus videntur nondum hæc agnita fuisse in Ecclesijs Aphricanis: quia, vt diximus, fortè non fuerat vlla necessitas: & cùm cœpisset Romana Ecclesia hoc exigere ab illis occurrente tunc causa resistebant sancti etiam Episcopi Aphricani: & inde illa, quæ citantur à Brentio sunt: quæ omnia si bene pensentur, magis ex illis vnde ædificari possumus, quàm contrarium videbimus. Romana sedes non importunè, neque intempestiuè sua auctoritate vti voluit: aut illam obtrudere præter necessitatem. Hinc factum est, vt apud quosdam non satis cognitum esset, quid in exercendo vsu eius statutum in antiquioribus Concilijs fuerat, & demùm, quem exitum res hæc habuerit apud Bonifacium secundum huius nominis, est videre, eius tempore hoc pacificè agnoue-

Lib. 2. ca. 23.

nouerunt Aphricani, damnaruntq; cõtraria omnia, quæ quantũ ego credo aliquanto post August. & sextũ illud Concilium immoderatiùs acta sunt: etiã cũ schismate, atque diuisione ab Ecclesia tẽpore scilicet Bonifacij primi, & Cælestini successoris eius. Vide epist. huius Bonifacij secundi, ad Eulaliũ Alexandrinũ episcopũ de reconciliatione Carthaginensis Ecclesiæ: in illa est exemplar literarum ipsius Carthaginẽsis episcopi de re hac. Satis igitur hæc esse debent, vt & primatus ipse Romanæ Ecclesiæ certissimè constet institutus à Christo, & agnitus in Ecclesia: & vt denique Romanorum pontificum inculpata fides ab iniurijs, & maledicentijs Brentij ostendatur immunis.

Cap. 108. *Signorũ Ecclesiæ veræ, quæ allata sunt, & quæ à Brentio pronuntur, collatio.*

Supereſt vltimam manum huic loco imponere, de vera sci licet agnoscenda Ecclesia. Ostensum est enim manifestissima esse, quæ diximus signa, & perspicacissima lumina: vt nullum latere possint: consensus in doctrina fidei, & cultu cum Apostolica prædicatione, & fide susceptа iam inde ab ipsis Apostolis in Ecclesia consensu patrum, & populorum: successio certa, & continua ministrorũ ab Apostolis, & Apostolicis Ecclesijs: Deniq; vnio cum Romana Ecclesia, & pontifice eius vero successore Petri, & vicario Christi: quodlibet horũ tam perspicuum est, vt nulla fraude hæreticorũ possit abscondi. Varia ergo hæc nostræ Ecclesiæ catholicæ signa dicemus, quibus ab omnibus etiam inimicis agnosci possit, sicut reuera certa sunt signa, quæ Brentius profert suæ Ecclesiæ, quam ille catholicam dicit, quibus & ipsi, & nos illam agnoscamus. Nec Brentius nec ego erubescimus Ecclesiæ nostræ, vt ita dicam, tesseram, & caracterem. Quare libet nunc in fine vtriusque signa simul conferre. Quod Brentius loco illo de Ecclesia fecit: vbi & nostræ, & suæ omnia collegit: nisi quòd in quibusdam imponit nobis: & in alijs, vt illi solent, minus aperte loquitur. Ita igitur ait Ecclesiam suam constare ex gratuita, & clementi electione Dei per filium eius in Spiritu sancto: nostram verò, ex meis verbis colligens, non constare ex electione Dei, sed sufficere quòd confiteatur Christũ ore, etiã si corde sit Epicureo: suã renasci non ex carne, & sanguine: nõ ex humana electione, sed ex Deo per sermonẽ suũ: nostrã verò fieri ex electione hominum

minũ, quia nos dicimus veros episcopos ex legitima electione pendere: suã agnoscere sinceram prædicationem verbi Dei, & verũ, & rectũ vsum sacramentorũ: nostrã vtrunq; corrũpere, verbũ, quia nõ tantùm recipit scripturã, sed traditiones: sacramenta, quia sordidat, inquit, baptismũ fictitijs appendicibus ab humanis traditionib. & poculũ cœnæ Dominicæ dicit, nõ bibendũ omnibus. Suã, inquit, interpretari patres, traditiones, & Cõcilia per scripturã, eandem scripturã, per seipsam: nostrã interpretari scripturam per patres, per traditiones, & concilia: Suã fundari super doctrinam propheticam, & Apostolicam, nec vlla dogmata extra scripturas sacras susciperе: nostram fundari super traditionibus, & dogmatibus, extra scripturã: Et deniq;, breuiter, inquit, suam vnũ solùm caput agnoscere, tã in cælo, quàm in terra, Christũ: illi soli esse alligatã, ministris eius vtitur, vt seruiant ipsi, iuxta regulã præscriptã in scriptura: nostrã verò in terris pro suo capite agnoscere Romanũ pontificẽ, & alligatam esse prælatis illi subiectis, nec pẽdere à solo Christo, sed quærere etiam salutẽ in contritione, in ieiunio, in horis canonicis, & omnib. suis operibus, quibus cõfidit se gratiã Dei mereri. Sic igitur Brẽtius ista rerũ, & signorũ antithesi, & cõtraposition vtrãq; Ecclesiã, quã ille scilicet describit, & quã ego, imò veriùs quàm oẽs sui, & omnes nostri, apertè satis ostendit. Ex quibus si auferamus quæ manifestè imponit, & quæ detorquet siniſtrè, facilè erit ante oculos vtranq; habere Ecclesiam: nec id difficilè erit ex iam dictis colligere. Satis enim ostensum est falsum nobis imponi, quod scilicet dicamus, Ecclesiã verã nõ pendere ex electione Dei, vel non renasci spiritu eius. Hæc enim apertè asseruimus Ecclesiæ conuenire: sed falsi sumus ad eam pertinere peccatores, non quidem, vt viua membra, quàm diu sunt peccatores: sed vt subditi, vel prælati, vt ministri, & quibus ministranda sunt verbum, & Sacramenta. Similiter quid aliud præter Christum agnoscamus ad nostram salutem æternam necessarium, satis superiùs ostensum est, falsò imponi nobis: nihil spectamus nisi Christum, & quod ab illo nobis donatur, aut constituitur: sic spectamus Episcopos, & pastores; ieiunia, vera, & pia opera: ideo dicimus nos gratiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam mereri, quia sunt affectus gratiæ, quod Brentius ipse diserte refert nos dixisse. His ergo reiectis iam ad illa signa accedamus. Hæc igitur sunt contraria nostræ, & suæ Ecclesiæ signa. Nostra Ecclesia, quam confitemur, & credimus, visibilis est, omnes complectitur, qui fidem publicè confitentur, & visibilia suscipiunt Sacramenta. Inter hos non dubitat esse electos à Deo, & prædestinatos: & admonet quemlibet de se dubitare, an prædestinatus sit, sed in sancto timore, & bonis operibus id sperare: nec vllos extra se manentes saluari credit: Brentij verò Ecclesia, quam ille credit veram, & firmam, solos prædestinatos, & electos à Deo habet: & iubet quemlibet de se credere, quòd à Deo prædestinatus sit, & electus, omnes alios, peccatores scilicet, contemnit, & reijcit à se: & omnino alienos ducit. Conferrogo hæc. Certè illud primum negari non potest, nostram, quæ peccatores continet, & quemlibet docet, de se timere, & de Deo sperare caracterem habere Christi, & Apostolorum: nouit non esse opus valentibus medico, sed malè habentibus: Christum venisse propter peccatores, quorum primus (inquit Paulus) ego sum. Altera verò caracterem Iudaicæ superstitionis, quæ murmurabat de CHRISTO, quod peccatores reciperet, & manducaret cum eis: & qui dicunt, vt Esaias ait, 65. cap. Recedas à me, & non appropinques mihi, quia immundus es. Nónne hoc apertè dicit, qui ait Roma iampridem purpurata meretrix dicebatur, nec intereà temporis melior facta est, & nos talem agnoscemus pro matre Ecclesiarum? Nónne hoc dicit, qui clamat, indignum esse asserere, quòd ad Ecclesiam pertineat, qui Epicureo corde, & vita Sybaritica sit? In hac itaque causa nos eas partes Christi tenemus, quas ille aduersus Pharisæos egit: Illi quas econtrariò Pharisæi aduersum Christum. Alterum porrò circa hoc non omittam, quod qui ex prædestinatis tantùm Ecclesiam constare dicit, nullo modo potest, quòd aliqui ad eam pertineant certò asserere, quandoquidem de nullo sciri potest, an prædestinatus sit. Quare igitur Brentius se, & suos, ad hanc Ecclesiam pertinere dicit? Nam etiam si fide hoc de se credere velit, quòd prædestinatus

natus sit, certum est de nullo alio se id credere posse, quousque veniat Dominus (vt Paulus inquit) qui manifestabit abscondita tenebrarum. Nullam ergo habet Ecclesiam Brentius, cur ergo dicit iure optimo illis adiuuimus catholicæ Ecclesiæ nomẽ & nobis vendicamus. Qui, inquam, vos estis? vos prædestinati, vt Catholicæ Ecclesiæ nomen vobis vendicetis, quod si de Ecclesia externa dicere hoc referatis, intelligant omnes vos catholicam veram Ecclesiam nullam agnoscere: & mirabor si etiam vestri non à vobis discedant, vtpote qui nullam veram Ecclesiam cui certò à Christo promissa sit gratiæ suæ, & protectionis præsentia credant. Ecclesia enim catholica, quam definit Brentius, cuius tanta priuilegia refert, nulli agnita esse potest, de quibus satis iam superiùs diximus. Sed hæc dicta sint nobis de duobus illis prioribus sibi oppositis signis Brentij, & nostrę Ecclesiæ. reliqua breuiter perstringamus. Ecclesiam catholica nasci ex Deo, inquit, Brentius, nostram ex electione humana, & successione. hoc verum est: Hanc nos dicimus veram Ecclesiam, quæ succedit Apostolis: sed hęc etiam renascitur ex Deo. Hęc duo non sunt contraria, sed si contraria signa quærenda sunt, sic dicamus: Ecclesia, quam Brentius agnoscit, contemnit omnem humanam electionem, & successionem ab Apostolis: Ecclesia nostra hæc duo, tanquam à Deo ordinata agnoscit, nec vllos ministros recipit, nisi legitimè electos, & primis, quos Christus instituit succedentes. Nónne etiam hęc sunt manifestissima signa? Nónne nos verbum Christi habemus, qui non intrat per ostium fur est? Nónne Apostolos electione, & impositione manuum constituisse ministros scimus? sequimur ergo institutionem Christi, qui verò econtra electionem & successionem contemnunt, caracterem illum præferunt, de quo Christus inquit, Qui vos spernit, me spernit, satis ergo hæc duo signa cuius sit Ecclesia Brentij, nempe Antichristi: cuius nostra, hoc est Christi, ostendunt. Quæ ergo tertio loco ponit audiamus. Ecclesiam catholicam agnoscere sinceram prædicationẽ verbi, & rectum vsum sacramentorum: nostram verò vtrumque peruertere, sed hoc falsum dicit. Fatemur eam, quæ verum Dei verbum, & vera Sacramenta non agnoscit non esse veram

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiam: sed esse verum verbum Dei, quod Brentius & sui credunt, & verum vsum Sacramentorum, quem obseruant negamus: Verùm vtrumque ex consensu patrum, & consuetudine ab Apostolis deriuata iudicandum esse cùm dubium alias quod est, dicimus. Itaq; hæc non sunt satis aperta signa: illa ponamus, quæ nullus nostrum negare possit. Ecclesia, quã Brentius describit, nullas traditiones suscipit, circa fidem, & Sacramentorum vsum: nec ea quidem, quæ per totum orbem seruat Ecclesia, sed solam scripturam: nostra, quam agnoscimus Ecclesia, traditiones Apostolorũ, quæ scilicet ab eis traditæ sunt illis, quos præfecerunt Ecclesijs, & ab illis successoribus suis, & sic ad nos vsque peruenere, & semper per totum orbẽ in Ecclesia seruatæ sunt, veneratur, & suscipit. Iam intueamur, quid magis consonet veritati. Certè nos Paulo obedimus, tenete, inquit, traditiones, quas accepistis siue per epistolam, siue per sermonem: & scimus plura illũ ordinasse in Ecclesia quàm scripserit: cætera inquit, Corinthis cùm venero disponam. Illi ipsam scripturam negant, negantes tenendum esse, quod sine epistola, sermone traditum est. Huc etiam pertinẽt duo sequentia signa, de sensu scripturæ. Catholicam, inquit Brentius, Ecclesiam, quia non agnoscit nisi scripturam, interpretari traditiones, patres, & concilia, & scripturam per ipsam scripturam: nostram scripturam per patres, & concilia. verissimum est hoc. ita fatemur, cùm scriptura est dubia, vt frequenter est, consensu patrum, conciliorum iudicio, & consuetudine totius per orbem Ecclesiæ dicimus explicandam, & in his tribus non aliud quærimus, quàm Ecclesiæ sensum, quæ est columna, & firmamentum veritatis. Nos ergo hunc caracterẽ præferimus: Christus dedit in Ecclesia sua pastores, & doctores: vt non simus paruuli, & circunferamur omni vento doctrinæ. Illi verò econtra habeant suum caracterem, qui non acquiescunt sanis sermonibus, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, &c. Sed & duo sequentia huc pertinent: catholicam enim Ecclesiam, ait, fundatam esse, super doctrinam Apostolorum, & prophetarum, & nulla dogmata extra scripturam agnoscere: nostram verò fundari super traditionibus: ad idem hæc pertinẽt. Dicat igi-

igitur sic, quòd nostra Ecclesia doctrinã Christi, & Apostolorũ & cõsensu totius Ecclesiæ cognitã & non scripturã tantùm suscipit: Illi solam scripturam. Ex quo conuicimus, quòd nec scripturam recipiant, quæ præcepit: tenete traditiones siue per epistolam, siue per sermonẽ. sed de traditionibus posteà agemus. Vltima duo audiamus, reiectis, quæ de operibus, & contritione loquitur. nam ostendimus falsò imposita esse nobis. Ait igitur, Ecclesiam catholicam vnum solum caput agnoscere in cælis, & in terris, scilicet Christum, vti verò ministris, vt ipsi seruiant, iuxta regulam præscriptam in scriptura: Nostram verò Romanum pontificem agnoscere pro capite suo, & alligatam esse prælatis. Hoc fatemur insigne nostrum est, Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, illorum sit: sunt enim multi inobediẽtes, vaniloqui, & seductores, non possumus certè his signis non manifestè cognosci. Illi nullum caput, nullum superiorem nisi iuxta sensum, quem illi concipiunt ex scripturis, agnoscũt: ideo nullam vnitatem colunt, nos vnum Deum, vnum Christũ, vnum in Ecclesia catholica Episcopum, & sub eo reliquos specialium Ecclesiarum, & ab his ordinatos ministros suscipimus: & in dubijs illorum expectamus iudicium: atque ita non vnitatem, quàm nos nobis somniamus, sed quam instituit Deus custodimus: habemus ministros homines, & ex hominibus, atque humana electione, & successione cognitos: sed quos Deum suo spiritu non dubitamus gubernare, vt Ecclesiæ suæ præsint. Quare claudamus iam vniuersa hęc exhortatione illa verissima Abiæ regis Iuda, quam habuit ad Ieroboam, & decem tribus, quæ se à regno Dauid separauerant: quæ huic loco optimè conueniunt, optimè regnum Dauid temporale quidem, & terrenum, regni spiritualis Christi figura est. Legimus autem quod, cum decem tribus à domo Dauid, & hoc eius regno se separassent, Deo hoc propter peccata Salomonis permittente, & Roboam stultè, & superbè agente, quanquam hæc separatio primò non ad spiritualia spectaret, & religionẽ: sed ad temporale dominium solùm, mox tamen secuta est religionis, & fidei diuisio constituente Ieroboam impijssimo rege nouum, & fallum idolorum cultum, atque ad eum trahen-

ad. Tit. 1.

Cap. 109. *Defectio Israelitici populi sub Ieroboam à cultu Dei de præsentibus hæresib. exponitur & verbis Abiæ regis sectatores eã rũ deterrẽtur* 2. Para. 13.

te

te populũ: vt à Hierosolymitano tẽplo separaret: atq; hac ratione & falsi sacerdotes, atque leuitæ, falsi prophetę, falsa & sacrilega sacrificia, & peruerlio totius cultus veri Dei sequuta sunt. Nonne hæc omnia manifestissima sunt figura hæresion omniũ & schismatum. Quid enim aliud hęresis est, quàm idolũ quoddam, & figmentum, opus manuum hominum: cùm scilicet quisque, quod sibi placet, quod sibi gratũ est, elegit in religione, & fide? Separatio igitur illa à regno Dauid scindentes se ab Ecclesia nobis significat, idolorum erectio nouarum opinionum, & hæreseon figura est: & hęc in omnibus hæreticis semper fuit, semper illi humana adinuenta coluerunt. Manichæi, Marcionistæ, Valẽtiniani, & reliquæ illos sequentes pestes, nescio quem nouum Deum alienum ab eo, quem fides prædicat, sicut Arriani, Sabelliani, & Macedoniani, aut patrem sine filio, quare non verum patrem: aut vtrumque sine Spiritu sancto, quare nullum verum Deum coluerunt? Sic reliquæ omnes hæreses, quamuis de Deo non falsum aliquid assererent: atque ideo nec nouum fingerent Deum, semper tamen alienum aliquid veræ fidei adiungentes, Deo imposuerũt, & ratione quadam fabricarunt sibi idola, atque ita meritò ad regnum Hieroboam, & idola eius pertinent. Verùm plures horum quanquã falsum aliquid fidei admiscẽtes, participes facti sunt huius idolatriæ, tamen dum in cæteris omnibus eosdem ritus sequuti sunt, quos tota Ecclesia: idem offerentes sacrificium, eisdem orationibus, & cæremonijs, quibus reliqua Ecclesia, eisdemq; initiati sunt sacramentis, & denique omnia eisdem ritibus fecerunt: minus impietati Ieroboã videntur similes. At verò nostri hodierni hæretici, qui vltimis his temporibus exorti sunt, à centum proximis annis, Antichristo iam efficacius mysteriũ operante, in Ioanne Vviclef, quem Lutherus, & omnes posteriores hæretici magna ex parte sequuti sunt, quanquam mitiùs atque suauiùs poculum falsitatis videri volunt attemperasse. Hi igitur omnes hęretici, dum omnes Ecclesię ritus, omnes cæremonias, Sacramenta omnia, opera denique ordinem, & gubernationem immittant, & conuellunt: quid aliud agũt, quàm vt cum Ieroboam nihil aliud, quàm idola sua, colant. Meritò igitur

igitur illis aliã Ecclesiam ostentantibus, alia Sacramenta, alios ritus, &c. & contra nos dimicantibus, etiam magna eloquẽtia, magnis clamoribus, conuitijs, & maledicentijs nos obruere conantibus dicam quòd Abias ille fortissimus rex, qui cum quadraginta milibus veniebat contra Ieroboam, qui in octoginta milibus, duplici scilicet numero, gloriabatur, concionabatur ad illos: Audi, inquit, Ieroboam, & omnis Israël. Num ignoratis, quòd dominus Deus Israël dederit regnum Dauid super Israël, in sempiternum ipsi, & filijs eius in pactum salis? Et surrexit Ieroboam seruus Salomonis filij Dauid & rebellauit contra dominum suum, congregatique sunt ad eum viri Belial, & prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis. Hæc vobis iam dico, ô Brenti, & Lutherani omnes, nunquid non certum est, non agnitum, & prædicatum in vniuersis Ecclesijs per vniuersum orbem, Christum constituisse vicarium, & regno suo præposuisse Petrum, & filios eius, legitimos scilicet successores, vsque in sempiternum, fœdere stabili, & indissolubili, rogaui, inquiens, pro te, vt non deficiat fides tua? Nónne res ipsa indicat, exurrexisse Ioannem Vviclef priùs pontifici Romano subditum, in eius obedientia ordinatum in Ecclesia, & doctoris officio fungentem, aduersus illum, cui adhæserũt filij Belial veluti primi antesignani, Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga, qui prævalere non potuerunt aduersus eum, quem constituerat in Ecclesia? Nec enim hic vt Roboam à Deo permissus est rudis, & pauidi cordi esse, ne resistere posset. Damnati sunt igitur hi omnes publico iudicio Ecclesiæ, & vt dignum erat, vltimo supplicio affecti, imperatore ipso, & principibus imperij cogentibus? quantò ergo iustiùs iam vobis dicam, quod Abias: Nunc ergo vos dicitis, quòd resistere possitis regno Domini, quod possidet per successores Petri. Improperandum meritò fuerat Ieroboam, quòd prævalere se putaret contra constitutũ regnum à Deo: etiam iam cùm iam principia ei prospera successissent: quia non tan tùm humanum regnum, sed Dei ipsius impugnat, à cultu vero auocans suos: quantò iustiùs improperandum est vobis, quòd putetis prevalere vos posse damnatis, & exterminatis communi consensu Ecclesię primis auctoribus huius

Universidad de Deusto
Biblioteca

huius tragœdiæ,& prophetiam dicatis esse, quàm Hussitarum moneta habet, ex persona Ioannis Hus, centum reuolutis annis Deo respondebitis,& mihi:quasi hoc ipso tempore surrexerit nouus propheta pro illis Lutherus, non duplici spiritu blasphemiæ,& obstinationis illorum, sed multiplici præditus: habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos,quos fecit vobis Ieroboam in Deos. Gloriamini in multitudine populorum,quos ex Germania vestra seduxistis,& vitulos aureos gestatis,noua,& aliena dogmata aduersus orationes Ecclesiæ in sanctorum inuocatione, & commendatione defunctorum,aduersus sacrificium altaris, aduersus Ecclesiasticæ hierarchiæ ordinem, quibus inuitatis populos,& dicitis: nolite vltra ascendere in Hierusalem in ciuitatem in qua collocauit Dominus originem,& caput Ecclesiæ vnitatis,& insuper
3 Reg.12. clamatis: Ecce Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti,quod est:Hæc sunt salutaria dogmata,in his fides catholica & animarum salus sita est,&,sicut,inquit,Abias,eiecistis sacerdotes Domini,filios Aaron, atque Leuitas,& fecistis vobis sacerdotes sicut omnes populi terrarum, quicunque initiauerit manum suam in tauro,de bobus, & arietibus septem fit sacerdos eorum, qui non sunt, Dij: quæ omnia quàm verissimè in vos quadrant, qui reiecta vnctione sacerdotali, reiecto sacramẽto Ordinis, fecistis vobis è media plebe,& vulgo,ex sutoribus,& coriarijs,sacerdotes,nullo legitimo ordine,sed eos, qui manus suas, & opera,atque linguas maioribus contumelijs, & ardentiore contentione, & iniurijs, atque blasphemijs in sanctissimam,& antiquitus fundatam religionem, & cultum Dei inter vos,quibus hoc sacrosanctum est, consecrarunt.Nos verò etsi peccatores,etsi quod verissimo animo dicimus, tam sancta fide indigni:sed summo Diuinæ gratiæ dono seruati meritò dicere audemus: cum eodem rege, Noster autem dominus Deus est,quem non reliquimus:sacerdotesque ministrant Domino de filijs Aaron,& Leuitæ sunt in ordine suo: Holocausta quoque offeruntur Domino per singulos mâne, & vespere, & thymiama iuxta legis præcepta confectum:& proponuntur panes in mensa mundissima,estque apud nos candelabrũ aureum & lu-

& lucernę eius:vt accendantur semper vespere.nos quippe custodimus præcepta Domini,quem vos reliquistis. Hæc omnia gratiæ Dei accepta referentes, audemus in vnione sanctæ Ecclesiæ participes effecti omnium timentium Deum, etsi in nobis ipsis peccatores, asserere, quòd dominus noster Deus sit, cuius inuiolatam fidem seruamus,quòd sacerdotes, & Leuitæ ministrent apud nos in ordine suo, quem Apostoli tradiderũt Ecclesiæ:quem testimonio sanctissimorum patrum scimus semper seruatum in Ecclesia, qui meritò audiunt Pauli exhorta- 1.Cor.14.
tionem omnia honestè, & secundum ordinem fiant in vobis. Seruatur itaque ordo consonus & vniformis: cùm apud vos, quod negare non potestis, tot sint Ecclesiasticę ordinationes, quot capita:alia Nurenbergensium missa, alia Vvirtenbergen. holocausta quoque apud nos offeruntur per singulos dies,&c. In sacrificio altaris,in pijs precationibus, & orationibus,in horarum canonicarum quotidiano pensu, quæ etsi ipsi, qui ea agimus,peccatores simus, Christi nomine,& præcepto,& sanctorum omnium, atque totius Ecclesiæ peracta nõ dubitamus Deo accepta esse, & multò magis,quàm thymiama illud legis gratum Deo,ex quibus videlicet ascendit fumus de manu Angeli,hæc offerentis in conspectum Domini.Sed & candelabrũ, atque lucernæ, Euangelium scilicet,& certissimæ patrũ expositiones apud nos sunt: quæ omnia vos corrupistis:Nos quippe seruamus pręcepta Dei, dum illius adiuti gratia, vel ea implemus, vel transgressionem per humilem confessionẽ in vnione Ecclesię orantes & confitentes peccata,veniam consequimur: quæ est teste Augustin. vera legis impletio: quæ cùm reliqueritis,meritò dicimus,quòd in eis reliqueritis etiam Deum. Ergo vt cum illo rege orationem claudam: In exercitu nostro Deus est,& sacerdotes eius,qui clangunt tubis,& resonant contra vos.Habemus orationem concordiæ,& vnitatis,quibus cõtra vos,quàmdiu rebelles,& obstinati estis,sed reuera pro vobis fundimus:vt consentientes,& humiles vos recipiamus.Ergo filij Israël,baptismo Christi geniti,in vnicæ sponsæ eius gremio memores huius:nolite pugnare contra dominum Deum patrum vestrorũ; nolite illum Deum abijcere, & eius cultum,

quem

Universidad de Deusto
Biblioteca

quem patres vestri, sanctissimi sacerdotes, & doctores agnouerunt, nolite inquam pugnare, contra Dominum, quia hoc nõ expedit vobis. Quòd si verba hæc vos non deterrent, deterreat saltem illius loci exemplum: Cùm enim Ieroboam minus hæc curans totus humanis intentus Iudam, quem quadringentorum milium numero superabat, clàm & dolò suo ambiret exercitu, clamante tamen Iuda ad Dominum, & vociferantibus sacerdotibus, ita deterriti sunt à Deo, vt quingenta milia perierint. Hoc vos deterreat. Quod etsi ad horam dissimulare videatur Deus, tandem faciet vindictam electorum suorum clamantium die, ac nocte, & exiget à vobis tot milia animarum, quæ falsa doctrina perditis exiget angustias, & lachrymas desolatorum fidelium, quos ad defectionem cogitis, aut miserrimè afflictos facitis in gemitu vitam ducere: exiget ista Deus si non in hoc seculo, certè in futuro, quod nos, & vos expectat ad iudicium: vbi nullus locus verbis, & clamoribus, nullus tergiuersationibus, & calumnijs, cunctæ hæreses destruentur, illustratione aduentus Christi: quod ne tunc vobis contingat Deum oramus, vt saniorem mentẽ vobis det, & salubriter perterreat: vt deficiente omni cæcitate, & pertinacia, corruat, quod in vobis malum est, & viuant, quas ille redemit, animę, & ad hoc ipsum vos quantum possumus hortamur.

Luc. 28.

De

De vno præsente, & certo iudicio Ecclesiastico, in dubijs fidei necessario, & ratione eius.

L. or 2.s

Cap. 1. Quòd iudicium de rebus controuersis oẽs fatentur necessariũ, sed nõ omnes eodem modo.

NEcessarium esse in Ecclesia iudicium vnum, & certum, atque manifestum, in quo dubia, & controuersiæ de fide, cultu, atque institutis Christianæ vitæ definiantur, tam manifestum est, tam certum, & persuasum: vt ad id probandum vix aliquid adferri possit manifestiùs: nec apud aliquem de hoc agi potest, qui non id sine vlla difficultate concedat. Itaque nunquam mihi, aut verbo conferre cum homine alicuius iudicij, aut legere cuiusuis scripta, de rebus hoc seculo nostro controuersis, contigit: qui non hoc in primis non concederet tantùm, sed primò etiam proponeret, efflagitaret, & ardenter desideraret: adeò animis omnium hoc insitum est, vt à primo ipso tẽpore, quo Lutherus noua hæc, vel antiqua potiùs, & damnata in Ecclesia dogmata exuscitare cœpit: omniũ principum, omnium populorum consensu generale concilium, ad terminandam hanc controuersiam efflagitatum fuerit: & in omnibus imperij comitijs, publicisque conuentibus conclusum, petendam esse sententiam generalis concilij. Cùm itaque omnes agnoscamus, necessarium esse, vt in controuersijs fidei certum sit tribunal, cui omnes parere debent: idque Brentius, cui nunc respondemus, non solùm affirmet, sed magnoperè cõtendat sine illo non posse fidem constare: frustra videri possem laborem ad hoc probandum assumere. Verùm quoniam, & si hoc ab omnibus concedatur facilè, non tamen ab omnibus satis intelligitur, quantam vim habeat, ab aduersarijs quidem certè peruertitur, & præcipuè à Brentio in suis prolegomenis in diuersa trahitur, & obscuratur. Denique & multis hoc factum est in occasionem, & excusationem aut ignauiæ, & negligentiæ infidelis, dum putant sibi præterea nihil curandum aliud circa fidem, quàm vt expectent hanc definitionem, etiam post mille annos: aut, quod in altero

Universidad de Deusto
Biblioteca

extremo est,temeritatis,& superbæ præsumptionis, dum hoc iudicium facilè persuadent ad se pertinere hi, quibus nulla res minus pertinet. In quo negotio conficiendo vires omnes suas in primo loco de potestate principum Brentius exerit. Quia igitur tam diuersimodè hoc accipitur, & basis esse debet eorum,quæ hoc loco,& sequentibus etiam dicturi sumus, dignũ est,vt id,breuiter quidem,sed,quantum pro captu nostro possumus, apertè confirmemus, & proprijs suis medijs, & rationibus explicemus,quasi à propria id origine deducentes.

Quæ certè non alia est, quam ea ipsa, de qua à principio præcedentis loci egimus. Si enim constitit, Deum ab hominibus non priuatim & singulariter,nec per domos,& familias diuisim,sed in Ecclesia,& cœtu omnium voluisse coli,nónne manifestum fit,nec priuata vlla sacrificia, aut obsequia singularia sed totius Ecclesiæ communia illi placere? Cùm itaque primũ Christianæ religionis sacrificium, primũ obsequium fides sit,
Hebr.11. dicente Paulo, Accedentem ad Deum oportet credere: Nam sine fide impossibile est placere Deo, certissimum est, non illi gratam esse singularem alicuius fidem, non priuatam, & propriam,sed Ecclesiæ totius,res certè digna consideratione,adeò enim placuit Deo nos inuicem coniungere, atque vnire, tot vinculis vnitatem nostram constrinxit, vt nec fidem nostram, quæ in corde ipso abscondita,ei soli nota est, voluerit à nobis suscipere,nisi priùs in ipsa nos conueniamus,& concordemus: concordemus(inquã)omnes,quotquot volumus nostram fidẽ illi probare,cum Ecclesia sua,cum ijs, quos primos dedit nobis eius fidei doctores,& deinde nobiscum:ita vt,quod omnes baptizati incertũ videmus cordibus nostris, nulli Christiano liceat non curare,quod alij credant, quod alij sentiant de Deo religioneque: quasi satis esset cuique fidem suam priuatim offerre,& cum illis eodem templo,& in ijsdem sacrificijs,& institutis participare quamcunque alij fidem habeant, quod(vt Au
Lib. de vera religione cap.5. gustinus inquit)philosophorum iactantia, & paganorum confusio habuit: & meritò ille efficacissimum ostendit, vt agnoscatur apud illos non fuisse veram religionem, nec apud alios aliquos,quàm apud solam vniuersalem, & catholicã Ecclesiam.

Susci-

Suscipiebant philosophi eadẽ sacra,cum populis conueniebãt in eodem templo,de natura verò Deorum suorũ, deque summo bono, contrarias sententias coram eodem populo asserebant: vt certum esset, illos non ab vno illo generis humani primo auctore gubernari, non illi placere, qui humanum genus adeò vnitatem colere voluit, vt ab vno tantùm homine, non vel à duobus,masculo,& fœmina scilicet,sed à solo, & vno viro vniuersum propagari decreuerit. Itaque philosophi ab hac vnitate curanda adeò longè erant constituti, vt potius singularitate,& discordia gauderent,atque gloriarentur:non aliud curantes,quàm vt alij alios multitudine discipulorum superarẽt. Itaque meritò ad Babylonicam illam turrim, ad confusionem linguarum, & dispersionem pertinere se ostendebant, atque ideo ad auctorẽ totius diuisionis Diabolũ: at verò Christiana disciplina quàm lõgissimè ab hoc vitio diuina institutione abest.nullum admittit ad eadem participanda sacramenta, ijsdẽque,& communibus orationibus,& templo fruendum,qui de Deo aliter quàm ipsa sentit,nec enim apud nos alia est religio, aliud studium sapientiæ: sed mox vt aliquis de Deo, de fide, reuelationibusque eius,non communiter cum Ecclesia sentit, sed priuatum vnius, aut plurium sensum sequitur, à communione omnino secernitur, etiamsi eadem sacramenta habeat, cuius rei testes sunt iam innumerabiles hæreses, quæ à communione catholica exclusæ,propria vocabula, propriosque conuentus meruerunt, Arriani,Macedoniani,Photiniani,& huiusmodi innumera monstra hæreticorum, quibus manifestum fit quàm sit necessaria vna fides communis totius Ecclesię, vt in principio prioris loci diximus: ita vt meritò illud Euangelij huic loco conueniat. Si offeres munus tuum ad altare, & ibi Matth.5. recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ad altare,& vade prius reconciliare fratri tuo,& tunc veniens offeres munus tuum,ita certè ea ipsa ratione, imò multò maiori,qua hæc dicta sunt: quia non amat Deus sacrificia dissensionis, & discordiæ, non separata,& singularia:primo omnium in fide, quę prima est omnium bonorum,quę illi placent,id obseruari voluit,vt quodcunque illud

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacrificiũ sit, quodcunque obsequium, quod illi cupimus gratum esse, offerentes Deo priùs curemus cum fratribus in fide conuenire: certique simus si nos ab illis, aut illi à nobis in fide dissentimus, iam alteros alienos esse ab illo, & eius Ecclesia, cùm alteros necesse sit alienam fidem tenere, atque propterea neque nobis, qui cum Ecclesia certa, de qua dictum est, conuenimus, quique non ab illis, sed illi à nobis discesserunt, licet sacrificium fidei nostræ, aut quoduis aliud offerre, sine solicitudine fidei aliorum fratrum, & nisi, quod nostrarum est partium, omnes egerimus, vnusquisque pro virili sua, vt separati ad vnitatem redeant. Quæ omnia eò dicta sunt, vt apertissimè constet, quòd non solùm nobis vna debet esse fides, vnú baptisma, sicut vnus Dominus, vnus Deus, & pater omniũ qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, vt Paulus inquit (hæc est enim vnitas illa spiritus, quam in vinculo pacis solicitè colendam præcipit, qua sumus vnum corpus, & vnus spiritus, & habemus eandem spem vocationis nostræ) Non itaque solùm vnam hanc fidem nos Deo debere constat, sed etiam nobis inuicem, vt non solùm, quod Petrus Apostolus iubet, parati simus rationem reddere omni poscẽti à nobis de fide, sed specialiùs hoc debent Christiani sibi inuicem, vt quãdo in vna Ecclesia baptizati sunt, in vna inquam catholica matre, cogitet quilibet, quòd mox vt ab alijs circa fidem, & instituta Christiana dissentit, totam offendit fraternitatem, & omnes ad vnum fratres inquietat, & turbat: &, quantum in se est, hoc agit, vt in his, quæ ad æternam salutem pertinent, suum iudicium probans, omnium aliorum damnet, atque hoc opere eos alienos à salute & inæternum perire dicat. Nónne igitur meritò, sicut martyres, qui veræ fidei testimonium perhibuerunt proprio sanguine, bene meriti sunt de fidelibus omnibus, omnes confirmant, & lætificant: ita etiam qui contradicunt fidei, quam priùs ipsi cum alijs in Ecclesia tenuerunt, malè merentur de omnibus, & ab omnibus malè audiunt, meritoque tenentur singulis confratribus hoc exigentibus rationem reddere? nec vlla est causa, ob quam iustiùs expostulari possit contra aliquem, quàm quòd à communi discedat fide. quo solo no-

Cap. 3. *Quòd fideles sibi inuicem debent communem fidem seruare.*

Ephe. 4.

lo nomine iustissimam causam dat omni Ecclesiæ vindicandi etiam in illum, & vlciscendi omni genere pœnarum crimen hoc admissum in fidem communem, summisque testimonijs, & tot millium martyrum sanguine confirmatam: in quos certũ est grauissimè peccare, qui hoc faciunt, & in primis in ipsum Christum, cuius sanguini, & reliquorum omnium martyrum contradicunt. Vnde meritò seueritas illa legis Moysi omnes armat aduersus nouatores fidei, & cultus: si audieris, inquit Moyses, in vna vrbium tuarum, quas dominus Deus dabit tibi ad habitandũ, dicẽtes aliquos, Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis tuæ, atq; dixerunt, Eamus, & seruiamus Dijs alienis, quos ignoratis: quære solicitè, & diligenter, rei veritate perspecta, si inueneris certum esse, quod dicitur, & abominationem opere perpetratam: statim percuties habitatores illius vrbis in ore gladij: & delebis eam, omniaq;, quæ in illa sunt vsque ad pecora, quicquid etiam supellectilis fuerit, cõgregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes: ita vt vniuersa consumas domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus, nõ ædificabitur amplius: & non adhærebit de illo anathemate quicquã in manu tua: vt auertatur Dominus ab ira furoris sui. Vides itaq; quanta diligẽtia, celeritate, atq; seueritate vindicari vult Deus in peccata fidei contraria: imò quàm digna sint ira eius, qua in totam Ecclesiam vindicet paucorũ peccata: vt auertatur inquam Dominus ab ira furoris sui. Ibidẽ rursus loquitur, si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, aut vxor, aut amicus, quẽ diligis, vt animã tuã, dicens eamus, & seruiamus Dijs alienis, &c. non acquiescas ei: nec audies, nec parcat ei oculus tuus, vt occultes eũ, sed statim interficias. Citat hunc locũ Brentius, sed quàm consonè sensui scripturæ breui ostendemus. Nunc id ex omnibus his sit constitutũ, nihil esse propter quod iustiùs Christiani omnes, Ecclesiæq; filij expostulare cum aliquo possint, quàm propter nouam fidem: imò non fieri posse, vt noua fide exurgente non statim in Ecclesia dissentio sit, nón alij de alijs, & meritò quidem, conquerantur, atque alij aduersus alios clament: quod nunc res ipsa ostendit: quantum qui permanemus

Deutero. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus in ea,quam ante quadraginta annos omnes fatebamur ab Apostolis deriuatam fidem, clamemus, & conqueramur de his,quos constat ab ea recessisse: ostendunt & scripta catholicorum, & opera plus quàm verba: & econtrario quantum illi contra nos conuitiorum, & maledicentiæ proferant, vel sola hæc prolegomena Brentij ostendunt. Rogo igitur nunc, quo pacto seruari potest vnitas hæc fidei, quam Deus à nobis exigit,& vt à nobis inuicem eam exigamus præcipit, nisi certum habeamus tribunal,ad quod in dubijs confugiendum sit: & illud quidem vnum, cui scilicet omnes parere debeamus: vnum inquam iudicium visibile, & manifestum, in quo & audiri accusatores,& rei possint,& hac ratione disceptari causa, atq; proferri sententia? Ná fides hæc visibilis est,cùm exteriùs manifestetur,& teneatur eam quilibet alteri in Ecclesia ostendere,& de illa visibiliter (vt ita dicam) manifestè scilicet, inter Christianos necesse sit contendi.Quod ergo ad Spiritus sancti persuasionẽ confugitur, vt Brentius facit,de quo posteà,quàm sit dolosum,res ipsa ostendit. Nónne quilibet contendentium dicit,& credit,se à Spiritu sancto illustrari, quanquam alij tantùm verè? sed cùm exteriùs eandem fidem tenere debeamus, nec Ecclesiam suam Deus miraculis, aut nouis oraculis, & responsis,vt Israëliticum populum,regat: nulla ratione vnitas fidei seruari posset; nisi vnum iudicium omnes agnosceremus: & quid plura de hac re dici opus est, aut quasi latens, & absconditum iudicium hoc inquiremus vlteriùs, dicente Christo:Si peccauerit in te frater tuus, corripe ipsum, &c. Quòd si te nõ audierit,dic Ecclesiæ:vt cùm constet,nulla ratione magis vnũ fratrẽ in alterũ peccare,q̃ nouitate fidei, nullũq; peccatum magis cõtra fraternitatem esse, quã in Ecclesia professi sumus, vtpote quod primo ipsi principio, & origini vnitatis opponatur:cumque nullum peccatum magis contra salutem æternam omnium fratrum sit,quàm hoc:quis dubitare potest,Ecclesiæ meritò denunciandum esse: & illam iudicium de hac re meritò sibi sumere, & sententiam ferre debere: ita vt, si quis eam non audierit, habeatur vt ethnicus, & publicanus? Hac ratione etiam superiùs confirmauimus Ecclesiam certã,& visibilem esse debere,& eadem rursus nunc iudicium vnum, perspicuum,& manifestum, & hoc Ecclesiæ in controuersijs fidei probamus:nec est,qui,hoc negandum esse,vel egedat, vel affirmare ausit. Quod etiam res ipsa,& consuetudo perpetuò ab ipsis Apostolis vsq; hodie seruata,maximè cõfirmant. Apostoli ipsi,mox vt de fide dissensio orta fuit,& cultu:quũ quidã descẽdétes de Iudæa docerẽt:Fratres, quia nisi circuncidamini secundũ morẽ Moysi,nõ potestis saluari:& de ea re facta esset disceptatio non minima,Paulo & Barnaba cõtradicentibus: statim congregantur,veniente Paulo,& alijs in Hierusalẽ ad eos: fitq; in concilio Apostolorũ,& seniorũ magna cõquisitio,& audiebantur omnes:& tandem cõstituitur certa sententia, dicentibus Apostolis,& seniorib·cũ omni Ecclesia, visum est Spiritui sancto & nobis,&c.Nónne hoc exemplar semper in Ecclesia præ oculis fuit omniũ:vt insurgente dubitatione fidei,conciliũ cogeretur:& ex prouincijs singulis,& ex toto orbẽ? & proditum est historijs,eo tẽpore, quo propter persecutiones cogi cõcilia nõ potuerũt,nec in vnũ cõueniri à Christianis,hæreses & ortas fuisse,& viguisse,quousq; tandẽ reddita pace, maximè per Constantinum magnum Imperatorem,licitum fuit,conuentus fieri Christianorum:& de communibus rebus cõmuniter tractare. Ostendit hoc magnũ illud,& sanctissimum Nicænũ cõcilium, & quæ post illud sequuta sunt.Quanquam & ante ista non defuerunt multa alia,Aphricana quidem,sub Cypriano, & prædecessoribus suis.Et Romæ etiam, sub Marcellino, & alijs legimus frequentissima concilia ita illis temporibus celebrata: vt non solùm singulæ prouinciæ inter se conuenirent, sed sibi inuicem etiam per literas communicarent sua consilia, atque sententias:agnoscentibus semper omnibus,rem fidei conuenienter non posse tractari priuatim apud aliquem, aut etiam multos,sed omnium,ad quas fides pertinet, Ecclesiarum communi consensu.Itaque quod ratio ipsa vnitatis fidei, quã Deus ab omnibus exigit,primò nobis ostendit,de vno certo iudicio,cõmuniq; omnibus necessario:id etiam hæc manifestissima cõsuetudo,& sensus Ecclesiæ perpetuus cõfirmant. His ergo duabus rationib.in hac sententia ita permaneamus,vt nulla ratione permitta-

Cap. 4. Esse vnum, visibile, & certum iudiciũ in dubijs fidei, cùm sint sub vno omnes in Ecclesia, probatur ex vnitate fidei.

Cap.5. Idem probatur ex perpetua consuetudine totius Ecclesiæ. Actor.15.

mittamus nos ab ea diuelli, vnum est necessariũ in Ecclesia fidei iudicium, vnum semper agnitũ fuit in Ecclesia, sicut vna fides.

Cap. 5.

Brẽtij sententia de auctoritate principũ secularium in controuersis fidei detegitur, & impugnatur manifesta experientia.

Hoc tantopere ideo commendamus, & repetimus, quoniã non satis mirari possumus, quanta calliditate, & versutia nostris ab aduersarijs auferatur, etiam quum maximè illud videntur asserere. Certè in his Brentij prolegomenis, hoc præcipuè agi video, vt hoc iudicium incertum, & promiscuum ita credatur: vt quilibet apud se iudex fidei iure esse sibi videri possit. Attentè igitur considerandum est, quorum hoc iudicium fidei sit, ad quos pertineat iudicare, & definire fidei controuersias. Nam Brentius episcopos, pastores scilicet, & doctores Ecclesiæ, etiam si sancti, & docti sint, reijcit ab hoc iudicio: & principibus secularibus, & his, quos ipsi ad hoc accersierunt, illud in totum permittit. Nouum certè, & inauditum hucusque in Germania, & in Ecclesia vsque ad Henrici octaui, Angliæ regis extinctum iam Dei misericordia schisma: sed ita manifestè nunc exuscitatur à Brentio, vt vix ipse cùm legerem, credere possem. Quare sunt nobis eius verba referenda: Sic enim in principio primi sui loci, quem de officio principum secularium in Ecclesia Christi filij Dei nominat, post non pauca in prælatos obiecta crimina: ostendemus (inquit) Diuina clemẽtia adiuti, quòd non ad prælatos illos tantùm, imò ne quidem vlla ex parte ad ipsos, quippe qui iam non sunt Ecclesiæ membra: sed præcipuè ad pios principes, & ad eos, qui tam ex ministrorum Ecclesiæ numero, quàm ex reliquo hominum, qui doctrinam Christi agnoscunt, cœtu in consilium adhibentur, pertineat de doctrina religionis cognoscere, & iudicare. Deinde apertiùs: perspicuũ, inquit, est, quòd vt priuatus priuatam, ita princeps publicã habeat de doctrina religionis potestatem, iudicãdi, & decidendi. Et deinde, vanissimum esse, dicit, quòd ego nunc hic, nunc illic in scripto meo (vt inquit) balbutio: principes, & populos, nec posse, nec valere, nec debere dissensionẽ hanc circa fidẽ definire. Vnde tande in peroratione huius primi loci, meminerint (ait) principes esse sui officij, nõ vt politica tantùm curent, sed in hoc quoq; incũbant, vt & ipsi cognoscãt, quæ sit vera, pia, ac efficax doctrina ad salutẽ, & qua cognouerunt in Ecclesijs suarum

rũ regionũ summa, qua possunt, opera instituãt, & conseruent. Hęc sunt noua Brentij adinuenta, quæ nõ opus est impugnare, quæ seipsa manifestè destruunt, & pernicies ipsa sunt præsentissima, & manifestissima & spiritualis, & temporalis boni totius Christianę Reip. perpetuã enim diuisionẽ in regno Christi adserunt. Quare nõ alio hic opus esset negotio, vt agnoscerent homines, qualis sit eorũ, qui se semel errori deuouerunt sensus, & quàm cæca iudicia, quàm vt apertè hoc illi confiterentur. Certè in hac causa fãteor, me imparem esse, qui possim sanare vulnera & apostemata errorum præsentiũ: sed hoc nomine mihi gaudeo, quòd potuerim detegere virus latens, & absconditũ, quòdque eò traxerim Brentium, vt in tam apertam contradictionem, quam nunc videmus occultè latuisse in eorum cordibus, quamuis nonnunquam per iudicia quædam se proderet manifestè proruperit. Hucusque Concilium generale præ se ferebant, ad illud semper appellabant, & Tridentinum in comitijs publicis Augustæ susceperunt se adituros, & hæc ipsa confessio, quam impugnauimus ibi oblata est, quorsum ergo hæc omnia; si soli principes, & quos illi vocauerunt, & non episcopi definire possunt controuersiam fidei. Certè cùm illa dicere tis, & Concilium vniuersale haberetis in ore, hæc latebant: vos illi nullam fidem daturos, nisi quæ vobis placuissent, definiretur. Denique ad vestros principes omnia vos reseruare: quod cùm iam apertè dixeris Brenti, iam non est, cur specie illa Concilij generalis amplius fallatis Ecclesiam. dicite apertè, vos nullos alios agnoscere, quàm principes vestros, dicite mendaciter & subdolè vos priùs dixisse, discrimen esse inter principum officium, & episcoporum munus, confundite prophanum, & sanctum: & apertè dicite Conciliũ Tridentium vos nunquã agnouisse in quo per episcopos solos causa, agebatur fidei: sed simulatè illud adisse, vel iam post illa mutasse vos sententiam, & fidem. Dele igitur, non quod illustrissimus Dux (nam non illi tribuo, sed tibi, qui auctorem te ostendisti huius Cõfessionis) dele inquã, quod in præfationem eius subdolè, & hypocriticè dixisti, non ignoramus discrimen esse inter politicam, & ecclesiasticam functionem, & denique die, non curandam vnitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidei à Christianis, sed cuilibet principi posse suam constare fidem, neque posse alium, præcipuè qui non est eius superior, rationem ab eo exigere, aut cum eo tractare, & cùm constet in Ecclesia plures esse principes, quorum nullus alteri subditus est, necessariò fiet, vt cuilibet sua fides permittatur. Habeat regnum Galliæ, quam volet Rex eius: siquidem ille est, ad quem pertinet de ea definire, quia primum membrum est illius regni, nec in tota illa superiorẽ agnoscit. Habeat regnum Hispaniæ similiter sui Regis fidem, quod nunquam vllus Christianorum Regum præter vnum illum, quem diximus, ausus est, cuius temeritatem Deus ita puniuit, & manifestam toti orbi fecit, vt vel hoc solùm non minima sit confirmatio veritatis. Denique secundum hanc Brentij sententiam nulla est ratio, aut via fidem vnam seruandi in Ecclesia, nisi Deus suo spiritu, & oraculo non tantùm interiùs ostendat: sed exteriùs etiam insonet sententiam & definitionem, in qualibet controuersia fidei habeat, permittente Brentio, quælibet Respublica superioris sui fidem: quælibet inquam, sed excepta vestra Germania. Nam in ea non permittetis Imperatori vestro, vt quicquam vobis definiat de fide. Scitis enim quid ille sentiat, & quid definierit, sed modestia qua decebat catholicum principem, nostis: nec latet totum orbem Christianum, quid egeritis pro vestra, quam dicitis, religione contra vestrum Imperatorem.

Cap. 7. Quòd illa Brẽtij sententia omnẽ vnitatem Ecclesiæ destruat.

Sed quid de his loquor tanta temeritate, & inconsideratione à Brentio nunc assertis, nisi quòd tam sunt absona, vt satis explicari non possint. Inferiùs ostendemus contra statum temporalem Reipublicæ illa esse, contra omnem principum auctoritatem, intestina, & ciuilia bella, inextinguibilia gignere: Nunc autem ostendimus spiritualia omnia, fidemque, & vnitatem eius omnino auferre. Nam multò apertiùs est fallum, quod cuilibet permittit eligere sibi proprio iudicio fidem, & quid, permittit, dico? Præcipit etiam sub dispendio salutis æternæ. Hæc enim sunt eius verba: Cùm iam cæcus agitur in stabilienda hac
" principum suorum auctoritate, simulque, vt probatum est,
" destruenda: nullo modo licitum est, in causa æternæ salutis
" alienæ sententiæ ita inhærere, vt eam sine nostro ipsorum iudicio

dicio amplectamur: vt videlicet quot capita, tot iudicia sint, in " fide, nullusque sit Rex in Israël: sed vnusquisque quod sibi vi- " debitur verum, id faciet. An non licebit mihi hic exclamare " iustiùs, quàm Brentio, O miseram Ecclesiæ conditionem, imò ô miserrimam confusionem Babylonicam, & tenebras Aegyptias? vt nullus videat proximum suum, neque quidem curet. O certè infelicem conditionem hominum, qui nullum sequi possunt, nulli credere, etiam de rebus, quæ proprium excedunt captum, & ingenium: sed suum proprium iudicium, quod se habere non posse cognoscunt, quotquot se agnoscunt scripturæ sacræ ignaros, sequantur: Hoc enim significant illa verba, nullo modo licitum alienæ inhærere sententiæ sine proprio iudicio. Sed de hoc sequenti loco Christo dante pluribus: Nunc autem satis sit ad hoc impossibile duxisse bis etiam Brentium: vt primò in politica gubernatione nulla agnoscatur superiorum auctoritas in causa fidei: in qua tamen tenentur illi omnibus viribus curare, vt seruetur, quam putant, vera fides: nullus tamen, nisi ita crediderit, obedire tenetur. Deinde vt similiter in negotio salutis æternæ, & Ecclesiastico ordine, nulla sit vnitas, nec teneatur quis alteri obedire contra suum iudicium: imò nec posset saluari, nisi proprium habeat iudicium, & illud sequatur: ad hæc duo tam absona ducentes eos, qui sequuntur illam sententiam. Ostendimus quàm sit ipsa absurda, & quàm meritò ab omnibus hominibus cum summa indignatione reijcienda. Principes reijciant illam, quæ omni suæ auctoritati repugnat, & imponit eis, vt summis viribus conentur efficere cum subditis, quod illi, nisi voluerint ex propria sententia, curare non debent: reijciant subditi cuiuscunque ordinis: sed maximè simplices, & plebei illam, quæ nec saluare eos posse asserit, si non proprium habeant iudicium adhibito studio, & diligentia omni in inquirenda scriptura erga difficillimas quæstiones fidei. Ita vt non possint, humili obedientia, aliorum fidei adhærentes in tranquillitate agere: denique reijciant omnes illam, quæ omnes turbat, & confundit, & contra seipsos armat.

Cap. 8. Quòd quæstio hæc, cuius sit definire dubia fidei, ex ordine Ecclesiæ pendet, qui inter cætera Dei opera meritò est admirandus.

Quia verò hæc falsitatem ostendunt tantùm, & quasi ad homi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominem sunt, nunc Spiritu sancto adiuuante confirmandum est nobis ex proprijs principijs, quorum sit in Ecclesia definire dubia, & controuersias fidei, & religionis: quod eò tendit, vt perspiciatur quis sit ordo Ecclesiæ, qui gradus, quæ inter eos connexio, & habitudo. Denique qua diuina ratione, quasi catena quadam indissolubili tota connectatur, & gubernetur Ecclesia, hoc enim ad summam rerum pertinet: quod in præsatione nostræ catholicæ assertionis breuissimè, sed verissimè comprehendi sumus dicere: neque, quod ad rem pertinet, nos dixisse pœnitet. Sed quia vnicam illam præfationem omnibus suis prolegomenis Brentius maximè conatur euertere, ostendenda est catholica veritas de diuersitate graduum, & functionum, eorumque ordine, & vnitate in Ecclesia. Vt enim ibi diximus, in qualibet multitudine non confusa, non insipienter, aut casu, sed prudenti, vereque sapienti iudicio congregata, maximum est ordo: vnde vnitas manat, & ad quem diuersitas graduum requiritur: quod in vniuerso hoc creaturarum omnium maximè ostenditur, dicente scriptura: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: & experientia nos docet, quantum ordo creaturarum admirabili diuersitate, & consonantia velut harmonia quadam dulcissima, diuinas laudes prædicet, quo fit, vt si quis hunc ordinem peruertat: aut doctrina sua infamet, & confundat, meritò inimicus creaturarum omnium, atque Dei ipsius iudicetur. Multò igitur iustius Ecclesia, nobilior certè, & pulchrior cælis ipsis corporeis, imò omnibus in suis naturis consideratis creaturis (est enim nouus ille mundus, nouum cælum. & noua terra à Deo ædificata, in quo Paulus inquit, quòd facta sunt omnia noua, & vetera transierunt) maximè Deum glorificat ordine suo, & diuersitate graduum, sed distributione certissima, & constantissima: nec solum Deum glorificat: sed confert quamplurimùm hominibus, & in admirationem quandam diuinæ bonitatis adducit considerantes omnes, atque ædificat, & oblectat quæcunque enim anima id attentè considerauerit, superabitur magnitudine tanti splendoris: & agnoscet in his diuina opera, multò iustiùs, multò delectabiliùs

Matth. 12. & vtiliùs quàm regina illa Saba, quæ à finibus terræ venit audire

dire sapientiam Salomonis. Nam reuera plus quàm Salomon hic, in Ecclesia scilicet nostra Christus, cuius vmbra erat quicquid boni in Salomone fuit: in quo nihil mali, quod in eo fuit, deprehendi potest. Si igitur illa videns domũ, quã ædificauerat Salomõ, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorũ, & ordines 3. Regũ. 5.
ministrantiũ, & holocausta: nõ habebat vltra spiritũ, & clamabat: verus est sermo, quẽ audiui de sapiẽtia tua, & maior est sapiẽtia tua, & opera tua, q̃ rumor, quẽ audiui, Beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam: sit dominus Deus tuus benedictus: quantò rectiùs hoc dicet, quicunque domus huius veri Salomonis Ecclesiæ scilicet, considerauerit pulchritudinem, & ordines ministrantium, vestesque, & habitacula eorum: prorumpet in admirationem, & ædificabitur ad fidem. & dicet meritò, verè plus quàm Salomon hic. Qui igitur hunc ordinem confundit sua doctrina, & harmoniam hanc dissoluit, grauiùs peccat, quàm qui in totum hunc mundum idem agit, & diuinæ maiestatis læsæ reus est, cuius meliora, & digniora peruertit opera. Et sicut vniuersum nullus satis admirari potest, nec eius admirabilem ordinem vel cogitare, non dicam eloqui, eodem modo imò longè magis Ecclesiæ Christi ordinem: vnde pulchritudo omnis, & perfectio eius est, ad quem reliqua omnia ordinantur & in quo continentur, nullius ingenij perspicacia digne cogitare, nullius eloquentia dicere valet. Nos igitur in hoc loco non laudandum suscepimus hunc ordinem, sed ostendendum tantùm, & monstrandũ, vindicandumque à confusione nouatorum. Interim verò satis sit admonuisse omnes ad hoc cogitandum, quod nos præstare non possumus: atque vtinam vel id, quod assumimus, pro dignitate, vel ex parte aliqua tractare possemus. sed iam ad rem.

Cap. 9. Quòd cùm in Ecclesia nihil sine ordine fiat, maxime tamen circa doctrinã fuerit ordo à Christo institutus.

Si in omnibus Ecclesiæ functionibus nihil nisi ordinatè à Deo institutum est, nihil ab illa nisi summo ordine fit, si vt exemplo dicamus, baptismus summa ordinis cõgruentia peragitur, si sacra synaxis ordinatissimè celebratur, si denique diuinarum laudũ tempora, & verba ordinatissima sunt, Deo ita agente, qui Ecclesiam suam gubernat: quantò putandum est ordinatiùs fieri oportere, quæ ad doctrinam pertinent, quam Paulus,

lus, & Christus, atque prophetæ inter Ecclesiastica munia su-
1.Corin.10. premo loco collocant? Non, ait Paulus, Misit me Christus ba-
Esa.63. ptizare, sed euangelizare. Et Esaias ex persona Christi: spiritus
ait, domini super me, euangelizare pauperibus misit me: quem
Lucæ.4. locum & Christus ipse dignatus est in synagoga legere, & sua
postea sententia confirmare, & explere opere: quia & alijs, in-
quit, ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia
ideo missus sum, & mox Euangelista, & erat, inquit, prædi-
cans in Synagogis Galileæ: quæ ostendunt, quantum sit hoc
euangelizandi munus, quanti à Deo ipso fiat. Non ergo per-
mittit vlla ratio cogitare, id sine certo ordine relictum à Deo:
sed quicquid ad hoc munus pertinet, summo ordine con-
stitutum esse, credendum est: & in primis, quoniam & id pri-
mum est, institutio ministrorum ad hoc munus quomodo sine
ordine fieri potuit? imò quis non videt apertissimè Christum,
cùm ad prędicādum suos mitteret, cùm præsens esset in carne,
Lucæ 6. summo id fecisse ordine? Primò enim, Euāgelistis narrantibus
Mat.10. duodecim eligit ex discipulis, quos & Apostolos nominauit:
Lucæ 9. Deinde illos mittit prædicare regnum Dei, & posteà alios se-
Lucæ 10. ptuaginta, duos designat inferiori, vt manifestè patet, gradu:
quos ante faciem suam etiam mittit in omnem ciuitatem, &c.
In quibus manifestè ordo ostenditur inter ministros ipsos: vt
videlicet non sit confusio docentium, vnde & doctrinæ ipsius
necessariò confusio sequeretur. Dum enim inter doctores nul
lus alium agnosceret superiorem, fieret, vt nullus alij cederet,
aut consentiret: atque ita confunderetur doctrina. Constituū-
tur statim duodecim, quia ab ipso principio prædicationis
Christi ei adhæserant, & rerum omnium testes fuerant vsque
Acto.1. ad ascensionem suam, vt Petrus inquit. His summa rerum com
mittitur circa doctrinam: sequuntur hos septuaginta illi, vt in-
telligant se sub illis esse, & nihil sua temeritate aggredi debere:
Denique inter duodecim ipsos, quos Deus voluit quasi neces-
sarios testes tantarum rerum toti mundo esse, & in primis Iu-
daico populo, tanta, Spiritu sancto in eis agente, seruata est
concordia, tanta vnitas in doctrina: vt cùm in die Pentecostes
astaret Petrus cum vndecim ante vniuersum populum, ipse ta-
men

men solus loqueretur, & diceret: & nos huius rei testes sumus,
de resurrectione Christi loquens, cæteri verò ipso suo silentio
ei attestabantur: & sic deinceps, & in concilio, & vbique, astan-
tibus cæteris vnus loquebatur Petrus, quem suprà ostendimus
constitutum à Christo vnitatis caput, & originem: vt vnitatem
agnoscamus, & concordiam doctrinæ necessariam, quæ sine
ordine esse nō possunt. Denique & Paulus ipse, seorsum quo-
dammodo ab his duodecim electus à Deo, huic numero addi-
tus, cùm à Deo edoctus esset, & per reuelationem Iesu Christi
Euangelium suscepisset: tamen non omittit, vt ostendimus su-
prà, humanæ rationis ad vnitatem seruandam, & ordinem
agnoscendum diligentiam. Reuelatione itaque Diuina asce
disse se dicit Hierosolymam, & contuli, ait, euangelium, quod ad Gal.2.
prædico in gentibus, cum illis, & seorsum his qui videbantur
aliquid esse, ne fortè in vanum currerem, aut cucurrissem. Et
eodem loco apertiùs hoc indicans de Petro, & Iacobo, & Ioan
ne dicit: quòd videbantur columnæ esse, quo significat agni-
tos esse ab alijs, vt excellentiores, & inter ipsos Apostolos cùm
simul agerent summam rei tractasse. Quod ergo tanto ordine
à Christo institutum est, & ab ipsis Apostolis obseruatum,
quis non intelligit non permissurum Deum, vt sine ordine in
Ecclesia sua tractetur? Vnde sicut meritò nullum agnoscimus Cap. 10.
prædicatorem præter hos, quos Christus misit, & eos, qui in Dubia fidei
hoc ordine ipsis succedunt ab eis descendentes, vt suprà osten definire ad
sum est, ita etiam & inter hos illis succedentes, & inter quosli- episcopos,
bet denique legitimos prædicatores, & ministros verbi nullū & genera-
agnoscimus, nisi secundum ordinem, qui in illis fuit docentē, le Conciliū
& vnitatem seruantem: nullum, inquam, agnoscimus, qui in do- atq; Roma-
ctrina episcopis non pareat, non illos sequatur, qui locū Apo- num pontifi
stolorum tenent: Nec inter episcopos quenquam, qui non vni cem pertine
tatem colat, & in doctrina cum his conferat, ab his dexteras re, ex ordi-
accipiat, qui maiores sunt: vt episcopi ab archiepiscopis, & pri ne supradi-
matibus illi à primis, & summis patriarchis: & denique omnes cto, & con
cum eo, qui Petro succedit, conspirent, eidemque fidei atte- suetudine
stentur. Atque hoc ordine fit, vt in Ecclesia præsens sem Ecclesiæ
per habeamus iudicium in controuersijs fidei: vt cùm de con- probatur.

sensu

sensu patrum,& primę Ecclesiæ circa dogma aliquod quæstio versatur,habeamus iudicium simile illi,ad quod Paulus,& Barnabas retulerunt quæstionem de circuncisione: vt ad illud, si opus fuerit, referamus dubia nostra,& nulla sit in Ecclesia circa doctrinam controuersia,nulla confusio: sed mox vt orta fuerit dubitatio,& sententiarum contrarietas,nouerimus, quo fine terminanda sit. Ex his itaque omnibus colligamus. Iam ab ipso fonte institutiones Christi, quod docere fidem ad nullum pertinet nisi ad Christum,quem Pater misit ad Apostolos,quibus ille inquit,Sicut misit me Pater, ego mitto vos: & ad illos denique, quos Apostoli primò miserunt, & qui posteà ab his missi sunt.Nullum audimus nisi per hoc ostium intrantem, nisi missionis suæ manifesta testimonia habentem:nullum inquã, etiam si millies clamet interiùs se à Spiritu sancto mitti, & vrgeri ad prædicandum, nisi id Ecclesię manifestis signis, & quidem miraculis Spiritus sancti ostensum fuerit. Quòd si nullũ admittimus ad prædicandum, & docendum euangelium, nisi hoc ordine,multò minus nullum admittimus ad definienda dubia circa prædicationem fidei, nullius agnoscimus iudicium, nisi ex illis sit,qui ad prædicandum sunt missi, & ordinem illũ inter doctores constitutum à Deo agnoscat,& sequatur. Nec enim dubitari potest maximum, & supremum omnium, quæ circa doctrinam sunt,esse dubia,& controuersias definire,maius est hoc,quàm docere: vel vt veriùs dicamus:hic est summus actus docendi,hoc est,difficiliora docere,dubia scilicet,docere doctores ipsos,docere totam Ecclesiã. Est ergo hic supremus docendi actus, supremus gradus, nulla itaque ratione ei competere valet,cui non commissa est doctrina, imò nec omni, cui illa commissa est, hoc competere potest: sed summis tantùm,atq; supremis,hoc est episcopis,sic consentientibus,& eo ordine à Deo cõstituto vnitis, quo Apostolos vidimus vnitos,& ordinatos, quod est Concilium episcoporum, & aliorũ ministrorum Christi præcipuè doctorum:sunt enim & alij post episcopos,& sub illis, quale illud fuit quod Hierosolymis congregatum erat, de quo proximè diximus: & post diffusam per totum orbem Ecclesiam,coguntur diuersa concilia vel ex singulis

gulis prouincijs, aut regnis, vel ex toto etiam orbe, id quod post illud primum Concilium Apostolorum, vt proximè etiã diximus, semper seruatũ fuisse tota antiquitatis historia ostendit.Nouimus congregata Concilia ex toto orbe,vt Nicęnum, Ephesinum,& cætera vniuersalia:sed ea, quæ per singulas prouincias cogebantur,apertè videmus consensum etiam aliarum Ecclesiarum,& totius orbis, auctoritate, præcipuè Romanæ Ecclesiæ, ad quam scribebant,atque, vt testatur Cassiodorus, eius auctoritas ante mille annos in celebrandis Concilijs necessaria agnoscebatur secundum Ecclesiasticam regulam.Scribũt itaque frequenter ex prouincialibus Concilijs ad Romanos pontifices,vt auctoritate Apostolicæ sedis confirmentur, quæ ipsi constituerunt:Pro tuenda, inquit concilium Carthaginense in epistola ad Innocentium,multorum salute,non nunc agimus,vt omnia,quæ ad hoc pertinent,explicentur: id duntaxat huic proposito sufficiat,quòd manifestè constat iudicium circa dubia fidei illorum duntaxat esse, quorum est ipsam docere: constat, inquam, hoc ex ipsa institutione Christi, & ex perpetua Ecclesiæ consuetudine. Quando seculares principes, siue reges legimus dubia fidei defuisse inter tanta Concilia, quę certissimum est à Constantini tempore celebrata in Ecclesia?non reges, non principes seculares,sed episcopi dixerunt sentẽtias, ab illis susceperunt ipsi. apertissima sunt ea,quę Constantinus patribus Nicęni Concilij loquitur,vos Dij estis, non debetis ab hominibus iudicari: & hoc quidem ille etiam de temporalib. causis,dicebat: quantò verò magis de fide ipsa ad eos referendum putauit, à quibus vt instrueretur postulabat,& quid plura opus est,ostendat nobis Brentius in quo vnquam Concilio seculares principes sederunt vt iudices,& definierunt. Mirandum est certè,quòd rem tam manifestam negare sit ausus.Nunquid putabat nullum esse, qui hãc manifestissimam consuetudinem Ecclesię agnosceret: cùm certè magis dubitare posset, an inueniri valerèt vel vnus, cui res tam certa nota non esset?adeò ne putas, Brenti, despipuisse omnes Christianos, vt tu possis eis persuadere nulla ex parte ad episcopos pertinere in Concilijs,vbi de fide agitur,interesse, & definire,

Tripar. hist. lib.4. cap.9.

Cap. 11. Ab episcopis, & non à secularibus, principib. definienda dubia fidei, probatur ex 4. primæ auctoritatis concilijs, maximeq; Chalcedonensi.

sed omnino ad principes seculares? quasi hoc aliquando in Ecclesia consuetum fuerit: cùm nullus sit, qui non certò intelligat Concilia semper ex episcopis coacta esse. Agnoscitis in confessione vestra Concilium Nicænum, illud ex trecentis decem & octo episcopis constitit, agnoscitis Constantinopolitanum, illud à 150. episcopis celebratum est: Denique Ephesinum, Chalcedonense, quæ pariter confitemini, ex episcopis fuerunt, nec vlla mentio, quod attinet ad causas fidei definiendas, principũ secularium, regum, vel imperatorum fit, sed hoc tantùm manifestè legimus, astitisse imperatores, & sua auctoritate præstitisse, vt ritè peragerentur, & peracta obseruarentur, & tenerentur ab omnibus. Et ne quis calumniosè respondeat, in quibusdam antiquis Concilijs interfuisse iudices ab imperatore datos, vel ipsos etiam imperatores, quorum iussu, & sententia omnia fiebant, vt synodus sexta, atque septima ostendunt: qualiter id, & qua ratione sit accipiendum ex verbis Chalcedonensis synodi ostendamus, quorum superiori loco mentionem fecimus. Sed quoniam ad hæc, de quibus nunc agimus, confirmanda plurimùm valent, audienda sunt à principio. Sic igitur in relatione ad papam Leonem, vt habetur actione tertia, scribunt congregati episcopi: replotum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione: hanc tanquam propriam nobis prophetiam gratia coaptauit, à quibus pietatis est restitutio confirmata. hoc dicunt propter damnatam hæresim Eutychetis, de confusione naturarum in Christo. Audi quod sequitur: quid enim, inquiunt, fide sublimius ad lętandum? quid agnitione dominica festiuius ad coronas? ostendũt in his causam sui gaudij esse quod vera fides, & Christi doctrina fuisset agnita, & quasi de tenebris educta in eo Concilio. Sed audi iam illos ostendentes Concilij sui originem, ordinem, & auctoritatem, & confirmantes omnia, quæ diximus: sic igitur loquuntur de agnitione dominica, ostendentes quid agnouerint à Christo sibi præceptũ: quam nobis olim Saluator ipse tradidit ad salutem, inquiens, Eũntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docẽtes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis: quam velut auro textam seriem, ex veste

veste Christi, & præcepto legislatoris venientem vsque ad nos, ipse seruasti vocis beati Petri omnibus factus interpres, eius fidei beatificationem super omnes adducens. Vides qualiter ex missione Christi suam auctoritatem intelligunt deriuatam, & serie successionis, tanquam vestem contextam, vnius successoris Petri cognitione vnitã. En itaque originem, & ordinem, quibus Concilia constãt. Audi adhuc, quæ sequuntur, vnde & nos, inquiunt, vt in coactore bonorum te ad vtilitatem vtentes Ecclesiæ filijs hæreditatẽ, sortemque veritatis ostendimus: non sigillatim faciente in occulto vnoquoque doctrinam, sed vno spiritu, vna conspiratione, atque concordia confessionem fidei declarantes: & eramus in communi corona gaudij, quasi in imperialibus cœnis, delitijs spiritualibus epulantes, quas per tuas literas Christus præparauerat inuitatis: & supercæleſtem sponsam inter nos conuersantem, nos cernere putabamus: si enim vbi sunt duo, aut tres congregati in nomine eius, ibi se in medio eorum fore perhibuit, quantam circa sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui & patriæ, & liberis suæ confessionis notitiam protulerunt: quibus tu quidem, sicut mens eis, caput, præeras in his, qui tuum tenebant ordinem beneuolentiam præferens. Imperatores verò ad ornandum decentissimè præsidebant, sicut Zorobabel Iesu Ecclesiæ Hierusalem ædificationem renouare circa dogmata adnitentes. Hæc dicit synodus Chalcedonensis, quam in sua confessione venerantur Vvirtenbergẽses, ibi agnoscunt, vt caput Romanũ pontificem: ab eo se congregatos fatentur, literas eius suscipiunt de fide, & agnoscunt ex auctoritate prędicandi, quam à Christo habent, sed in Concilio conuenire, & dubia definire fidei: Imperatores verò ornare, & adiuuare, vt veritas dogmatum restauretur. Hæc inquam est synodus Chalcedonensis sancta, vt Gelasius inquit, mediante Martiano Augusto, in qua Nestoriana, & Eutychiana hæreses damnatæ sunt, hîc erant sexcenti triginta episcopi: Et ne testimonium hoc episcoporum suspectum ab aliquo haberi possit in eodem Concilio habemus Martiani imperatoris manifestam confessionem, actione enim sexta Concilium alloquitur, sanctam (inquiens) synodum hoc studio fieri

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtatuimus, quatenus omni errore,& caligine terſa, religio noſtra, quæ pura,& ſancta eſt, prout Deus ſe manifeſtare voluit, & doctrina patrum oſtendit, vniuerſorum mentibus inſinuata ſuæ veritatis luce fulgeſcat: & poſteà, nos(ait)non ad potentiam aliquam exercendam,ſed ad fidem corroborandam exemplo religioſi principis Conſtantini ſynodo intereſſe voluimus. In quinta etiã,& ſexta,atq; ſeptima ſynodis aperta ſunt imperatorũ de hac re teſtimonia. Igitur contra tanta,& tã manifeſtiſſima teſtimonia, qua temeritate audet aliquis contrariũ aſſere re?& vnico verbo ab ipſis Apoſtolis vſque in hodiernum diem conſuetudinem conſeruatam velle conuellere?quod nullus vnquam auſus eſt vſurpare, quod ſemper delatum eſt ab omnib. ad epiſcopos tam breui momento Brentius auferet?certè hoc non eſt neque modeſtè de omnium hominum iudicijs ſentire, nec de ſe quidem. Dicam tibi Brenti qui ſis, ergo tu es ſolus homo:& tecum morietur ſapientia.Erratum eſt in Eccleſia totis mille quingentis annis: erratum eſt ab omnibus principibus in Germania, quoties Concilium generale ferendum eſſe, & quidem à Romano pontifice iudicarunt:errauit & imperator, qui hoc in gratiam Germaniæ curauit. Hæc omnia tam manifeſta ſunt,vt reprehendi poſſim,quòd tam aperta putauerim referenda eſſe: ſed etiam ſi nihil horum, quæ tam manifeſta ſunt haberemus: meritò ſententiam hanc Brentij nihil vel probabile,vel veriſimile habere ex ipſa Chriſti inſtitutione cõſtat. Oſtendat Brentius vbi Chriſtus poteſtatem euangelium prædicandi ſecularibus principibus dederit,oſtẽdat ſi aliquando dictum eſt eis,Docete omnes gentes:quod ſi hæc affirmãs, meritò irrideri poteſt(quid enim maiori irriſione dignũ,quàm quòd ſeculares principes,eo ipſo quòd principatum tenent,& membra ſunt nobiliſſima Eccleſiæ, poteſtatem habeant illius ſupremi muneris, ad quod Chriſtus miſſus eſt à Patre, & ipſe Apoſtolos miſit, aſſerere) meritò multò magis irridendus eſt, qui ad eos tranſfert auctoritatem dubia fidei definiendi, quod non aliud eſt,quàm ſupremus doctrinæ actus.Itaque & inſtitutioni Chriſti certiſſimè,& conſuetudini Eccleſię repugnat,hęc temeritas,& hæc oſtendunt ad doctores Eccleſiæ,hoc eſt: epiſcopos,

ſcopos,& per eos ad id miſſos,tantummodo pertinere hoc iudicium. Sed quò veritas hæc magis oſtendatur,& confirmentur pij,attentiùs eſt hoc tractandum,& altiùs exordiendum:conſtat ſanè docente Paulo ſublimiores poteſtates regũ, & principum etiam infidelium, & impiorum à Deo & eſſe, & ordinari: quare iuxta hanc ordinationem parendum illis eſſe, eodem loco docet:non ſolùm, inquit,propter iram,ſed etiam propter conſcientiam:&,qui reſiſtit poteſtati,Dei ordinationi reſiſtit:qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Hoc eo tempore Paulus docet,quo omnes principes infideles erant, & hanc Dei ordinationem docet, tanti eſſe faciendam, vt & pro illis orare præcipiat in Eccleſia huic etiam doctrinæ concordans Petrus Apoſtolus à Deo illos conſtitutos eſſe dicit, Subiecti,inquiens,eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum,ſiue regi,quaſi præcellenti,ſiue ducibus,tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei:quibus Apoſtolicis teſtimonijs, principum ſecularium poteſtas,& confirmatur, & proprijs terminis circunſcribitur: dum enim à Deo eſſe poteſtas hæc ſecularis dicitur,origo oſtenditur,atque principium eius: ordinatio ſcilicet diuina, ordinatio inquam, non lege aliqua externa,& poſitiua,quam vocant promulgata, ſed naturæ ipſi indicta, eo lumine,quod ſignatum ſuper nos Pſalmiſta dicit, quod meritò legem naturæ vocarunt,quia regula quædam ſit, quæ obligat,& aſtringit omnes homines,vt rationabiliter,ſapienterque iuxta naturam ſuam viuant.Hæc eſt lex quæ quicquid in decalogo Deus locutus eſt, & in lapide poſteà ſculpſit, docet omnes, & cordib.indelebiliter inſcribit. propter quod Paulus inquit de gentibus bona operantibus, quòd legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex,qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis:ab hac lege cordibus hominum inditum eſt multitudinem omnem gubernatore egere, nec poſſe pacificè,& ordinatè in ſocietate coire homines, niſi poteſtas aliqua ſit, quæ in officio omnes contineat,malefactores puniat,& remuneret bonos,itaque in hac parte natura ipſa à Deo eius auctore didicit,nõ tantùm hominibus legem neceſſariam eſſe, quia quid

Cap.12. De origine poteſtatis ſeculariũ principum,vt inde, quò perueniat, agnoſci poßit.

ad Rom.13.

1.Timoth.2.

1.Pet.2.

Rom.2.

facere,&quid cauere debeat præcipiatur: sed etiam vt lex hæc vnum,& præsentem propugnatorem, ac vindicem habeat: ne videlicet impunè liceat ab hominibus,hanc diuinæ procul dubio ordinationis maiestatem præteriri, & contemni: nullique sit liberum, imaginem hanc diuinam, cuius hæc lex maxima pars est:qua cæteris præcellimus,animantibus,in Dei,& homi num omnium iniuriam conspurcare,& violare, docuit itaque natura,quòd leges omnes posteriores amplexæ sunt,siue coactiua vi,siue præmijs,& pœnis,siue præsente executore minus efficaces esse leges omnes: & quidem habet hæc lex naturæ etiam in ipsis cordibus suum defensorem, suum executorem, & vt ita dicam carnificem,punientem transgressiones, quæ est reprehensio ipsa cordis: arguet,inquit propheta, te malitia tua, quam & Paulus vocat conscientiam,& cogitationem accusan tem in iudicio Dei, sicut adest etiam in animo præmium bono rum operũ,quies,& tranquillitas conscientiæ. Hæc enim duo tam naturaliter nobis hærent, vt in æternum non separentur à nobis.pœna enim illa,quæ torquet peccantem inęternũ, non separatur ab eo, nec ipso igne minor est. Ignis eorum, inquit Propheta,non extinguitur,& vermis eorum nõ moritur. Vermem manifestè hanc accusationem cõscientiæ intelligens quę non minima est,vt diximus, damnationis portio: sicut bonæ conscientiæ testimonium non minima pars æternæ remunera tionis credenda est. Dicite,inquit,Propheta,iusto quoniam be ne:quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Hæc etsi verbis sacræ Scripturę probauimus, quę solis fidelibus loquitur, certissimè tamen infidelibus etiam futura non dubitamus,quippe quę naturalem legem sequuntur:& eidem tanquã satellites quidam assistunt. quæ quanquam ita sint, voluit eadẽ natura,vt propter minùs sapientes, propter propensionem ho minum in malum,& multitudinem corruptorum,qui legis hu ius diuinitùs inditæ nobilitatem,&,vt ita dicamus, ingenuitatem,atque suauitatem minùs considerantes alios etiam in corruptionem facile traherent,insipientiores maximè, adsint etiã præsentes,& viui homines, quorum sit curæ,vt inuiolata seruetur hæc lex:vt hæc apud homines seruentur,aut omittantur,& in eo-

Hierem.2.

Esa.66.

Esa.3.

rum iudicio: hos autem illos meritò futuros, qui sapientia,& virtute cæteris præstarent. eadem ratione natura omnes docuit, vt scilicet quamprimùm multitudo in vnum coire voluerit,eligat ipsa sibi eum,qui inter omnes prudentia,& virtute cæteris præstantiorem, & quoniam natura nos non tantùm in quibusdam doctos,in his scilicet primis principijs,sed multò magis disciplinabiles etiam condidit, vt ex naturali illo lumine,accedente experientia, attentione, atque solertia, plura vel adinuenire vel doceri possemus,hinc factum est,vt hi,quos sapientiores,& meliores sibi præfecerunt,alij ea,quæ ad quietem,atque tranquillitatem, & vitam in virtute agendam expedientia iudicarent, constituere possent, & alijs tanquam præcepta quædam artis rectè viuendi proponere: & ad hæc quæ vtilia vel singulis,vel Reipublicæ sunt,peruersos,& malefactores tanquam indisciplinatos pueros seruanda verbere, & correptione cogere.Hæc sunt origines, & radices secularis potestatis,ex his,quanquam diuersimodè attemperatis,vt modò ex electione,vel totius populi,vel paucorũ modò ex successione, potestates seculares constituerentur, manat eorũ auctoritas,& potestas,his nititur. Quacunq; itaq; ratione legitimè in aliquẽ deferatur pietas, hæc à prima illa voluntate, & electione pendet populorum:& quacunque via princeps fuerit,non aliter se habere debet, nec aliter æstimare se, ad hoc peruenisse, quàm voluntate eorum,quibus præest,quæ & præcessit primò in origine,& posteà adest cùm illi parent. Ex his fontibus, ex his fundamentis agnoscendum est quanta sit hæc potestas, quousque perueniat,quem gradum, & locum teneat in Ecclesia Christi.Hæc oportebat Brentium cogitare,& ex his,si quid principibus secularibus deferre volebat,deducere,& deriuare, quod,quia ille omisit, iam nos agamus. Si nihil potest supra virtutem suæ originis conscendere: si necesse est fines principijs respondere: secularis hæc potestas,à naturali lege,& voluntate humana orta,nihil potest aliud, quàm naturale, & quod hominũ subest facultati. Est hęc potestas à Deo,fatemur à Deo creante, à Deo creaturas suas ad proprios, & naturales fines gubernante:à Deo,inquam,ornante vniuersum hoc,sicut

Cap.13. Ostẽditur diuersa origo Ecclesiasticæ potestatis à seculari, et inde deducitũr, seculares principes in his,quæ ad doctrinã, & sacramenta pertinent,nõ habere potestatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

varietate,& pulchritudine diuersarum creaturarum, ita etiam humanas Respublicas, regna, monarchias disponente secundum fines humanos: hos enim erigit,& exaltat triũphis, dilatatione imperij, & omni humana gloria, vt Romanos, Assyrios, Medos,& Persas: alios verò, aut eosdem ipsos deijcit, priuatque omnibus his, prout ostendit vicissitudo tanta horum, de quibus mentionem fecimus regnorum: idque agit Deus vel permittendo, malas hominum voluntates in aliorum, quos punire vult ob grauiora peccata, sęuire: vel si nondum perfectas, iustas tamen,& in iudicio humano æquas voluntates aut adiuuando, aut premiando quibusdam temporalibus bonis: atque hac ratione, sicut diuersitate temporum: vt nocte, & die, hyeme,& æstate,& rebus, quæ hæc consequuntur, quiete & labore: vigilia & somno & cęteris naturalibus vicissitudinibus, quibus releuatur tædium,& consulitur necessitati,& saluti corporum, visibilem hunc mundum ornat: ita imperia & regna, morum bonorum, atque malorum diuersitate,& prosperis, atque aduersis successibus, quæ bona, vel mala sunt huius seculi, & iudicio hominum, non aliud quàm temporalia cogitantium, pulchra diuersitate admiranda efficit: ita vt sicut diuersitas tẽporum, & successio naturalium rerum Dei sapientiam ostendunt, ita succęssio regnorum & principatuum specialem eius prouidentiam circa humanam naturam longè aliter, quàm cæteras creaturas manifestat. Hæc igitur omnia, regna, & mutationes eorum à Deo sunt: sed nondum redimente, & ad æternam beatitudinem vocante humanum genus: nondum Filium suũ illi mittente, & infundente in cordibus Spiritũ sanctũ suũ. Hæc enim sunt diuinæ gratiæ opera: ad hæc dignatus est homines coadiutores,& cooperatores eligere: his ipse, non quam homines dare poterant, sed solus ipse, non ad naturalia quædã bona inter homines curanda, sed ad æterna illis communicanda potestatem dignatus est dare qua congregarentur homines in fide rerum omnem humanum captum fugientium, in communicatione cælestium,& omne desiderium humanum excedentium bonorum, & inæternorum bonorum expectatione certissima, sed humilima, manifestæ scilicet visionis, & fruitionis

nis Dei,& participationis illius beatitudinis, qua Deus ipse beatus est, hæc est Ecclesia ex ijsdem quidem hominibus, quibus Respublicæ humanæ constans: sed aliud longè meditantibus, aliò tendentibus ad hos iuxta hæc gubernandos, ad diuina, cælestiaque impartienda illis constituti sunt à Christo ministri: vt quidam eorum dicit, non ab hominibus, nec per hominem. *ad Galat. 1.*
Et idem rursus: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi,& *1. Cor. 4.*
dispensatores ministeriorum Dei, quæ si rectè cogitemus, & expendamus, ostendunt quanta sit diuersitas potestatis secularium principum, & episcoporum, ministrorumque Christi. Certè quantum natura distat à gratia, quanto generatio ex carne,& sanguine, ab adoptione filiorum Dei: tantum necesse est potestatem temporalem à spirituali potestate distare. Hæc necessaria est Ecclesiæ Christi, sine ministris enim, vt proximo loco diximus, à Christo institutis non potest esse Ecclesia, illa verò secularis potestas nec necessaria est Ecclesię, neq; quidẽ illi contraria. Quando nulli erant reges, aut principes Christiani, non minus integra, non minus perfecta erat Ecclesia. Hęc enim illorum potestas,& extra Ecclesiam orta est,& permansit sicut temporalia reliqua: & quod verissimũ est etiam idololatriæ seruiens, suum tamen ius, & gradum inter homines non amisit. Sicut enim placuit Deo nec propter peccata alia, nec propter idololatriam homines nobilitate,& pulchritudine eius, quam priùs dederat, naturæ priuare: sic nec eorum principes auctoritate,& potestate super eos. Quantũ igitur distat inter cælum, & terram: cælestem,& terrenum hominem, pacem, & felicitatem terrenam,& cælestem, quę exuperat omnem sensum: quantum denique inter hominem seruientem huic mundo, & principi eius, & seruientem Deo ipsi vero est discriminis, tantum inter principes seculares,& ministros Christi. Si ergo quod natum est ex carne caro est, & ad carnalem hominem pertinet, nec potest huius natiuitatis virtute, ad spiritualia,& gratiæ cælestis dona attingere, temporalis etiam potestas regum,& principum caro est,& fœnum,& omnis gloria eius flos fœni,& omnis potestas eius cum fœno illo, quod exsiccatur, & cuius flos decidit, pertransit quod ex se est,& non potest in ea, quæ diui-

næ gratiæ sunt, opera: quanta ergo confusio est doctrinæ hoc non agnoscere,& distinguere? Temporalis princeps,qua parte hoc principatu fungitur,aut extra Ecclesiam est,aut si ad illam pertinet,ideo est,quia se,& suum principatum Christo subdit & ministris eius : quibus vt proximo loco diximus , Christus
Lucæ 10. ait,qui vos audit,me audit:& qui vos spernit,me spernit,& illi inquiunt , vt vnus eorum omnium nomine pro Christo lega-
2. Corin. 5. tione fungimur,tanquam Deo exhortante per nos.miror si po test tanta esse cæcitas,& confusio in aliquo:vt ei,qui à populo electus est,nullo alio fine , quàm vt temporalia curet , nec alia virtute,quàm humana,à Deo quidem illa ordinata,& deriuata vt dictum est,sed in temporalem finem:qui denique à Christo ad ministerium verbi non est vocatus, potestatem tribuat,non solùm docendi fidem:sed dubia,quod maximum est,definiendi:non solùm imperandi populis, sed sacerdotibus & ministris Christi: imperandi inquam vtrisque de rebus ad ministeria Christi,& verbi doctrinam pertinentibus:denique imperandi episcopis,tanquã seruis, & mancipijs.Sic enim ausus est Brentius , nescio quid cogitans de illorum iudicio , qui hæc legere poterant , dicere mancipia esse episcopos,& omnes quotquot hodie sunt Christi ministri,mancipia vilissima Ecclesiæ, & imperatorum seruos subditos, à quibus gubernari debeant , vbi hoc rogo,Brenti inuenisti,vt qui Ecclesiæ gubernandæ à Deo dati sunt loco sui:& sine quibus, Ecclesia esse non potest , gubernentur in his , quæ ad ministeria Christi pertinent ab his, quorũ potestas extra Ecclesiã nota est , sine quibus illa integra manet?sed de his satis . nec enim, crede mihi Brenti, vnquam persuadebis hoc vel mediocriter de rebus humanis , & Ecclesia Christi sentienti: & vt apertè dicam , nec illustrissimo Duci domino tuo,si hæc audiret credam futura esse grata,sed ingratissima potiùs.sunt enim manifestè contra ea, quæ in præfatione confessionis vestrę ex eius persona digna certè illius modestia posuistis.non ignoramus suum esse discrimen inter politicam,& ecclesiasticam functionem : verissimè quidem dictum, & propriè explicatum. cùm altera politica , altera ecclesiastica vocata est,suum est discrimen ex origine.quia hæc à gratia, illa à na-

à natura est,& fine,quia hæc ad cælestia , illa ad terrena tendit: denique materia , & rebus, circa quæ versantur , illa terrenas, hæc cęlestes,contra hæc veritatis,& modestiæ,omniq; ratione consona verba clamat Brentius ad principes: summas causas fidei , & nulla ex parte ad episcopos pertinere . satis itaque de his. Ne verò quispiam vel calumnietur , vel putet nos principes aut ab Ecclesia excludere,aut contemnere,quod certè nunquàm fecimus,nec in priori assertione nostra, nec in hoc loco agimus : ne tamen cuiusquam animum hæc suspicio subeat:& denique,vt hunc locum omnino,quantum nobis occurrit,explicemus,illud est hic attentè cogitandum,quod pertinet ad modum, rationemq;, qua potestas temporalis prior quidem,& extra Ecclesiam orta,in eam ingressa est, vnde constabit,quem locum in illa teneat,& quatenus,quæ ad fidem,& pietatẽ pertinent,curanda ab ea sint. & quidem manifestè constat,eadem ianua principes ingressos Ecclesiam fuisse , qua cæteri omnes,fide scilicet,pœnitentia malę priùs actæ vitæ,& baptismo.Hæc enim sunt ianua illa , quam princeps Apostolorũ aperuit,cùm prædicato euangelio, credentibus dixit: Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrùm. Ad hanc porrò 1. Cor. 1.
fidem non sine magno Dei iudicio , qui infirma mundi,& stulta,& ignobilia , & contemptibilia elegit:vt confundat sapientes,potentes, & nobiles , actũ est vel permissum:vt non solùm primi non venerint principes seculi,sicut nec sapientes:sed longo potiùs tempore persecuti fuerint eam fidem , totamq; Christi Ecclesiam: de quo superiori loco pauca attigimus.Implebatur tũ verè & quod Christus dixerat: Ante reges,& præsi- Matth. 10.
des trahemini propter me,in testimonium Iudęis,& Gentibus: & quod per prophetam dictum fuerat:Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum,& aduersus Christum eius : & tamen tanta fuit doctrinę Christianæ modestia , vt non solùm Christiani reuererentur principes , & sub illis se esse in humanæ ciuitatis, & pacis societate & commertio agnoscerẽt omnes : sed etiam pro eis iuxta Christi præcepta, & institutionem Pauli magno affectu orarent : cùm tamen à Tiberio,sub quo cœpit prędicari euangelium,vsque ad

Cap. 14. Qualiter secularis potestas ingressa fuerit in Ecclesiã, et quẽ gradum in ea tenet.

Con-

Constantinum solus Philippus imperator Christum agnouerit, & Christianus fuerit: cæteri omnes aut persecuti sunt, aut persequi permiserunt hanc fidem: idque non minus trecentis annis, vt diuina ostenderetur virtus in euangelio, quod ab idiotis, quod ad omnem humanam sapientiam attinet, & abiectis, atque omni humano præsidio destitutis prædicatum, renitente omni temporali potentia, & sapientia, subiecit sibi mundum & hominum corda: cùm hoc primùm sperari posset à credentibus, quòd vsque ad mortem persecuturi eos essent inimici
Matth.13. Christi. Iam enim iuxta parabolam illam Euangelicam, regnũ cælorum, Ecclesia, fidesque eius, & prædicatio tanquam fermentum absconditum, vi quadã mirabili, & occulta tria sata farinæ, Asiam, Europam, & Aphricam penetrabat: tunc demũ, vt victoria non hominibus, sed Deo tribueretur, cùm iam mundus plenus esset Ecclesijs Christianis, & martyribus, tandem cœperunt imperatores, & principes resipiscere, agente quidem Deo, non interna tantùm inspiratione, sed manifestis etiam miraculis, & beneficijs cum Constantino imperatore, qui hæreditario quodam iure, vt Ambrosius inquit, fidem Christi Romanis reliquit imperatoribus: tunc quos priùs, qui habitat in cælis, irridebat: & Dominus subsannabat, ostendens vanos illorum conatus in persequenda sua fide, dignatus est sua misericordia, vt & inciperent iam reges intelligere, & erudirentur,
Psalm.2. qui iudicabant terram, apprehenderentque disciplinam, & verum regem agnoscerent, & oscularentur Filium, qui de se lo-
Matth.17. quitur, Data est mihi omnis potestas, in cælo, & in terra: & in Psalmo: ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius prædicans, præceptum eius: significans his verbis solam prædicationem sufficere ad asserendum hoc regnum Christo: illam ei pro exercitibus, pro armis, & machinis, & diuitijs omnibus esse, cui soli omnia hæc humana crederent. Hoc itaque, cùm agnouissent reges, cùm à somno illo humanæ sublimitatis, & prosperitatis, adulationisque hominum, & delitiarum omnium excitati demùm essent, cognouerunt, quod ad primam vocem cognouerant pauperculi, & abiecti homines: vt in hoc iudicio admoneantur reges vel hoc exemplo,

plo, quanto impedimento sit fastus, & sublimitas humana ad agnoscenda diuina, de qua Christus dicit, quod altum est apud *Luc.16.* homines, abominatio est apud Deum: tunc tandem quando hoc cœperunt agnoscere, & cum rege illo, & propheta, qui eos ad hoc exhortabatur dicere: custodiens paruulos dominus humiliatus sum, & liberauit me: cœpit impleri, quod per eun- *Esa.60.* dem dictũ erat: Adorabunt eum omnes reges. Et per Esaiam: Venient ad te curui filij eorũ, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi: tunc humiliati principes, porcuerunt ianuam illam fidei, imò Christum ipsum, qui inquit, Ego sum ostiũ, ingredi: quod humilimum cùm sit nullum capit, nisi humiliatum, nullum admittit superbũ, hoc fecit, vt pij illi imperatores Cõstantinianæ pietatis hæredes effecti, non de superiori gradu in Ecclesia cogitarent, non se iudices doctrinæ, & veritatis fidei constituerent: sed coram Christo incuruati, vt Esaias inquit, & fidem, & baptismũ, & institutionem vitæ ab episcopis susciperent: tũc igitur quod manifestissima ratio docet, & fecerant, teneturque facere Christiani omnes quicquid erant, quicquid poterant, quicquid habebant & potestatis humanæ, & honorum, atque diuitiarum, agnouerunt se habere à Deo creatore, atque auctore naturæ, & multò minus esse, multò inferius Christiana gratia, & præ illa contemnendum, atque eatenus curandũ, & amandum, quatenus eidem gratiæ, & fidei vtile esse posset. Sicut itaque recepta fide omnes homines, omnia sua eidem substrauerunt, ad eius obsequium ordinantes omnia, atque hac ratione cœperunt sub Deo veriùs illa possidere, quàm anteà sub Diabolo possederant, & circa illa omnia euangelicam legem & modestiam seruare scientes, illa, quæ à Deo erant per naturæ ordinẽ concessa, in eius obsequium, & in ministerium gratiæ meritò conuertenda esse: gratia enim Christi, & disciplina Christiana temporalia omnia, quibus priùs Dæmonijs seruiebatur, non tanquam mala reijcienda, sed vt naturæ bona referenda ad gratiam, & conuertenda in vsum eius docet: ita cum imperijs, regnis, & potestatibus omnibus secularibus actum est in Ecclesia, probata sunt illa, & purgata quidem à vitijs, quibus anteà

quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm Christum agnoscerent, plena erant: ostensum est his, qui hæc possidebant, in obsequium Christi conuertenda esse, & pro eius gloria, atque defensione fidei, priùs etiam quàm pro pace Reipublicæ omnem eorum vim exerendam. Itaque humiliati principes, qui priùs inflati erant, & turgidi sublimitate humana cœperunt seruire, non suis affectibus, sed Christo: cœperunt sua omnia præceptis Christi, & moderatione possidere, & ad eius referre gloriam, atque hac ratione temporalia omnia, & quod in illis sublimius est, imperia effecta sunt Christiana, & quamuis post fidem ipsam diuersæ mutationes, & varietates, atque etiam origines, & ortus principatuum secularium fuerint, nihilominus tamen non minùs illa prima originis distinctio permanet: vt scilicet humana sit hæc potestas naturam sequens: atque ideo in ministeria Christi, in ea, quę propria sunt suæ Ecclesiæ, nihil potens virtute sua: sed ad horum obsequiũ iuxta regulam euangelicæ doctrinæ iuxta æquam moderationem ministrorum Christi ordinanda. Vnde manifestum fit, certissima ratione, temporalem omnem, & politicam potestatem in Ecclesia inferiorem esse Ecclesiastica illa ministrorum Christi: & sicut tempore posteriùs ingressam in eam, ita dignitate, & gradu, vt velint, nolint aduersarij meritò Ecclesiastica potestas luminare maius, temporalis verò luminare minus dicantur: illa sol est, quo illuminatur hic mundus luce fidei, luce cælesti, qua sub die, qui Christus est, ambulamus omnes, & seculares ipsi principes, & priuati: illa verò luna est, qua nox huius seculi temporalia commercia, & tranquillitas temporalis inter peccata, & scelera hominum illustratur: sed luce illa, quam participat à Christiana fide, à doctrina Ecclesiæ, & ministrorũ Christi: si enim iuxta hæc leges condat, adijciat pœnas, & exequatur, illustrat quàm verissimè præsens hoc seculum.

Cap. 15. Quid ad seculares principes circa fidem pertinet, exemplis ostenditur.

Hac igitur tam certa ratione, & pij principes, & sanctissimi episcopi iudicarunt, dignum esse, vt seruiret potestas hæc temporalis paci Ecclesiæ: vnde sæpe ad imperatores, ministrosque eorum confugerunt, & non solùm probarunt imperatorum leges aduersus hæreticos, & idolorum templa, atque sacrificia: sed etiam ad hoc eos exhortati sunt, vt seueritate legum hæreticorum.

ticorum insaniam comprimerent. Disputat de hoc August. aduersus Donatistas, qui, cùm & ipsi frequenter potestate principum vsi fuissent contra aduersarios suos, arguebant, quòd Catholici ad iudicia confugerent imperatorum: sed ex occulto, inquit August. imperio Dei, per manifestum hominum imperium multa, quibus & hæretici, & pagani seueriſsimè coërcentur, sunt constituta. Nam & simulacra falsorum Deorum euerti, atque confringi iussa sunt: recentioribus legibus, inquit, idque & exẽplis Scripturæ sacræ cõfirmat: vt Nabuchodonosor, qui, miraculo solo viso, liberationem puerorum ab igne decretum ponit, vt quicunque blasphemauerit Deum, qui eos liberauit ab igne interiret, &c. quam lectionem August. obseruat in Ecclesia cantari in Paschali festiuitate: quando ipsa, inquit festiuitas feruentiores facit: vnde ait: Meritò Christianos reges hæc audientes accendi ad exemplum, vt cùm cognoscũt ethnicum regem decreuisse, ne blasphemaretur Deus temperator ignium, & liberator trium puerorum, cogitent quid in regno suo discernere debent aduersus hæreticos: ne in suis fidelibus idem ipse Deus exsuffletur remissor peccatorum, & liberator iam totius orbis terrarum. Non est opus de his pluribus dicere, manifestę sunt leges imperatorum aduersus hæreticos vel proprio titulo de hæreticis Manichęis, & Samaritanis, codice Iustiniani, illas catholici imperatores tulerunt, & in primis Constantinus ipse: agnoscentes hoc se debere Christo, & eius sponsę, vt ad gloriam Dei, & tranquillitatem Ecclesiæ, & animarum salutem ordinarent, & vterentur potestate illa, & gladio. At verò auctoritatem docendi, aut definiendi dubia fidei, absit, vt vnquam vel cogitauerint ad se pertinere, quod suis legibus Imperatores ipsi supremi in Ecclesia catholica principes confessi sunt, Theodosius in ea, quam citauimus, lege cunctos populos. C. De summa trinitate, & fide catholica (licet magnopere Brentio id displicuerit, cui posteà respondebimus) non, quam ipse sequitur fidem, suo iudicio iubet alios sequi: sed iudicio episcoporum, quam pontificem Damasum sequi claret, inquit, & Petrum Alexandrinum episcopum virũ Apostolicę sanctitatis. Hos adhibet duces, hos sequendos docet. Et quan-

Lib. 1. contra epist. Permen. cap. 7.

Daniel. 3

Lib. 2. cõtra literas Petiliani. cap. 92.

quanquam sint plura alia testimonia, ceteris omissis, epistolam illam Iustiniani Imperatoris ad Ioannem Romanum pontificem. C. eodē titulo positam audiamus: Reddentes, inquit Imperator honorem Apostolicæ sedi, & vestrę sanctitati, omnia, quę ad statum Ecclesiarum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestrę sanctitatis, &c. Ideoque omnes sacerdotes vniuersi orientalis tractus & subijcere, & vnire sedi vestræ sanctitatis properauimus: ergo, inquit, quę commota sunt, quamuis manifesta, & indubitata sunt, & secundum Apostolicę vestrę sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firmè custodita, & prędicata, necessarium duximus, vt ad notitiam vestræ sanctitatis perueniant: nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum, & indubitatum sit quod mouetur, vt non etiam vestrę innotescat sanctitati, quia caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Hęc ibi Iustinianus, in quibus pręter manifestam confessionem primatus Ecclesię Romanę, de quo suprà egimus, apertè confirmat, quę ad statum Ecclesiarum pertinent, non sine auctoritate episcoporum, & precipuè Romanæ sedis, etiam ab ipsis imperatoribus esse constituenda: quantò magis, quæ ad ipsam fidei substantiam pertinent. Confitetur ibi imperator fidem suam, imò omnium Ecclesiarum orientalium: dicit, quòd eam habeant ab ipsa Apostolica sede: & ab omnibus sacerdotibus, inquit, semper firmiter custoditam, & prædicatam fuisse. Hos itaque sequitur, non iudicium suum: & tandem post omnia petit Romani pontificis responsum: quia hoc ait, pertinebit ad augmentum auctoritatis Romanæ sedis, & amoris, atque reuerentiæ aliorum versus eam: quando, inquit, per vos didicerint omnes beatissimi episcopi eorum, quæ ad vos relata sunt, sinceram vestræ sanctitatis doctrinam. Pertinet igitur ad principes, certā, & indubitatam fidem profiteri, ad eam tenendam omnibus vijs agere, cum omnibus sibi subditis. Sic enim olim & imperatores, & alij reges egerūt aduersus præcipuè Arrianos, sic Constantinus Nicæni Concilij fidem, ab omnibus præcipit obseruari: sic cæteri imperatores confirmarunt suorum temporum Concilia. Quanta sunt Hispanorum nostrorum regum de hac re

re prodita exempla in Concilijs Toletanis? vide Toletanum octauum Concilium, in quo manifestam confessionem fidei rex pius, & amator eius, obtulit exhortans, vt quæcunque in ea scripta erant, attentè, & studiosè inspicientes, quæ extiterūt, inquit, placita Deo, vestri oris ad nos sacro referātur oraculo: vbi non instruere eos, sed instrui potiùs ab illis conatur, & curat: legemque Dei iuxta prophetam de ore sacerdotum requirit: quorum labia custodiunt, inquit, scientiam. *Malach. 2.* Vide etiam & in. 3. Toletano Concilio dignam Christiano principe circa catholicam fidem solicitudinem, & deuotionem, qui non solùm ipse ab Arriana hæresi ad vnionem Ecclesiæ reuersus fidem suam summa cum deuotione obtulit in Concilio, ita propria manu subscribens: ego Richaredus rex fidem hanc sanctam, & veram confessionem, quam per totum orbem catholica confitetur Ecclesia, corde retinens, ore confirmans mea dextra Deo protegente subscripsi: sed etiam totius Gothicæ gentis, quam ad vnionem Ecclesiæ reduxerat, confessionem propriam offerri in Concilio, & subscribi curauit. Confessio regis habet post multa de Nicæna synodo, & tribus illis maximæ auctoritatis sequentibus, omnium quoque orthodoxorum venerabilium sacerdotum Concilia, quæ ab ipsis quatuor suprascriptis fidei puritate non dissonant, pari venerationi obseruent: & post hęc omnia quanto fidei feruore rex constituit, vt omnes inquit Hispaniarū, & Galliciæ Ecclesiæ hanc regulam seruent: vt omni sacrificij tempore ante cōmunicationem corporis Christi, & sanguinis, iuxta orientalium partium morem vnanimiter clara voce sacratissimam fidei recensent symbolum: vt primùm populi, quam credulitatem teneant, fateātur. Hæc piorū principum exempla sunt & proponenda, & meritò præ oculis habenda à Christianis principibus: quibus ad modestiam, ad seruandum à Christo institutum ordinem admoneantur: ne temerè transgrediantur limites, quos posuerunt patres eorum. *Cap. 16. Principes Christianos seruos esse subditorum suorū, & Ecclesiæ: qua seruitute nihil obseruātiæ, & honoris amittunt circa tēpora lia. etiā erga ipsos Christi ministros.*

Vbi duo nobis considerandā occurrunt digna certè Ecclesiæ Christi, quæ summi regis regnum stabile, ciuitas gloriosa, & domus ordinatissima est. Primum illud sit, quòd reges, & principes seculi sua hac ad Christum conuersione, & submis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sione, nihil amiserunt auctoritatis, & dominij, quod habebant: sed duntaxat illud, quod vanitatis, & tyrannidis aut habuit in multis dignitas illa, aut habere potuit. Didicerunt planè reges illud præceptum Christi ad se veraciter pertinere: & illam exprobrationem meritò sibi fugiendam: Principes gentium dominantur eorum. Et qui potestatem exercent in eis, & benefici vocantur: non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit maior fieri, sit vester minister, &, qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Nam, ego inquit, in medio vestri sum, tanquam qui ministrat. Hæc non ad Apostolos tantùm, non ad episcopos duntaxat, & cæteros Ecclesiæ ministros: sed ad omnes etiam, qui in Ecclesia sunt: ad omnes Christianos quis dubitat pertinere? & quis non intelligat quàm vanè Brentius dicat, episcopos esse seruos: principes. Dominos in Ecclesia? sed de hoc breui dicemus. Verùm quod nunc ad hæc verba attinet, si principes Christum imitari non debent: si ad eos non pertinet verbum illud, si quis mihi ministrat, me sequatur: & qui sequitur me, non ambulat in tenebris: certè non sunt serui Ecclesiæ, non sunt ministri eorum, quibus præsunt. quod si illud falsum est. si Christũ in Ecclesia omnes imitari tenentur, & sequi: intelligant principes non solùm ratione illa humana, qua ethnici etiam ipsi agnouerunt reges veros suorum subditorum causa esse, & in eorum vtilitatem illud, quicquid regiæ dignitatis est, expendendum: sed multò altiori ratione, quia Christiani sunt redempti à Christo, & membra eius effecti, in qua felicissima transmutatione nihil relictum fuit nisi peccatum, quod huius gratiæ particeps esse non potest: reliqua omnia, auctoritas, honor, splendor in Christi corpus transierunt: reges etiam, qua parte reges sunt, Christo insiti sunt, in quo non est seruus, nec liber, in quo sumus inuicem membra, & debemus inuicem, quod Paulus inquit, vt vnusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Hac itaque Christiana ratione multò magis principes seruos se agnoscunt omnium. Maximè verò Christi, & Ecclesiæ suæ, quę seruitus solùm superbiam, & fastum aufert ab eis, & ingerit Christianam solicitudinem, verumque Dei timorem: reliqua verò omnia bona

Matth. 20. Luc. 22.

Rom. 15.

na adeò non aufert, vt potiùs cumulatissima reddat, & ab omnibus sibi reddenda doceat. Hinc fit, vt secundum diuersum rationis ordinem, secundum rerum, negotiorumque diuersita tẽ modo superiores omnibus, modò subditi quibusdã agnoscantur. quod enim ad Reipublicæ pacem, & ordinem, quod ad defensionem, & expurgationem à malis attinet, superiores sunt omnibus, & in hac re sicut ethnici ab ipsis Apostolis sunt agniti, multò magis Christiani ab episcopis sanctissimis, & tota Ecclesia habiti sunt superiores, & agnouerunt in hoc temporali statu in his, quæ ad temporalia omnia pertinent, eorum leges, eorum iudicia, & cum gratiarum actione vsi sunt priuilegijs, & immunitatibus ab eis cõcessis, de quibus habes iuris ipsius ciuilis multos, & manifestos titulos, de sacrosanctis Ecclesijs, de episcopis, & clericis, de episcopali audientia, de his, qui ad Ecclesias confugiunt, in quibus ostenditur, quanta deuotione principes egerint cum Ecclesia: quanta pace, & humilitate episcopi ipsi, qui eos in his, quæ ad salutem animæ, & fidei, atque morum disciplinam summa cum libertate, vt subditos ligabant, & absoluebant: in his verò, quę ad statum temporalem Reipublicæ pertinent, vt superiores reuerebãtur: quò scilicet agnoscerent, nihil se amisisse illa ad Christum conuersione: nec aliquid esse, quare non magnopere gratulari deberẽt, quòd Christiani essent effecti. Qua in re & secundum illud non omittendum, quòd in hac vicissitudine mutua suscipiendorum, & reddendorum officiorũ sancta quædam, & pia contentio inter pios principes, & dignos episcopos, ministrosque Ecclesiæ fuit: dum alij alios humilitate, & honore superare contendebãt sine vlla inuidia, sine vlla æmulatione, aut cõtentione, sine vllo denique auctoritatis aut spiritualis, aut temporalis præiudicio, sed cum summa pace, cum summa quiete, cũ summa populi ædificatione, vt esset tunc videre pulcherrimam illã faciem, quã Christus depinxerat, Qui voluerit inter vos maior esse, erit vester seruus: & de qua Paulus in humilitate superiores inuicem arbitrantes. Itaque id ipsum, quod superiori loco diximus inter Romanum pontificem, & reliquos episcopos obseruatum, id nunc adnotamus inter episcopos, & princi-

Cap. 17. Summa modestia principũ secularium, et episcoporũ in antiqua Ecclesia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pes:in omnibus enim vigebat ſancta illa charitas,quæ nõ quæ-
rit,quæ ſua ſunt,quæ nihil dedignatur. Conſtantinus epiſco-
pos de ſuis cauſis ab eo audiri quęrentes hortatur,quòd à Deo
ſperent iudicium:Nam inquit vos Dij eſtis, & non debetis ab
hominibus iudicari: illi econtrariò ſumma veneratione eum
ſuſpicientes magna ſubmiſſione ea,quæ volebat ille, in bonũ
fidei exequebantur:& iuſtas eius iuſſiones, vt conuenirent, vt
tractarent tanquam Dei ordinationem ſuſcipiebant: ita ad
principum vocationem cogebantur Concilia: & quicquid illi
ordinaſſent,ſine quorum ſuprema auctoritate nõ poterat tran
quilla eſſe Eccleſia,ſuſcipiebant,non de prærogatiuis,& inani-
bus titulis contendentes, ſed vtilitatem quærentes fidelium.
Conſtantinus econtrà ſanctos confeſſores fidei,vt Deos quoſ-
dam venerabatur,oſculans etiam oculos,& membra,quæ pro
Chriſti confeſſione amiſerãt:& Helena mater eius ancillis Chri
ſti Hieroſolymis ancillæ habitu, & officio ſeſe ſubmiſit. Hæc
erant illius felicisſimi ſeculi in Eccleſia Chriſti principum, &
prælatorũ contentiones: imò reuera hæc erat ſumma illa con-
cordia iũcta inconfuſo,& imperturbato ordini.Dum ita quiſ-
que,quod ſuum erat,cùm opus eſſet, agnoſcebat, & agebat:
vt tamen,cùm neceſſitas non poſtularet, magis gauderent om-
nes modeſtia,& humilitate.Hæc eſt igitur noſtra, imò catholi-
cæ Eccleſiæ de diſcrimine ſpiritualis, & ſecularis regni, & ſa-
cerdotalis ordinis ſententia,quam in præfatione aſſertionis no
ſtræ catholicæ perſtrinximus,tantum nõ cogitantes opus eſſe,
vt res tam certa, & manifeſta confirmaretur rationibus: ſed
quia hæc omnia Brentius in primo ſuo loco de officio princi-
pum ſecularium in Eccleſia conatur inuertere, & totum hunc
ordinem mutare in Eccleſia:audiamus iam, quid loquatur, &
quem ordinem conſtituat: namque ſine ordine non Eccleſia,
ſed ciuitas confuſionis, & vera Babylon, turriſque diuiſionis
linguarum neceſſe eſt, vt ſit. Vt igitur breuiter Bren-
tij ſententiam complectamur: conſtituit ille Apoſtolos in pri-
mis,deinde multò magis eorum proximos ſucceſſores, maxi-
mè verò noſtri temporis epiſcopos omnes,& miniſtros Chriſti
ſeruos eſſe Eccleſiæ:ſic enim loquitur, inquit Paulus non præ-
dica-

Cap.18. Epiſcopos ſecundũ officiũ publicũ membra eſſe Eccleſiæ, & nobiliora etiã q̃ princi pes ſeculares, quod Brentius negat, oſtendi- tur.

dicamus noſipſos, ſed Ieſum Chriſtum dominum noſtrum: ‹‹
nos autem ſeruos veſtros per Ieſum. Et rurſum omnia veſtra ‹‹
ſunt,ſiue Paulus, ſiue Apollo,ſiue Cephas,&c.Et alibi, inquit ‹‹
Brentius,ingenuè fatetur, quòd cùm ab omnibus liber eſſet, ‹‹
fecit ſe ſeruũ omnium.Huic addit:Principes verò pij, hoc eſt, ‹‹
qui Filium Dei, & eius euangelium fide ſua complectuntur, ‹‹
ſunt præcipua veræ Eccleſiæ membra, & ad eos præcipuè per- ‹‹
tinet confiteri Filium Dei, confiteantur tibi, inquit, Domine ‹‹
omnes reges terræ: ad eos pertinet impiam doctrinam ex ani- ‹‹
mõ deteſtari,& crudeles hypocritas ſeueriter punire,exemplo ‹‹
Dauidis,qui Pſalmo 139. Dicit:Nónne qui oderunt te Domi- ‹‹
ne oderam:& ſuper inimicos tuos tabeſcebam: perfecto odio ‹‹
oderam illos:quod exemplo etiam Ioſaphat,Ezechiæ,& Ioſię, ‹‹
quæ tanta cura cultum legitimum Dei inſtauraſſe, & alienum ‹‹
abſtuliſſe leguntur,confirmans:hoc verò, inquit, facere non ‹‹
poſſunt,niſi cognouerint, & iudicauerint priùs, quæ ſit vera, ‹‹
pia doctrina; nec enim aut confiteri, aut defendere poteſt,quã ‹‹
non nouit,pia,an impia ſit.pertinet igitur ad illum de doctrina ‹‹
iudicare:cur etiam non & docere exemplo Dauidis:venite filij ‹‹
audite me timorem Domini docebo vos: & docebo iniquos ‹‹
vias tuas:& exemplo Salomonis eccleſiaſten agere,atque cum ‹‹
Ezechia mittere etiam legatos ad exhortandos populos ad ‹‹
Dei cultum,& preſcribere illis quid concionari debeant:quod ‹‹
ſanctum illũ regem Ezechiam feciſſe legimus? Habent itaque, ‹‹
inquit,principes publicam poteſtatem cognoſcendi, & iudi- ‹‹
candi de doctrina religionis:imò adhibere poſſunt(ait) in Con ‹‹
cilium,& vocare ad hoc agendum eos, quos duxerint idoneos, ‹‹
tam ex miniſtris Eccleſiæ, quàm ex aliorum hominum cætu. ‹‹
Quod ſi quæras ab eo quid igitur epiſcopi? non, inquit, ſunt
iam Eccleſiæ membra, quod ne putes illum propter vel doctri
næ,vel vitę defectum,quem ſemper obijcit,epiſcopis,& prælа-
tis noſtris dixiſſe,& hoc addit:ſperamus inter epiſcopos,& re- ‹‹
liquos prælatos aliquos eſſe viros pios. agamus igitur illi gra- ‹‹
tias, quod vel pios aliquos agnoſcit epiſcopos, vel prælatos
eſſe:ſed iã,quid de his ſentiat,audiamus,quod ad priuatam,in-
quit, eorũ perſonã attinet, mẽbra quidem ſunt Eccleſiæ,non ‹‹

Universidad de Deusto
Biblioteca

,, autem ipsa tota Ecclesia: quod verò ad publicum eorum offi-
,, cium attinet, ministri sunt Ecclesiæ, non domini: & seruiunt
,, Ecclesiæ iuxta verum, & certum verbum Domini, &c. Igitur
,, etsi piorum prælatorum meminit, non tamen propterea illis
potestatem vllam tribuit circa iudicium de doctrina: & tamen
principibus, & quos illi in Concilium adhibuerint publicam
tribuit potestatem de doctrina fidei iudicandi. Hæc est Brentij
sententia multis quidem verbis, & clamoribus exaggerata ab
eo, multisque conuitijs in omnes, qui aliter sentiunt, confir-
mata. Cæterùm probata non aliter quàm diximus, ex gradu sci
licet, & loco, quem principes in Ecclesia habent: & reuera inde
quicquid circa hoc dicitur, quod verum, & solidum esse potest
confirmari debet. Iam igitur consideremus attentè quantum
sibi, & veritati consonet. Hæc doctrina Brentij: nec enim parui
eam fecit ille: nec, si vera est, parui fieri debet.

Quod ergo facit principes membra veræ Ecclesiæ, & id qui-
dem sine distinctione, videndum est, quid sibi velit. Primò enim
quoniam Brentius duplicem facit Ecclesiam, alteram inexpu-
gnabilem, & veram: alteram verò externam, & manifestam,
cuius Ecclesiæ suos principes membra facit: veræ inquit Eccle
siæ sunt membra: at hanc Brenti inuisibilem facis, & ex æterna
Dei prædestinatione, & electione pendere dicis: cuius, vt prio-
ri loco ostendimus, nullum certò membrum ostendere vales.
fatere igitur de nullo tuorum principum te scire, an sit veræ
Ecclesiæ membrum: aut vide quomodo hæc consonent cæte-
ris, in quibus ais, non esse certum, qui cœtus hominum sit Ec-
clesia illa à Christo fundata inuisibilis. quod si membra Eccle-
siæ externæ, & visibilis principes tuos dixeris, quod magis tuis
principijs consonat: Iam ad illud respondè: sint ne membra
Ecclesiæ secundum priuatam eorum personam, an secundum
publicum officium, quod habent: & vide quàm inconsideratè
locutus es, hoc distinguens in episcopis, & prælatis, non in prin
cipibus. nunquid publicum officium principum pertinet ma-
gis ad Ecclesiam, quàm publicum officium episcoporum? non
audebis hoc affirmare, vt magis pertineat ad Ecclesiam officiũ
secularis principis, sine quo fuit longo tempore Ecclesia, vt
proba-

probatum est, quàm officium episcopi, quod est verbum, &
Sacramenta administrare, & gubernare populos iuxta Christi
legem, sine quo non est Ecclesia. Si igitur non minus pertinet
hoc ad Ecclesiam quàm illud: imò multò magis, cur principes
secundum publicum officium membra sunt nobilissima Eccle
siæ, & non episcopi. Quod si principes secundum priuatam
tantùm personam membra sunt Ecclesiæ, certè non sunt nobi
lissima: namque possunt esse ex priuatis, & infimę plebis homi-
nibus sanctiores, & meliores illis, ita vt si velis nullum mem-
brum Ecclesiæ esse nisi secũdum priuatam tantùm personam,
illi nobiliora membra sunt, qui sanctitate præcedunt: & hac ra
tione nullus ordo in Ecclesia, nulla distinctio (nisi fortè apud
Deum, qui spirituum ponderator est) & iuxta hoc non est in-
ter principem, & prælatum distinctio. Quod si fatearis, & dicas
secundum publicum officium in Ecclesia esse ordinem cer-
tum, quod verissimum est: Nam secundum functiones diuer-
sas est ordo constitutus in ministerijs Christi, aut igitur dicito
membra publica esse prælatos, & principes secundum eorum
officia, aut de vtrisque nega, & quidem si scripturam, & ratio-
nem consulamus, non est, cur secundum publica officia non
sint alij in Ecclesia capita, dicente Scriptura, Optimates capita
populorum, scilicet episcopi: alij vel manus, vel pedes secun-
cum ministeria, quibus funguntur. cur enim, quæ Paulus in-
quit de diuersitate membrorum Ecclesiæ ex similitudine cor-
poris humani, non secundum hanc diuersitatem publicorum
ministeriorum sunt intelligenda? cùm apertè ipse dicat, Quod
sumus singuli alter alterius membra, habentes donationes, se- Rom. 12.
cundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, siue prophe-
tiam, siue ministerium in ministrando, qui docet in doctrina
qui præest in solicitudine, qui tribuit in simplicitate, & cæte-
ra, quę eo loco refert. Nónne hæc sunt diuersa officia Eccle-
siæ? Nónne apertiùs alibi inquit, datos esse à Deo quosdam
Apostolos, quosdam prophetas, alios pastores, & doctores in Ephes. 4.
ædificationem corporis Christi? Hæc manifestissima sunt. Se-
cundum publica officia, & ministeria sunt prælati, & ministri
Christi membra Ecclesiæ: quorsum Brenti, illis hoc auferes?

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut cur hoc das principibus sine vlla distinctione? nisi quia omnia confundere vis? distingue apertè, & principes, & episcopi secundum priuatam personam priuata membra sunt: eum gradum tenent secundum hunc ordinem, quem sua merita illis conferunt coram Deo. secundum enim ea alij alijs maiores sunt, & gratiores Deo: secundum verò publica officia membra sunt publica, & quem tenent gradum, & ordinem ex sua vocatione, non est obscurum agnoscere: atque ita hæc distinctio membrorum manifesta est. Hoc igitur agendum erat Brentio, vt ostenderet ad quid vocetur in Ecclesia episcopi à Christo: ad quid principes: quod cùm nos ostenderimus ex ipsa scriptura, ex consensu totius Ecclesiæ, manifestè secundum illud sequitur, episcopos, cæterosque ministros Ecclesiæ, locum capitis, oculorum, & reliquorum organorum eius tenere docent, gubernant verbo doctrinæ, influunt virtutem, & motum fidelibus per Sacramẽta: respectu igitur omnium aliorum, qui hæc ab eis suscipiunt capita sunt: quid igitur principes quàm alia proximiora membra dixeris: & post hæc capita nobiliora? ad quos pertinet defendere Ecclesiã, & fidem temporali gladio, & propagandis illis operam dare, quantum vires eorum sufficiunt. Non est ergo, cur nobilissima membra Ecclesiæ, & altiora cogitentur, quàm sint episcopi, nec vlla ratione, quod in hoc Brentius dixit, probari potest. Nam quod ait, episcopos seruos esse: quid impedit hoc? nunquid principes non sunt etiam serui? nunquid non satis ostendimus ad eos etiam pertinere illud verbum: qui voluerit inter vos maior esse, erit omnium seruus. Hæc seruitus nullam habet deiectionem, nullam infamiam: non est hæc mancipiorum seruitus, quod contumelioſè, & falsissimè dixit Brentius, neque cogitans ea, de quibus loquebatur, nec quæ affirmabat: & quod necesse est, multò minùs intelligens, inquit enim Brentius, Paulus dicit, cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci. quomodo non cogitauit, quod Paulus ipso contextu liberum se esse dicit, Nõ sum liber? non sum Apostolus? sic enim aggressus est de hac re loqui eo loco, quem Brentius citat. Primo omnium statuit se liberum esse, quippe qui ministerium suum honorificat, & qui ait,

Cap. 19. Auctoritas, & superioritas episcoporũ in Ecclesia ostenditur magna, multis Pauli sententijs.

1. Cor. 9.

ait, Malo mori, quàm vt gloriam meã quis euacuet. Liberum igitur, & superiorem se agnoscit omnibus his, quos docebat, & gubernabat. Et statim post hanc tam manifestè assertam suã libertatem, cùm liber, inquit, essem ex omnibus omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem. Nunquid amissa libertate? absit. Sed vide quomodo, sicut se fecit Iudæis tanquam Iudæũ, vt Iudæos inquit lucrarer: & his, qui sub lege erant, quasi sub lege essem, vt eos lucrifacerem: his qui sine lege, tanquam sine lege, cùm tamen, inquit, non essem sub lege, nec sine lege. Ecce fit omnibus omnia, non amittens quod erat: sed coaptans se omnium vsibus: pari igitur ratione ex eodem contextu omnium se seruum fecit: cùm tamen liber permanserit. Liber certè Apostolus à necessitate alteri se quàm Deo subijciendi: liber à cura placendi alteri, quàm Deo, an quæro, inquit, hominibus placere? Si hominibus placerem, Christi seruus non essem: liber ab omni subiectione legis, & cæremoniarum eius, ab omni denique humano respectu, sic enim loquitur de subintroductis falsis fratribus, qui venerant explorare libertatem nostram, quam habemus in Iesu Christo, vt nos in seruitutem redigerent: quibus nec ad horam cessimus. Hæc est vera libertas, vera celsitudo animi illius, & pectoris Apostolici, de qua meritò gloriatur: Non sum liber? &c. & tantæ libertati animi libertatem etiam, & superioritatem officij publici sui coniungit cùm inquit, non sum Apostolus? & alibi Apostolus, inquit de se: non ab hominibus, nec per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem, in qua auctoritate superioritatis nec alijs coapostolis, qui etiam eum tempore præcesserant, in apostolatu se subijcit, mihi, inquiens, qui videbantur aliquid esse, nihil contulerunt: & iterum nihil existimat se detraxisse à magnis Apostolis, & reliquis omnibus, cum summa auctoritate se præfert, an experimentum, inquiens, quæritis eius, qui in me loquitur Christus, vnde & ait prædixi enim, & prædico, vt præsens, vobis, & nunc absens his, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam: & tandem eisdem, arbitrantur nos (ait cum quadam pia indignatione, & grauitate) tanquam secundũ carnem ambulemus, in car-

Ad Gal. 1.

Ad Gal. 2.

Ad Gal. 1.

Ad Gal. 2.

2. Cor. 11.

2. Cor. 13.

2. Cor. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne enim ambulantes non secundum carnem militamus: nam arma militiæ nostræ,nō carnalia sunt,sed potentia Dei.Et post multa eodem loco de hac sua auctoritate,qua omnes sibi subijcit,addit tandem. Nam etsi amplius gloriatus fuero aliquid, de potestate nostra,quam dedit nobis Dominus in ædificationem,& non destructionem vestram non erubescam. Ecce veram libertatem Apostolorum: ecce superioritatem potestatis, & auctoritatis,quam Paulus in se ob exemplum certè aliorum ostendit.Hi enim sunt, de quibus Christus inquit, sicut misit me Pater,& ego mitto vos: legati eius repræsentantes, & exhibentes ipsum,propter quod,inquit,qui vos audit,me audit: & qui vos recipit,recipit me, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Hanc auctoritatis libertatem episcopis omnibus tenendam commendat Paulus ipse, cùm alibi Tito scribit: hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio: nemo te contemnat.Et alibi,Increpa illos durè. Et Timotheo: Præcipe,inquit,hæc,& doce:nemo adolescentiam tuam contemnat: & statim, indicans qua ratione hanc auctoritatem tenere debeant Christi ministri,inquit:Exemplum esto fidelium in verbo,in conuersatione,in charitate,in fide, in castitate:dum venio,attende lectioni,exhortationi, doctrinæ:hæc meditare, in his esto,vt præfectus tuus manifestus sit omnibus. Vides nunc non pompa, non multitudine famulantium, non splendorum vestium,non dedignatione aliorum,denique non specie aliqua superbiæ,& fastus secularis Apostolum docere seruandam esse auctoritatem sacerdotalis ordinis. Et Tito etiā hoc apertè dicit:in omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum, in doctrina,in integritate,in grauitate verbum sanum, & irreprehensibile,vt is,qui ex aduerso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Vides etiam quod seipsum adiungit Paulus:vt scilicet ostendat,quibus ille rationibus suam tantam auctoritatem tuebatur. Vnde etiam manifestum fit,quòd huic tam ingenuæ libertati, & potestati Apostolicæ nullo modo aduersatur,neque contraria est seruitus illa Euangelica, de qua Christus: Qui voluerit maior esse inter vos,sit omniū seruus:de qua etiam gloriatur Paulus, Nos,inquit,seruos vestros per

2. Cap.
1.Cap.
1. ad Tim.4.
2.Cap.
Cap. 20.
Qualiter epi scopi seruū sint Ecclesiæ: et quod hæc

per Iesum: non enim amissione potestatis à Christo datæ fit hęc seruitus,non animi deiectione:sed vera charitate,& humilitate propter quam admonet Paulus Christianos omnes,Vos inquiens,in libertatem vocati estis fratres,tantùm ne libertatē in occasionem carnis detis: sed per charitatem spiritus seruite inuicem.Hæc est seruitus, qua Christus ipse dignatus est nobis seruire: in qua quò quis dignitate, & gradu propinquior est Christo, magis seruit alijs: & quò magis seruit,altior est, propter hanc admonet seniores, consenior ipse, & testis Christi passionum Petrus:pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè,sed spontaneè secundum Deum, nec turpis lucri gratia,sed voluntariè:nec vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo,Et Paulus ipse, quem hactenus audiuimus tantæ auctoritatis gloriari,& quodammodo se extollere,quoties videbis quasi illorum omnium oblitum, non seruū modò se exhibere, sed omnium seruorum humilimum: & de hoc cum seruis omnibus certare, cùm ob infirmorum salutem id opus esset Thessalonicensibus scribit: ipsi scitis, fratres, introitū nostrū ad vos, quia non inanis fuit: sed antè passi multa, & contumelijs affecti,sicut scitis,Philippis,fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Euangelium Dei in multa solicitudine:& multa ibi loquitur de sua hac charitatis seruitute, ex quibus pauca audiamus:non quærentes,inquit,neque à vobis, neque ab alijs gloriam,cùm possemus vobis oneri esse,vt Christi Apostoli facti sumus paruuli in medio vestrūm, tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupidè. Memores enim facti estis fratres,laboris nostri, & fatigationis,vel, vt alij dicunt,sudoris,nocte, & die operantes, ne quem vestrūm grauaremus,prædicauimus in vobis Euangelium Dei. Vos testes estis,& Deus,quàm sanctè,& iustè, sine querela vobis, qui credidistis,fuimus. Et iterum inquit eisdem:Non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo: sed in labore,& fatigatione,nocte,& die operantes.Et alibi sic loquitur,Quę mihi opus erant,& his,qui mecū sunt,ministrauerunt manus istæ. Hæc illa seruitus est, de qua & alibi dicit, ego per omnia omnibus placeo, non quærens,quod mihi vtile est:

seruitus nec auctoritati repugnet, nec libertati
Ad Gal.5.
1.Pet.5.
1. Thes.2.
Cap.2.3.
Act.20.

1.Cor.10. est: sed quod multis, vt salui fiant, hoc Apostolos Christi seruos facit, non auctoritatis defectus, sed voluntas salutis omnium, propter quam vide quid de se, & alijs Apostolis Paulus

1.Cor.4. dicat, puto enim, quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus: nos stulti propter Christũ, vos prudentes in Christo, nos infirmi, vos fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles: vsque in hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. Vide si potes esse humilior, & magis officiosus seruus: & vide quàm non hęc prioribus illis contradicunt, in quibus de tanta potestate, & libertate gloriabatur, atque ita intelliges, quòd seruitus illa episcoporum, quam Brentius tantoperè vrget, nihil detrahit auctoritati, quin potiùs, quàm plurimum auctoritati suorum principum detraheret, & veritati Christianæ, si eos ab hac seruitute eximeret, quam Paulus illis non in opprobrium certè, sed in gloriam tribuit. Ministri enim Dei sunt, inquit, in hoc ipsum seruientes: & cui rogo seruiunt principes, cùm pœnas sumũt de malis: de quo Paulus loquitur ibi, nisi Reipublicæ. hoc

Rom.13. est suis ipsis subditis? Colligamus igitur hæc omnia, quibus probatũ est, neque quod tribuit Brentius principibus suis eis verè conuenire: neque quod aufert ab episcopis verè negari, vtrique sunt membra Ecclesię, siue secundum priuatam personam, siue secundum publicum officium, sed in Ecclesia altiora membra episcopi, & magis necessaria sunt, quàm principes: & illud etiam constat seruitutem, quam episcopis conuenire dicit, principum esse: nec quicquam derogare auctoritati, pergat igitur Brentius sua illa ratiocinatione, principes sunt nobilissima membra Ecclesiæ, prælati serui ergo imperent illis, & iudicent de eis in his, quæ ad doctrinam fidei pertinent: & ex duabus illis præmissis in contrarium totius veritatis sensum detortis inferat tam manifestum commentum, quo tota eccle

siastici

siastici ordinis ratio auferatur, & ministeriorum Ecclesiæ, atque ministrorum, origo Christi scilicet, institutio, & finis aboleatur. & denique ipsorum secularium principum ignoretur functio propria, & vocatio. Hæc omnia manifestè ostensa sunt ex eius dictis, & interim vocet me insani capitis, & qui vertiginem patior, & dicat se nescire, an vnquam aliquid cogitauerim de diuersitate vocationum in Ecclesia. Hæc inquam mihi dicat, cum his vitijs ille maximè laboret. Nam quæ maior incogitantia diuersitatis vocationum, quàm quæ tribuit principibus id, ad quod vocati, & missi sunt Apostoli? Hoc est ad doctrinam conseruandam in Ecclesia? quæ maior sensus vertigo, quàm secularia ecclesiastis miscere, imò auferre à Christi ministris præcipua ministeria, & principibus tradere? & quæ sanitas doctrinæ est, reiectis primis Christi ministris, ad pręcipua ministeria eius, ex media plebe, imò ex infima, vocare quos libuerit principibus? & vnico verbo perpetuam, & manifestam, & ab omnibus agnitam totius Ecclesiæ consuetudinem in finiendis dubijs circa doctrinam religionis ab episcopis, & ministris Ecclesiæ, & non à principibus conuellere? Sed nec hic quiescit verùm omnium hic tantus innouator: maiora audet, quę pòst parum videbis: verùm priùs obiter, ne quicquam, quod æquum est, principibus dari, abstulisse videamur, non est omittendum, quòd ea, quæ primò principibus tribuit Brentius, nec negamus, nec vnquam negauimus, pertinere scilicet ad eos confiteri fidem, & defendere: atque ideo persequi impietatem, & impios in religione: cùm hæc omnia illis adeò catholici non denegarint, vt potiùs sustinuerint Donatistarum calumnias de hac re: iniquum enim, illi dicebant vt ad principes fidei negotia referrentur, nec tamen propterea illi id omiserunt, calumnijs illorum respondit August. multa multis locis, ex quibus superiùs nonnulla diximus. Quamplurimùm sanè contulerunt catholici principes illis temporibus Ecclesijs aduersus hæreticos, & multis in rebus vsi sunt catholici episcopi eorum opera: vel cùm esset conferendum cum hæreticis: vel cùm Concilia congregari oporteret: vel certè cùm temeritas eorum foret comprimenda, ostendunt hoc collationes illæ

Cap.21. Quid circa fidem, & ecclesiastica negotia principibus delatũ sit in antiqua Ecclesia.

Augu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augustini cum Donatistis, in quibus iudices ex principum ordinatione dati erant, & susceptì à catholicis omnibus episcopis, quorum auctoritate, & interlocutionibus tergiuersationes hæreticorũ comprimerentur, & statueretur cuilibet, quid probare deberet, & an hoc vt oporteret fecisset definiretur: in illa certè collatione cum Donatistis cognitor sententiam scripsit, confutatos Donatistas à catholicis omnium documentorum manifestatione pronuncians. Ostendunt idem & Nicænũ ipsum, & reliqua prima illa Concilia principum opera congregata: ostendunt etiam & leges imperatorum, & episcoporum apud eos instantiæ pro Ecclesijs aut defendendis ne vsurparentur ab hæreticis, aut recuperandis illis, quæ vi ablatæ fuerant, vt ecclesiasticæ historiæ ostendunt. Sed in his omnibus satis iã ostendimus principes non dubia definisse, sed vt ab episcopis definirentur, vt nulli fraudi, aut calumniæ locus esset: vt rata haberentur, quæ definita erant, potestate illa temporali egisse.

Cap. 22. Quod cõtra auctoritatem episcoporum ex historia Socratis, & Theodosij opere Brentius adducit, explicatur.

Hæc cùm ratione certa ostensa sint, & historijs etiam ipsis, & operibus manifestantur, certè Brentius libenter se inueniri possent antiquitatis testimonia, pro se adduxisset. Cùm verò tam aperta sint Concilia ipsa omnia ab episcopis celebrata, & definitiones fidei in ipsis ab episcopis prolatæ, quid potuit contra tam apertam veritatem adferri? sed quia videbat, quantum hæc perpetua cõsuetudo Ecclesiæ habeat ponderis, quæsiuit etiam, vnde videretur aliquid probasse. Socrates (ait Brentius) in historia ecclesiastica lib. 5. cap. 10. inquit de Theodosio imperatore: quod cùm apud eum diuersa agerent diuersarum sententiarum, in quas tum scindebatur religio, episcopi cum alij Arriani, alij Macedoniani, alij Eunomiani, quæ tres sectę erant contra substantialitatem Trinitatis, tandè ita inquit Socrates, determinata die, cuiuscunque religionis episcopi ad aulam vocati conueniunt, vbi cùm conuenissent, excepit eos imperator, & accepto cuiusque dogmatis scripto, seorsum Deum orat: deinde, lectis omnibus, reliqua omnia tanquam separationem sanctæ Trinitatis inducentia reprehendit, & rupit: solum verò quod homousianam fidem continebat, laudat, & complectitur. Hæc ex Socrate ille citans, quid hic (inquit) mihi

mihi dices? quis est in controuersia ecclesiasticę doctrinę iudex? Primò imperator non accedit ad episcopos, tanquam ad suos dominos: sed vocat eos, tanquam seruos, ad suam aulam: Hoc de tuo assumis Brenti, quasi necesse foret aut eos seruos imperatoris esse, aut econtrariò imperatorem eorum: certè Socrates non dicit, tanquam seruos fuisse vocatos, vnde ergò colligis, quia vocati sunt ad aulam? nunquid propterea serui, aut propterea inuiti tracti? vocati sunt ipsis desiderantibus, & petentibus: quomodo enim catholici episcopi, qui nec priuatorum domos dedignari debent, cùm id ad salutem animarum expedit, exemplo Pauli, qui dicit, quod publicè, & per domos docuerit: & testificatus fuerit Iudæis, & Gentibus veritatem Euangelij: quomodo inquam dedignarentur aulam imperatoris adire? & non magis hoc ambirent sancta certè ambitione, quò possent veræ fidei rationem Catholico, & æquissimo principi ostendere? hoc agebant vtrique & catholici, & hæretici, vt Socrates ibi dicit. Quod igitur vocat eos imperator, nõ est superbiæ, aut contemptus eorum: sed humanitatis, & modestiæ: quod illi veniunt, non seruitutis, & subiectionis, quam erga illum circa spiritualia agnoscebant, sed necessitatis: quia nouerant potestati temporali, & gladio deferendum esse hunc honorem, à quo tranquillitas, & pax Ecclesiarum sanctarum contineri, & seruari poterat. Hoc reuerebantur pij omnes episcopi in imperatoribus: hoc nomine illis se submittebant, à quorum ministris Christus, & Apostoli non dedignati sunt iudicari: iniquè quidem secundum causam quoniam impij erant: cùm verò iam pij erant, iustè eis se submittebant episcopi ad temporalem hanc tranquillitatem Ecclesiarum quærendam: quod tunc maximè agebatur à catholicis. Sequitur Brentius, accepto cuiusque scripto, imperator non est contentus istius, aut illius iudicio: sed prosternit se precibus orans mentem suã gubernari à Spiritu sancto: vt inter sententias diuersas illam eligat, quæ conuenit veritati. Hæc libenter recipimus, consonant historiæ, & pietati Theodosij. cur non oraret Deum, & agnosceret suo spiritu opus esse, vt rectam sequeretur fidem, & vt eam alij sequerentur, ageret? sed addit Brentius, legit ipse scripta,

Act. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

„ pta,& expendi ea ſummo ſtudio :& cum dono Spiritus ſancti
„ illam veram agnouiſſet, quæ tradit æqualitatem diuinarum
„ perſonarum publico edicto iubet, omnes hanc doctrinam ſe-
qui.Hæc ait Brentius, ſed ex ſuo etiam in extrema omnia tra-
hens. Nam quòd inquit ſummo ſtudio expendiſſe Theodoſiũ
hæreticorum,& catholicorum ſententias,& dono Spiritus san
cti cognouiſſe alteram veram eſſe,meritò quæram ab eo,quo-
modo expendit, num vt iudex doctrinæ, conſulens loca
omnia Scripturæ, & diſputationes quàmplurimas circa il-
la perlegens? certè ad hoc longo tempore, & multo ſtudio
opus habebat:quod tunc imperatorem conſtat non habuiſſe:
Denique nec tantũ iudicij ſibi arrogabat imperator, qui hu-
limè ab Ambroſio ſe fatebatur edoctum, quæ eſſet differen
tia ſacerdotis, & imperatoris:nec auſus eſt presbyteriũ ingre-
di,etiam rogante Conſtantinopolitano epiſcopo:ſed dixit, ſe
inueniſſe verum epiſcopum Ambroſium, qui eum doceret,
quantum diſtaret inter purpuram, & ſacerdotia. Quomodo
Theodoſius,vir inclitaris,totus bellicis rebus occupatus poſ-
ſet de myſterijs fidei difficilimis ſenſum Scripturæ penetrare?
aut quomodo ſe iudicem conſtituere auderet ſecreti myſterij
trinitatis?qui rem tantò minorem fatetur ſe non niſi edoctum
ab Ambroſio intellexiſſe?ſed orauit, inquit Brẽtius,& Spiritu
ſancto eſt illuſtratus. Veriſſimum eſt certè, non feciſſet rem tã
dignam catholico imperatore,niſi à Spiritu ſancto illuſtratus:
Spiritus autem ſanctus humiles illuſtrat,& eos,qui non plus ſa
pere volunt,quàm oportet:ſed ad ſobrietatem.Abſit ergo, vt
Theodoſius hoc contenderit ſuis precibus, vt de re tam difficili iudex fieret toti Chriſtiano populo.Sed ne coniecturis agamus, nónne manifeſtè conſtat Nicænum Concilium præceſſiſſe,& in eo definitam hãc quæſtionẽ à. cccxviij.patribus, hanc definitionem à Conſtantino probatam,& in tota receptam Ecclesia?quod Theodoſius non ignorabat, cum hiſtorijs ſit proditum, quòd nec baptizari voluit à Theſſalonicenſi epiſcopo, niſi priùs intellexiſſet,eum Nicæni Concilij fidem tenere.Hoc ergo ille egit: non vt ſuum ſequeretur iudicium, ſed Nicæni Concilij:hoc curauit, vt agnoſceret quorum ſcripta illi Concilio

cilio conſentiebant,& illa probauit. Quid ergo hinc Brentius clamat,Imperatorem fuiſſe iudicem?quod refert vnius hiſtorici verbum,eſt de opere vno duntaxat vnius imperatoris, quomodo ex hoc contra omnium hiſtoriarum teſtimonia,contra auctoritatem tot grauiſſimorum Conciliorũ,imò contra omnia alia Theodoſij imperatoris opera,perſuadebit nobis Theodoſium ſe iudicem conſtituiſſe dubiorum fidei. Certè ſi hoc ita eſſet, corrigendum foret in Theodoſio plurium ſcilicet, imò & omnium aliorum catholicorum principum, & Conciliorum auctoritate, & nõ ex vno priuato opere omnibus alijs, & conſenſui Eccleſiæ derogandum. Brentius vnum verbulum potuit inuenire contra tot milia, imò omnia de hac re hiſtoriarum,& patrum verba:meritò igitur, hoc ex alijs iudicantes, accipimus factum ab imperatore pia, & ſancta intentione: erat enim ille certiſſimè pius,vt ſcilicet videret quid Nicæno Concilio conueniebat, in quo ſciebat certam eſſe regulam fidei firmaram etiam legibus ſuorum prædeceſſorum, & non vt ille denuò iudicem ſe conſtitueret: quæ ſi rectè penſemus non parũ noſtra confirmãt. Ecce in tanta multitudine eccleſiaſticarũ hiſtoriarum, ſolùm hoc verbulum potuit Brentius inuenire, vnde aliqua veriſimilitudine,ſed falſa,perſuadere poſſet, quod tam conſtanter & confidéter affirmat,eũ omnia,quæ hiſtorijs prodita ſunt, de hac re,manifeſtè contrariũ oſtendant. Sed & alia,quæ dicit exemplo Dauidis,Salomonis,Ezechiæ, Ioſaphat, Ioziæ piorum regum pertinere ad principes: demoliri alienos à vera religione ritus: & exhortari etiam per legatos ſuos omnes ad verum Dei cultum, & timorem libentiſſimè ſuſcipimus: atque vtinam catholicos Principes tanto zelo ardentes nobis mitteret Deus, vt ſicut rex Iozias congregato populo legem Dei ipſi exponerent,ipſi exhortarentur ad eam ſeruandam in toto corde nonnunquam pactum ineundum cum Deo à populo curarent. Vtinam & cum Ioſaphat tanto arderent deſiderio, vt & de principibus ſuis quoſdã ſacerdotibus, & verbi miniſtris adiungerent:efficerentque, vt per vniuerſos ditionum ſuarum fines maiori cum auctoritate, & annunciaretur, & commendaretur omnibus diuina lex.Hæc verò, quæ

Cap. 23. Quod ex Dauide, & Ezechia, & alijs pijs regibus Brentius adducit, oſtenditur nõ probare, quod ad principes pertineat definire dubia fidei.

4.Reg.23. 2.Par.17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad veterem legem pertinebant, non putauimus hoc loco tractanda, quæ solùm vmbra erant nostrorum quæ longè explicatiora sunt,& probata, hoc enim legimus à pio illo rege factũ, nec tamen, quod Brentius aut dissimulat, aut credi vult à legentibus, principes missi sunt à rege ad docendum: quasi confusa essent ministeria hęc in populo Israël, cuius contrariũ satis nobis vel hic locus ostendit, cùm apertè scriptum sit ibi, quòd miserit principes,& cum eis Leuitas,& Sacerdotes: Docebantque, inquit, scriptura, populum in Iuda, habentes librum legis domini: & circuibant vrbes Iuda: atque erudiebant populum. Qui, nisi Leuitæ,& Sacerdotes? aut si manis mordicus litteræ adhærere principes hoc fecerunt: non tamen sine illis. Vtrique igitur hoc agebant, principes iuxta gradum suum, & Sacerdotes, atque Leuitæ iuxta suos, principes ergo per illos, quibus fauebant regio mandato, & illi per principes, quibus regia auctoritate astantibus excitabantur ad id, quod sui muneris erat agendum, instruebant populum. Quanquam etiam si principes illi docuisse probentur, nihil tamen impedit ordinẽ Ecclesiæ, fortè enim in lege veteri, vbi non tam spiritualia erãt ministeria, quàm nunc, non erat tanta distantia: quamuis ipse
2. Paral. 19. Iosaphat manifestè satis discernat, quid sacerdotibus conueniat: fieri etiam potuit, vt ipsi principes sacerdotes essent. Vtinam igitur hæc exempla iam intuerentur nostri principes: à quibus non longè sunt ea, quæ de Constantino,& pijs alijs regibus atque imperatoribus diximus, sed in his omnibus nec Ezechiam, nec Ioziam, nec Iosaphat legimus dubia, & incerta aliqua religionis definisse: sed nec ipsum Dauidem, aut Salomonem, quamuis prophetico spiritu præditos, vsquam legimus fuisse iudices controuersiarum fidei,& religionis. Doceat quantum ei dederit Deus, Dauid filios suos, atque populum timorem Domini: doceat iniquos vias Dei: conetur omnes in amorem eius accendere. Loquatur Salomon vel verbo, vel scripto Ecclesiæ: & quamuis illi speciali hoc diuina reuelatione fecerint: quanquam & hos dominos constet prophetiæ spiritũ, & diuinas reuelationes habuisse, atque ob hoc, quod circa fidem religionemque aut scripserunt, aut gesserunt, non regia, sed

sed prophetali auctoritate gessisse credi possunt: cùm tamen hoc omisso quæ eos legimus fecisse, nõ meritò desiderabimus à cunctis etiã inferioribus principibus fieri. Doceat quilibet, & exhortetur filios suos, familiam, & domesticos, subditos etiam,& populos. quis vnquam hæc prohibuit? sed quàm longè hæc omnia à ferenda sententia in controuersijs? illa enim omnium sunt: ab omnibus fieri possunt, iuxta captum cuique proprium: ad illa non opus est aut magna Scripturæ sacræ scientia, aut difficilium locorum studio, neque eruditione quidem: pietas,& affectus simplices,& humiles de his omnibus docent: dubia verò fidei,& difficilia soluere, & in eis statuere certum: res ipsa ostendit, quàm sit paucorum: quanta ad id necessaria eruditio, lectio,& attentio animi, &, quod primum omnium est, humilitas, & mentis puritas! propter quod illud Pauli saluberrimè auditur in Ecclesia, non plus sapere, quàm oportet, Rom. 12.
sed vnicuique, secundum quod Deus diuisit mensuram fidei. Itaque sana & catholica fides nec principes, nec priuatos excludit à negotijs religionis, non à cura,& solicitudine propagandæ,& promouendæ pietatis, sicut non eximit à studio, & meditatione diuinæ legis, confessioneque fidei, nec opus erat Brentio id multis agere nobiscum, qui nihil horum negamus.

Cap. 24. Ostenditur Brentij ratio qua suorum principũ asserit auctoritatẽ, sibi contraria, & totius seditionis causa.

Atque vtinam his ille contentus non plura addidisset. Sed vt cognoscas, pie lector, quæ sit fidentium iudicio suo doctrina, audi paucis, quod Brentius his superædificat: & qua ratione ad principes ait, imò ad pios omnes pertinet cõfiteri fidem, detestari errores, omnésque ad hoc obliget, inquiens: omnibus dicitur illud Ioannis, Nolite omni spiritui credere: & illud Pauli, si Angelus de cælo aliter euangelizauerit anathema sit, at, inquit, hæc non possunt facere, nisi priùs iudicauerint, quæ sit vera fides, nisi priùs cognouerint, & statuerint, quid certum, quidue incertum sit, quod sine iudicio proprio fieri non valet: neque quidem vllo modo licitum est, in causa æternæ salutis alienæ sententiæ ita inhærere, vt eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur. Hæc enim sunt eius, quasi ex oraculo quodam, prolata verba, de quibus sequenti loco Deo adiuuante agemus. Nunc audiamus, quid infert ex his principijs:

„ nam hîc etiam eius referam verba, sic enim colligit, Non so-
„ lùm igitur ad vniuersam Ecclesiam Dei, & ad eum cœtum, qui
„ in nomine Christi publica auctoritate conuenit: verumetiam
„ ad vnumquemuis hominem priuatum, qui est Ecclesiæ mem-
„ brum, pertinet de doctrina religionis iudicare, & veram, à fal-
„ sa internoscere. Sed hoc interest, ait, inter priuatum, & princi-
„ pem, quod vt priuatus priuatam, ita princeps publicam habet
„ de doctrina religionis potestatem iudicandi, & decidendi. Vbi
multa meritò occurrût & obseruanda, & cauenda, de quibus sequenti loco: illud duntaxat nunc aduertamus, quod satis est, vt videri possint, quanta sit auctoritas adhibenda Brentio. Ecce enim suo gladio cuncta sua, quæ priùs dixerat ipse confodit: & sic sibi contrarius est, vt vniuersam Ecclesiam confundat. Ostendimus superiùs illum hoc apertè egisse circa ministros, & ministeria omnia Christi, & circa fidem ipsam, quod hæc eius proxima verba etiam nobis tacentibus clamant. Vult quemlibet in rebus dubijs fidei suum sequi iudicium, vt nulla alia sit vnitatis fidei ratio, sed quisque, quod sibi videbitur, id sequatur. Sed de his priùs satis. Nunc ipsam suorum principũ auctoritatem, cuius tam acerrimus est defensor, vnico verbo sic destruit & euertit: vt nihil relinquat integrum in ea eorum, quæ maximè conatur illis tribuere: vt enim apertè dicamus, omnes liberat ab obedientia, & subiectione eorum in rebus salutis, & fidei: quod apertissimè iam vide. Obligat principes, vt diligenter dubia fidei ipsi agnoscant, & definiant, ad ea tenenda cogant subditos suos omni seueritate pœnarum: etiam morte persequantur contrariam doctrinam: & deinde permittit priuatis omnibus, imò obligat eos, vt ipsi iudicẽt, nec enim consentit, vt quis alienæ sententiæ, sine proprio iudicio consentiat, quamobrem ad quemlibet, ait, priuatum hominem, pertinet iudiciũ de his rebus: itaque nullus, cui aliter visum fuerit, tenebitur parere iudicio principis. Quis vnquam talem constituit auctoritatem, & potestatem: mandandi scilicet alijs sub grauissimis pœnis, quod tamen illi, pro solo suo iudicio reijcere possint? quæ rogo est hæc auctoritas, cui nullus, nisi pro suo arbitrio, parere tenetur? Precariò itaque regnabũt principes, fru-

frustrà igitur mandabunt, & pœnas apponent illis, qui obedire non tenentur. Demus, quod Brentius docet fieri, & cogitemus, quæ sit facies illius Reipublicæ, vbi princeps statuit, quid circa fidem sit tenendum secundum iudicium suum, & grauissimis pœnis, atque morte vindicat inobedientiam circa hæc: ex subditis verò alij, quibus illud iudicium placet, consentiũt, reliqui contradicunt, quod & tenentur facere secundum Brentij sententiam, nec enim possunt alienæ sententiæ sine proprio iudicio inhærere, nec his contentus quemlibet etiam priuatum hominem armat, & excitat ad seueriter animaduertendum in suasorẽ erroris: citato enim loco ex. 13. capite Deuteronomij, Si tibi voluerit persuadere frater tuus, &c. Dicens eamus, & seruiamus dijs alienis, &c. non acquiescas ei, nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum: sed statim interficies, ita, inquit, qui iubet quemuis etiam priuatum hominem, in Ecclesia populi Dei tam seueriter animaduertere in suasorem idololatriæ: an non eadem seueritate exigit, vt de idololatria iudicet, ac alienos deos à vero Deo diligenter discernit? vbi si quæram ab eo, ánne licitum fecerit hæc lex cuilibet priuato, proprio iudicio, siue publicæ potestatis sententia, interficere suasorem idololatriæ, nescio quid respondeat, ego apertè video, legem iubere priuato, vt talem accuset, sitque contra illũ testis, non occultes, inquit illum: & deinde, sit primùm manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum. Hoc certum est à lege statutum, vt cùm publica sententia aliquis damnabatur, vt testes primò lapidarent. Itaque lex non exigit à priuato, quòd animaduertat ipse proprio iudicio, sed nec permittit: iubet tantùm, vt iudicet, & personam agat testis, Quod si Brentius ita intellexisse se dicat, libenter audimus: sed cur statim inquit, quod lex eadem ratione exigit à priuato, vt iudicet de idololatria, & discernat deos alienos à vero? nónne hoc est Scripturæ apertè contradicere? certè sic debet iudicare de idololatria, sicut de occidendo: hoc autem non potest, sed solùm testis esse debet. Iudicium ergo de homicidio, & idololatria non ad eum, sed ad iudicem pertinebit, quantò ergo, germaniùs hunc locum intelligemus, legem exigere à priuato,

vt manifestam defectionem à Dei cultu suadentem accusetː permittit verò publicæ potestati iudicium? alioqui si neque subditi superiori obediant, nec iudicium illi permittant, & priuati suo etiam iudicio contra se inuicem insurgant, ipsique iudices se constituãt in causa omnium maxima, vt Brentius docetːquanta hìc erit, rogo, confusio, quanta seditio? videor mihi maledictionem illam Esaiæ ibi compleri: tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem, & corruet populus, vir ad virum, vnusquisque ad proximũ suum. Hoc est principum auctoritatem confirmare, constringere scilicet eos ad prȩcipiendum, & puniendum id, in quo nullus subditorum teneatur illis obedire? certè hoc ego magis dixerim, destructionem esse auctoritatis principum, & certè totius humani conuictus, & tranquillitatis, atque pacis, quam ædificationem boni cuiusquam. Et inter hæc, inquit Brentius, ineptum me esse, quòd causam, quam ago prælatorum, magis destruam, certè quod pura conscientia dicere possum, solius Christi, & veritatis causam cupio agere, Brẽtius verò, qui causam agit suorum principum, tanta dexteritate agit, vt ostendimusːquòd nullum eis subditum relinquit in ea ipsa re, in qua auctoritatem illis tribuit, quod vt exemplo proprio iam dicam, certè principi suo illustrissimo duci, nullus hostis plus potest inferre malorũ, quàm quæ ex hac doctrina Brentij contra eum manifestissimè sequuntur. Non ignorat Brentius, nec est vllus, qui ignoret quod sit iudicium circa controuersias has Cæsaris, supremi principum Germaniæ domini. Deinde Ferdinandi Romanorũ regis, & domini Austriæ, cuius Vvirtenbergensis dux feudatarius est, & subditusːnec solùm nouimus quid sentiant, sed, quod id velint ab omnibus subditis obseruari, & teneri, sæpe testati sunt principibus in suis publicis conuentibus. Si ergo debent principes omnium pœnarum genere persequi contrariam fidem, sequentes eius, quam ipsi iudicant veram, debet imperator, & rex Romanorum ducem Vvirtenbergensem cogere ad ea sequenda. Armat itaque Brentius Principes summos contra suum dominum, vt scilicet ipsi meritò possint dicereːec ce doctoris tui, & propugnatoris Brentij sequimur sententiã, & om-

Esa. 3.

& omninò fidem, quam nos certò veram esse credimus multò iustiùs quàm tu tuam, volumus vt sequarisːidque omni auctoritate nostra, vt fiat, sumus acturiːaut igitur ditionem, & vitam amittes, aut parebis. Nónne hæc manifestissimè Brentius docetːet hoc ex illa doctrina vtilitatis adfert suo domino, imò fidei suæ, contra quam hoc verbo potentiam excitat tantorum principum· sic igitur suo principi conciliat superiorum principum gratiam: sed hoc nomine dignus, cui ille agnoscat, quòd primò in totam fidem suam, quam ille prę omnibus alijs rebus amare debetːDenique & in seipso idẽ commisitː excitat enim vires imperatoris, & regis Romanorum, primò certè in primos auctores nouæ huius fidei, quorum ille non infimus est. Quid igitur mirum si sua tam præcipiti loquacitate noceat principi suo, qui in se primò summam potentiam excitauit? si, quod Brentius dicit illi fecerint, primò ille peribit, nisi fortè audeat imperatorem, & Romanorum regem impios principes dicere. Non habet quò effugiat Brentius, nisi fateatur, quod reuera agit, vt in hac causa salutis, & fidei quemlibet suo iudicio relinquat. Sed quia vidimus quid attulit suo principi erga superiores, videamus iam, qualiter subditos illi reddit deuinctos, Præcipiat (ait) princeps, quod videbitur. & qui aliter iudicauerint, non pareant: quia nec debent, nec possunt quidem, nisi vt iudicauerint. Itaque superiores, imperator, & Romanorum rex persequentur ducem, nisi illorum fidem sequatur: subditi verò non parebunt ei: & hoc eodem modo eueniet principibus Germaniæ cæteris. Vide igitur qualiter egerit illorum causam Brentius, & vide quàm verum sit illud prophetæ, Qui te beatum dicũt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Fateor me credere, quòd cùm hæc Brentius scriberet, memor non erat imperatoris, & Romanorum regis. Nam si hoc cogitasset, aut tacuisset, aut non tantis verbis eos excitaret, & armaret aduersus, non tantum dicam, suum dominum, sed etiam seipsum, & suos omnes. Non vidit, quòd hac doctrina seditionem totius Germaniæ, & vltimam desolationem afferebat. Sed quanta hęc inconsideratio, nõ cogitare, cùm de principibus loquitur, primos, & summos Ger-

maniæ principes,& cùm pro eorum auctoritate declamat,omnes subditos ab eis eximere? Non itaque opus est, vt respondeamus Brentio, quandoquidem tam manifestè sibi ipsi contradicit,& seipsum destruit. Paradoxon illud,vel oraculum potiùs,nullo modo licitum esse alicui in causâ æternæ salutis alienæ sententiæ inhærere, vt illam amplectatur sine proprio iudicio:non est opus alijs verbis confutare, cùm ex eo totius humani generis dissentio sequatur: & omnis auctoritas, omnisque potestas est ecclesiastica,& spiritualis negetur: auferaturque omnis obedientia in rebus omnibus fidei, & salutis æternę,in quibus maximè necessaria est:ob quam etiam conseruandam vtraque potestas,& ecclesiastica,& ciuilis,maximè in Ecclesia introducta sunt. Ex his igitur,quæ Brentius & pro suorũ principũ, & cõtra episcoporũ,ministrorumq; Christi auctoritatẽ in definiẽdis dubijs circa religionẽ dicit:& quàm vera sint: & quantũ causam suam adiuuẽt satis credimus ostensum esse.

Cap.25. Quàm frustrà contra episcopos legitimos Brentius excipiat de moribus: quod nõ minus contra principes fieri potest.

Nec est hoc loco omittendum, quod, vt episcopos à iudicio excludat dubiorum,excipit aduersus eos, de corruptione morum,& vita longè aliena ab Apostolis,vt propter hæc à loco suo eos deijciat, quasi verò nihil horum in principibus inueniri possit, aut ignoremus qualis fuerit Iulianus Imperator: vt de Nerone, Maximiano, Decio, & alijs, qui alieni omnino fuerunt à Christo taceamus:& inter eos, qui religionem Christianam professi sunt,non latet qualis fuerit Valens imperator, vel quid Iustina imperatrix per filium Valentinianum iuuenem egerit aduersus catholicam Ecclesiam, & sanctissimum Ambrosium:& ipsorum imperatorum, & principum piorum, & optimè meritorũ de Ecclesia,& religione nostra,non pauca legimus grauiora etiam crimina. Itaque siue antiquos principes spectes, siue proximiores nobis spectemus, non est quod ad mores attinet vita eorum omnino inculpabilis: vt si episcopos propter hoc reiecteris,non sit defuturum,quod contra principes excipi possit, quod sine cuiusquam iniuria dictum accipi volumus. Nec enim nunc vel in aliquem certum, quod nobis nec licet,nec libet, dicimus nec in statum ipsum, in quo non dubitamus,sicut & in cæteris hominum conditionibus, vitæque

que institutis,non deesse quamplurimos omni præditos virtute,alios mediocri, alios etiam reprehensibiles:sed hæc eò allata sunt,vt, quàm iniquè Brentius omnes prælatos tam frequenter in his Prolegomenis traducat, ostendatur, cuius criminationibus præcedenti loco respondimus,quamuis nulla alia responsione sit opus,quàm sua ipsius,qui per malos ministros fatetur effici id,ad quod à Domino ordinati sunt. At nos ostendimus episcopos, legitimosque pastores, & doctores Ecclesiæ quales sunt: qui sedi Petri communicant, & legitimo ordine ingressi sunt Ecclesiam, ordinatos esse à Christo ad docendos populos in his,quæ ad salutem æternam spectant. Et quidem certissimum est ex dictis,aut nullos esse à Christo ad hoc ordinatos(quod ne verisimile quidẽ est) aut nullos alios esse, quàm istos,quibus ille dicit,Prædicate euangelium,& docete omnes gentes, &c. ergo etiam, & si peccatores sint, efficiet per illos Spiritus sanctus ad quod ordinati sunt. Frustrà itaque de vita, & moribus calumniatur Brentius,& ostendit se nihil aliud agere,quàm vt hoc nomine odiosos reddat,& contemptibiles populis ministros Ecclesiæ:& tamen,ait mox in principio, quòd si quid duriùs in prælatos dici videbitur, mihi sit imputãdum. quare obsecro? quia dico ad principes non pertinere dubia erga fidem, & religionem definire. si hoc falsum est, mihi esset inurenda nota,non prælatis omnibus. sed qui veritate certissima se premi videbat,cùm eam haberet odio, quid potuit agere,quàm in contumelias prorumpere. Hæc enim sunt eorum, quæ loquitur in hoc præcipuè loco de principum suorum auctoritate,maxima certè portio:cui cùm sit responsum, iam respondendum est his,quæ contra ea, quæ diximus in præfatione catholicæ nostræ assertionis Brentius loquitur, non reijciens tantùm,sed cõtemnens illa. Diximus enim,quæ maximè credimus necessaria præcipuè principibus, & ea ipsa nunc iterum consideranda proponimus: vt terminis suis quisque contentus sit:nec velit iudex esse harum controuersiarum fidei, quòd nec cessabimus vnquam,& illustrissimo duci,& cunctis,qui audire volunt inculcare, & repetere:ne se constituant iudices fidei,& religionis. quo vnico verbo adhibita est medela præsen-

Cap.26. Verba illa, Vade post me Sathana nihil contumelioſum habere.

tibus omnibus malis. Hoc ago in illa præfatione, quod, vt explicem, dico primò omnium agnoscendum esse cuilibet, & ei maximè, qui zelo quodam religionis, & fidei fertur, quem gradum habeat in Ecclesia, vt illum non transgrediatur: quod est, Deum non sequi, sed præcedere, Dei ordinationem ad se trahere, nō se ab illa duci permittere, Ne dicatur illi, Vade post me Sathana, scandalum mihi es, non sapis quæ Dei sunt. cuius verbi causa, bone Deus, quantum vociferatur in nos Brentius, dicens me in summo Ecclesiæ gradu ita collocare episcopos, & ministros Christi, vt seculares principes non videantur tantùm scabellum pedum eorum: verùm, etiam si susceperint confitendam veram suam fidem, vel refutandam aliorum impietatem, quod est cuiusque pij officium, continuò audiant à prælatis illis, & vicarijs Christi, Vade post me Sathana: scandulum mihi es, &c. Et iterum inquit, quòd ita deijciam à summo gradu principes, vt si extenderint manum suam ad succurrendum ruēti, & iam casuræ Ecclesiæ, abigam eos à subsellijs, grauissimis verborū contumelijs laceratos, & tanquam Sathanam in æternum barathrum detrudam. Quid enim aliud, inquit, vult sibi illa vox haudquaquam in loco suo vsurpata, Vade post me Sathana, vbi vt non respondeam Brentio, cùm inquit, si principes susceperint veram suam fidem confitendam, & refutandam aliorum impietatem: quid si è contra falsam fidem confiteantur, & veram pietatem impugnent, dici ne poterit, Vade post me Sathana? sed vt hoc omittam. Hoc primò respondebo, me, cùm hæc dicerem, neque principis alicuius, nec priuati mentionem fecisse: tantùm in vniuersum admonuisse omnes ad gradum suum agnoscendum, & sequendum: qui autem nimio zelo transgrediuntur gradus sui limitem, similes esse insinuo Petro, qui nimio amore Christum ipsum conabatur impedire, ne pateretur: quare illi dictum est à Christo, vade post me, quod non est, tanquam Dæmonem in barathrum detrudere, sed potiùs ad se vocare sequendum, vade post me, non præcedas, sed sequere: vbi si attentè cogitemus contextum, & Augustino credamus, quod dicitur Sathana, non ad opprobrium pertinet: sed nuda tantùm est manifestatio, quòd aduersaretur Chri-

Christo, ac si diceret, vade post me, & non aduerseris, non sis mihi impedimento. Deinde omnia illa excusationem quandā magis habent illius peccati, atque ideo mansuetam tantùm correptionem bono zelo errantis. non, inquit, sapis quæ Dei sunt: ac si diceret, putas mihi consulere, sed aduersaris: atque vt domesticus, & dulciter quidem, (vt cum Bernardo dicam) sed non prudenter me amans ad illos pertines, de quibus est dictum: Inimici hominis domestici eius. Certè vtcunque hoc susceperit Brentius, negari non potest germanum illius loci sensum non esse, vt significetur detrusio in infernum, vel abiectio aut despectio: sed admonitio pia, ad sequēdum Christum. Ostenditur Petro suauiter quidem error, & remedium apponitur: vade post me: ego verò nō in alieno sensu, sed in proprio ea vsurpo, & transfero in ea significatione, qua à Christo dicta sunt, ad eos, qui, vt Petrus, nimio zelo excedūt terminos suos. Nónne igitur & Scripturæ sensum corrumpit, & manifestè imponit mihi ex hoc verbo, quòd in barathrum detrudam principes. Hoc agit Brentius acerrimus quidem in me vindex alienæ interpretationis Scripturæ. quomodo igitur ita nunc eam peruertit, vt hoc verbum Vade post me Sathana, intelligat significare detrusionem in infernum, ac si dictum esset, vade à me, secede longè in infernum: & non videt, quantum hæc duo distent: certè, qui sequitur me, inquit Christus, habebit lumen vitę, vade itaque post me: inuitatio est ad lumē, & ad vitā: vade in barathrū, proiectio est in mortē, & tenebras æternas. quę igitur maior corruptio Scripturæ, & sinistra interpretatio mei sensus? cùm etiam si opprobrium haberet aliquod, nullus posset in principes dictum meritò accipere, cùm in vniuersum dictum sit in omnes transgredientes limites suos, etiam si bono animo id, & vt consulant religioni faciant. Nunquid qui docet auarum, aut adulterum Deo odiosos esse, & ob id hæc vitia maximè principibus fugienda: iudicandus est propterea iniuria affecisse principes? & quidem non plus ego feci, imò verò hoc ipsum excusaui, quod reprehendi, cùm hæc verba dicerē, vade post me Sathana. Primò quòd Petro significaui similes esse, qui hoc faciunt: cùm ille dixit Christo, absit à te domine:

Dein-

Deinde quòd pia quadam intentione id fieri posse ostendi, sicut & Petrus hęc verba dixit. Non potest calumniari aliquis, maiorem contumeliam me dixisse: quàm quæ in Petrum dicta est: at verò Petrus non priuatus est, quia hoc dixit, priuilegijs, & laudibus paulò antè sibi promissis: Beatus es Simon Barjona: Et tibi dabo claues regni cælorum. Ostendo igitur non esse hoc, de quo loquor, semper, & necessariò tam graue peccatum: vt vel diuino fauore, vel gratiæ promissionibus indignum reddat. Et inter hæc omnia, non dico, vel à me dicendũ hoc verbum alicui, vel à prælatis ipsis: sed tantùm dico ne dicatur ei, certè ab ipso Christo, & spiritu eius, non ab vllo prælatorum. Quid ergo hic iniuriæ, cùm dico in vniuersum omnibus, caue ne velis præire Dei spiritum, ne dicatur tibi, Vade post me Sathana, hoc non est dicere, quod audiant, principes à venerabilibus illis vicarijs Christi, vt Brentius irridendo dicit, Vade post me Sathana: sed tantùm timendum esse his, qui non se continent intra proprium gradum, quicunque illi sint, ne dicatur eis hoc ipsum à Deo, vbi etiam simul admoneo de vero remedio, vt scilicet ad se conuersi audiant à Christo, Vade post me, ne aduerseris mihi, cùm putas obsequi: & humiliter sequantur ordinem eius.

Cap. 27. De peccato Osiæ offerentis incensum. 2. Paral. 26. 2. Reg. 6.

Sed audiamus, quæ sequuntur, cùm enim ego, vt de terrena à transgressione proprij limitis, & vsurpatione alieni ministerij in Ecclesia, exempla adduco Osiæ regis Iuda, qui à Deo percussus est lepra, eò quòd offerre voluit incensum: & Ozæ, qui occisus est, quoniam tetigit arcam Dei se inclinantis. Brentius propter hæc multũ contra me clamat. Primò, inquiens, mirari se, cùm his exemplis principes à suscipienda cognitione, & iudicio de doctrina religionis deterrere volo: si quicquam cogitaui de discrimine vocationum. Nam, inquit ille, sequi legitimam vocationem aliud est, quàm illegitimam vsurpare. ego verò magis meritò mirari debeo, quod tã inconsideratè reprehendat ea, quæ, cùm reprehendit, maximè confirmat. Eo loco nihil in speciali agimus de vocatione principum, aut aliorum: sed hoc tantùm, quod primò omnes quidem, sed maximè principes curare debeant, ne transgrediantur vocationis suæ terminum, quod illis exemplis manifestum est, quàm

quàm sit pernicioſum: longè pòst incipio ego inquirere, & pro captu meo, atque pro exigentia illius loci ostendo, quæ sit vocatio principis, quæ sacerdotis illa impugnet Brentius, postea, vt facit: sed hic falsissimè dicit, vt scripta ipsa ostendunt: me his exemplis deterrere principes à suscipiendo iudicio doctrinæ, cùm apertè tantùm agam, vt his exemplis doceam quàm necessarium sit principibus etiam gradum suum agnoscere, & tenere, quod, vt diximus, efficacissimè persuadent illa exempla. Deinde quomodo non cogito de discrimine vocationum, qui post pauca in eodem loco mox descendo ad ostendendum, quæ sit cuiusque vocatio? sed ait Brentius, impudenter, & mendaciter me dixisse, Oziam nihil detraxisse cultui diuino. An nõ est detrahere, inquit cultui diuino, quod sibi diuina ordinatione, & aperto, manifestoque verbo Dei prohibitũ est vsurpare? scio quidem omni peccato detrahi Dei cultui, communi, & vniuersali ratione: quia scilicet eius præcepta transgredimur, vnde minus cum colimus: id verò maximè cùm prohibitum à Deo erga proprium cultum vsurpatur. Cæterùm cogitare debuit Brentius, erga cultum Dei, qui ad religionis virtutem pertinet, sicut erga cæteras virtutes, quæ in mediocritate quadam constitutæ sunt, dupliciter peccari: nonnunquam similitudine virtutis, sed excessu, sicut prodigus erga liberalitatem peccat, & plus nimio abstinens, & vltra vires, erga temperantiam: aliquando verò contrario actu, & defectu virtutis, sicut auarus, & tenax contra liberalitatem, & qui crapulæ, & ebrietati vacat contra temperantiam, isti defectu à virtute, & actu omnino contrario peccant. ideoque grauiùs: alij verò similitudine virtutis, sed dum nimij in ea sunt, & contra eam agunt, sed multò minùs, quàm alij. Prodigus, quod attinet ad liberalitatem, melior est auaro, quia hic detrahit, ille superaddit. Hac ratione dixi, Oziam non detraxisse cultui Dei, non peccasse contrario actu, & defectu religionis, vt peccaret si prohiberet offerri incensum Deo: aut illum blasphemaret, qui hoc ageret, detraheret, deficeretque à religione. peccauit verò excedens sicut prodigus, & reuera superstitiosus: idque dixi, quo rem magis exaggerarem: peccauit Ozias contra religionem, sed non gra-

uissi-

uissimo peccato in hoc genere, quale fuisset si cultum Dei impediſſet, ſi Deum blaſphemaſſet, aut eius detraxiſſet gloriæ: ſed peccauit Deo volens ſacrificare, atque ita non detrahens, ſed ſupra addens, & tamen punitus grauiter eſt. Diſcrimen hoc etiam in ipſa ſcriptura obſeruatur: loquitur Deus de ſua lege, Non addes quicquam, nec minues. Et alibi, Non declinabis, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram, ecce vbi duæ rationes recedendi à medio indicantur: Ozias non minuit quicquam de lege, ſed addidit. non legimus eum prohibuiſſe ne ſacerdotes offerrent incenſum: ſed hoc tantùm, quòd voluit etiam ipſe offerre. peccauit non ad ſiniſtram idololatriæ declinans, ſed ad dexteram, nimium colendo. Hæc cogimur dicere ob tantã calumniandi, & reprehendendi omnia auiditatẽ Brentij. Nam quod ipſe poſtea circa hoc opus Oziæ, & rationem offerendi ſacrificij à ſolis ſacerdotibus ſecundum allegoriam loquitur, probamus. ſit illud in figuram Chriſti mandatum, ſint ſacerdotes legis vmbra, & figura Chriſti: & cùm ſoli permittuntur offerre incenſum intelligamus ſignificari Chriſtum ſolùm ſua intercеſſione, & paſſione placare iram Dei, & nos reconciliare Patri: hoc certiſſimè credimus. Quod verò ait, nos hanc Chriſti maieſtatem transferre in opera aliorum hominum, non tantùm falſum imponit nobis, ſed ſibi contradicit: ait enim nos dicere, opera noſtra non hanc virtutem ſatisfaciendi, aut placandi Deum ex ſe, ſed ex gratia habere: quod ſi non voluit intelligere etiam cùm diceret, ſaltem nunc audiat: ex gratia hoc facere opera, non aliud eſſe, quàm quòd ipſa opera Chriſtus in nobis operatur, ſed per nos, iuxta illud Pauli, qui operatur in nobis velle, & perficere: imò velle, & operari, quod verba ipſa Pauli ſignificant. Chriſtus ergo ſolus hoc facit, ſed non ſolùm per ſe, verùm etiam per nos. Eſt' ne hoc gloriam Chriſto auferre? Sed ait ille, ſoli perſonæ Chriſti hoc conuenit: ſed vos creaturæ tribuitis: quaſi verò opera perſona aliqua ſint, cui laus, vel vituperium debeatur. Ridicula ſunt hæc, quæ tanto clamore ingerunt in auribus ſimplicium: quanquam autem hoc alterius ſit loci: illud tamen obiter à Brentio quæram, oratio Chriſti, obedientia patientis reconciliauit nos Deo? placauit nobis Patrem?

Epheſ. 2.

trem? puto non eum negaturum. Nam inquit Chriſtum ſola ſua intercеſſione placaſſe Patrem: intercеſſio itaque Chriſti placauit Patrẽ, at hæc eſt creatura, timebimus ergo ne hoc dicentes creaturæ tribuamus, quod ſoli perſonæ Chriſti conuenit? non certè, quia creaturæ non tribuimus hoc, vt auctori, atque perſonæ alicui: ſed potiùs vt actui, & operi Chriſti. Itaque veriſſimum eſt nulli perſonæ conuenire hoc, niſi Chriſto: cæterùm conuenit actionibus Chriſti, & ſicut orationi, & paſſioni Chriſti hoc tribuimus, ita orationi, & contritioni, quæ ille operatur in nobis, non dubitamus conuenire, vt formis quibuſdam, doniſque ab eo collatis, non verò vt agentibus, atque meritis noſtris, neque hoc nobis tribuimus, ſed cum Paulo dicimus, gratia Dei ſum id, quod ſum: & operamur, non autẽ nos, ſed gratia Dei nobiſcum: nos, qui Catholicam, & antiquitus fundatam fidem ſequimur, glorificamus Chriſtum, agnoſcentes eum non per ſeipſum tantùm, ſed & per fideles ſuos, & membra ſua, gratia ſua donata, & à ſe ad operandũ mota, recõciliare nos Patri: vt veriſſimũ ſit illud, prout ab Auguſtino exponitur de credentibus: Opera quæ ego facio faciat, & maiora horum faciat, non vos, qui nihil Chriſtum poſſe, niſi per ſeipſum apud Patrem credi vultis, cùm gloriæ eius derogari dicitis à nobis, quia aſſerimus opera, quæ in nobis ille facit recõciliare nos Patri, quod non aliud eſt, quàm Chriſtum hoc agere per infima ſua membra: valeant ergo tam vanæ impoſturæ.

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

Verùm acerbiùs reprehendit, quod aduerſus, inquit, Scripturam dixerim, luculentum mendacium: cùm aio, exemplum Ozæ deterrere debet eò vehementiùs, quò ſimpliciùs ille, & præter vllam temeritatem manum admouere, vt arcam Dei ſe inclinantem teneret, credidit ſibi licere. Hæc ego dixi, fateor, ait igitur Brentius textus ſcripturæ ſic habet. iratus eſt Dominus indignatione contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritatem. ecce Scriptura inquit, punitum propter temeritatem, & ille (de me loquens) ait, præter temeritatem. Hæc dicit Brentius inimicus ſophiſtices, & amator ſimplicium ſermonum, ego dico Ozam ſimplicitate quadam credidiſſe ſibi licere, præter temeritatem, hoc eſt credidiſſe non id ad temeritatem ſibi impu-

Cap. 28. De peccato, & temerita te Ozæ in tenenda arca teſtamenti,

imputandum, quia videlicet non sine causa, sed ob imminentem necessitatem, ne arca maiori irreuerentia decideret, videbatur sibi necessarium, itaque ego animum excuso, non opus à temeritate, non dico admouit manum præter temeritatem, sed credidit sibi licere præter temeritatem. Vsus autē sum vocabulo temeritatis ea significatione, qua temerè fieri dicitur, quod sine causa, aut necessitate aliqua fit, & confero opus hoc Ozæ Oziæ regis operi, istum intelligo sine vlla causa, aut vrgente necessitate voluisse offerre incensum, cùm non deessent, qui id facerent, nec repentinum aliquid accidisset, cur id fieri oporteret à rege, quare meritò intelligo eum temerè hoc tentasse: Ozam verò, quia in repentino illo casu imminenti, ne arca decideret, subuenire voluit, dico simpliciter, hoc est non malitia putasse hoc sibi licere, præter temeritatē, quia erat imminens necessitas, Scriptura pronunciat fuisse temeritatem, & præcipitationem Concilij. quoties verò opus aliquod malum fit, non mala intentione, homicidium non animo occidendi, sed potiùs saluandi? ita, quòd Scriptura dicat, esse temeritatem non necessariò infert in intentione etiam fuisse temeritatem, quam ego negaui: quia non est contra Scripturam: & quia manifesta & præsens necessitas, quodammodo coëgit eum habentem animum cauendi arcæ casum, & ruinā: nec volo hoc omittere quod verbum עזה quod interpres noster temeritatem transtulit, apud Hebraicæ peritos ignorantiam, & errorem significat, vnde quidam interpretantur, percussit eum super errore, vel ignorantia: & noster quidem interpres temeritatem accipiens pro præcipitatione Concilij, ad idem videtur retulisse: vt temeritatem intelligamus errorem, vel ignorantiam, quæ solet frequenter contingere, cùm in repentino periculo non adhibetur maturum consilium, ideo ille peccauit, & temeritatem commisit, cùm animus, & intentio longè alia ex ipso contextu ostendatur. nihil itaque contra Scripturam dixi, sed ex circunstantia literæ collegi bonam intentionem consulendi maiestati diuinæ, imminenteque illa causa, Ozā putasse, non temerè agere. Deus verò profert sententiam, eum errasse in hoc iudicio, & temerè fecisse. vbi quod Brentius operosiùs agit

agit de causa huius diuinæ vindictæ, & alios irridet, alios subsannat, ad nostram causam non pertinet, & vt ingenuè dicam opus non est, vt in Scriptura diuinemus, quod illa tacet, maximè, quòd aliam causam quærere, sit hoc Dei iudicium minoris æstimare. certè peccatum quod Deus puniuit in Oza, apertè Scriptura inquit illud fuisse, quod in tangendo arcam commisit. Hoc vocat temeritatem, vel errorē, & ignorantiam: quid opus est aliud quærere? sed sit satis, istud suscipere, vt agnoscamus tentationem Dei esse, atque eius iram grauiter prouocare, si quæ nobis promissa non sunt, tentemus etiam animo Ecclesiæ sustentandæ. vult enim, vt certi de omnipotentia sua, nō dubitemus ipsum, qui curam habet Ecclesiæ suę, sine transgressione limitis nobis præfixi, eam, & posse custodire, & certè facturum, nec propterea nos, quicquam audere debere, quod nobis non permissum sit, cuius, inquit Iob, adiutor es? nunquid imbecillis, & sustentes brachium eius, qui non est fortis? Et Paulus, An æmulamur Dominum, nunquid fortiores illo sumus? Hoc egit Oze, & ecce ipse mortuus est, & arca Dei non cecidit, sic & omnes, qui vltra concessa sibi manum extendunt, nouerint se Deum prouocare, vt in eos primò ostendat se potentem esse: & deinde Ecclesiam suam, non nisi legitimo, & à se constituto ordine seruat, seruaturusque est in perpetuum. Cap. 26. 1. Cor. 10. Cap. 29.

Accedit iam propiùs Brentius: & ea, quibus gradum quem quisque circa doctrinam fidei tenere debeat dicimus in Ecclesia, impugnat. ego igitur, statuto priùs in Ecclesia summum esse ordinem, maximè in his, quæ ad doctrinam pertinent, adducens ordinem, quem circa hoc in lege veteri Deus distinxit inter reges, populum, & sacerdotes: vt videlicet inde iuxta analogiam synagogæ ad Ecclesiam, & legis veteris ad nouam, idē ostendam in Ecclesia: non quòd veteris legis præcepta obseruanda putem, quod Brentius calumniatur, cùm dicam synagogam vmbram esse Ecclesiæ, quod nec intactum permisit, de quo postea. Priùs igitur distinctè, & disertè explico legis verba, vt erant suo tempore seruanda: deinde ad Ecclesiam accedo. Affero ergo primò illud quod Deut. xvij. regi præcipitur: postquam sederit in solio regni sui describet sibi Deuteronomium

Legis veteris præceptū, quo reges à sacerdotibus legē de scriptā accipere iubentur, explicatur: & ostenditur sacerdotes regibus superiores in legis doctrina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

legis huius, accipiens exemplar à sacerdotibus, legetque illud, vt discat timere Dominum. Hinc colligo regem non esse constitutum doctorem, sed discipulum legis, eamque à sacerdotibus debere discere: hoc dico de rege Israëliticæ gentis, frustrà ergo Brentius ait, quòd quia dico legem veterem seruandam à regibus priuari iustè possint ministri Ecclesiæ omnibus bonis temporalibus: quoniam Leuitas præcipit lex non habere possessionem inter fratres, vbi, rogo, quid calumniosiùs, & inuidiosiùs dici potuit. Calumnia est, quòd me dixisse ait legis veteris præcepta obligare Christianos: cùm manifestè dicam illa omnia esse vmbram. vnde adumbrare potiùs sequitur, & subobscurè ostendere iuxta analogiam vmbræ, ad veritatẽ, quòd habet Christi Ecclesia. inuidiam autem quantam conciliat ministris Ecclesiæ, cùm inquit, quòd prælati nostri occuparint iã magnã partem orbis Romani, sed statim huic obuians incommodo, non inquit hæc commemoro, vt censeam sua cuiquam esse auferenda. Quid sentiat Brentius posset fortè aut ex suis, aut ex suorum vel discipulorum, vel magistrorum operibus agnosci, sed interim cùm nec vlla esset vel ratio, vel apparentia, vnde colligeret me dixisse legem seruandam à nobis, quid quærit, qui ait magnam occupasse orbis partem prælatos Ecclesiæ, & iuxta legem auferendam esse ab eis, nisi vt intelligamus, qualiter affectus sit & affectos velit in eos suos principes. Sed sequamur, quę deinde dicit, cùm enim videt, hoc sibi non suffragari, aliò conatur elabi, ait igitur, non propterea, quòd à sacerdotibus iubetur rex accipere exemplar legis, illis subijcitur pluspquam, aut Christiani subijcimur Iudæis: quia, vt Augustinus inquit, custodes sunt sacrorum bibliorum: aut certè magis quàm qui emit à bibliopola, sacra biblia, illi subijcitur. quod quàm sit insulsum, quis non videat? certè scimus quantũ fuerit creditum sacerdotibus veteris legis, cùm ab eis duntaxat exemplar illius petendum præcipitur, res ipsa satis ostendit, & Hebręorum omnium certissimus sensus, qui non dubitant solos eos libros canonicos, & in auctoritate esse, quos sacerdotes semper ita seruarunt, & suis posteris seruandos tradiderunt, atque ita per manus sacerdotum, & auctoritatem, sacri libri

libri à non sacris discreti sunt: hæc non est auctoritas bibliopolæ, nec quidem Iudæorum incredulorum, & pertinacium. Intelligo igitur illud exemplar regi accipiendum esse, quod auctoritas sacerdotis commẽdasset: ab eo regem debere discere. solius igitur eius doctrinæ discipulus esse debuit, quam sibi, vt certam, & diuinam tradidisset sacerdos. nihil plus in hac parte illis tribuo. Quod verò ait Brentius, non somnia sacerdotũ Deum prȩcepisse, vt sibi describeret rex, omnino fatemur, nec verum est nos velle, vt somnia nostrorum episcoporũ sequantur principes, sed de hoc postea: quod ad ea, quæ nunc agimus, pertinet, sacerdotibus constat creditam esse Dei legem, &, vt verbis Pauli dicam, quærenti quid amplius sacerdoti, quàm regi in lege veteri? respondebo, multum per omnem modum. Primùm, quia credita sunt eis eloquia Dei: neq; alia suscipienda erant, quàm quæ illi dedissent, id duntaxat ex hoc loco volumus, sacerdotes esse constitutos iudices, vt quid pro vero verbo Dei, quid pro falso, & adulterino, aut dubio habendum esset iudicarent. Hoc iudicium circa verba Dei, quæ meritò Dauid pretiosiora omni auro, & lapide pretioso, & dulciora omni melle, & fauo dicit, datum sacerdotibus, supra reges extulit ipsos. Sed ait adhuc Brentius, si discipulum legis regem ego facio, ergóne ex discipulo non debet fieri doctor? an non magna pars eorum, qui in academia operam dant literis, ideirco sunt discipuli, vt fiant doctores? vide ergo quæ grauitas doctrinæ, officium regis tractamus, an ad illud pertineat docere: Nam nec verum est omnem, qui discipulus est, doctorem esse debere, quod fatetur Brentius, præcipitur rex discere timorem Domini: vt scilicet nouerit, quid sibi erga Deum agendum sit, & regnum administrandum: non verò, vt alios doceat, præciuè dubia, & obscura religionis, & fidei. Nam quod de Dauid affert Brentius, Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos: superiùs diximus qualiter sit accipiendum. Hæc itaque de præcepto illo legis, vt tunc seruandum erat, dicta sunt, quæ qua analogia ad tempus euangelicæ legis applicanda sint, posteà ostendemus. Adduximus etiam, secundo loco, ex eodem capite Deuteronomij, quid circa dubia Deus fieri prȩcipit:

Cap. 30. Legis veteris statutũ de audiendo sacerdotis iudicio circa dubia explicatur: et ostẽditur auctoritas sacerdotum in hac parte superior, etiã regũ potestate.

cipit:ascende ad locum,inquit, quem elegerit dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotem Leuitici generis, & iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint,qui præsunt loco,quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius.& quod sequitur,Qui nõ obedierit sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo,ex decreto iudicis moriatur homo ille:ex quibus quia lex populo ostendit gradum suum circa doctrinam fidei esse,vt sacerdotem audiat:regi vt in contemptores sacerdotalis iudicij animaduertat: Lex itaque non concedit regi docẽdi munus. Contra hæc igitur primò inquit Brentius,quòd vt auctoritatem principibus dem, facio illos sacerdotum apparitores, & lictores: & fatetur ille principes ministros esse Dei ad vindictam malorum, tamen quod principes omnia verba sacerdotum,tanquam oracula Spiritus sancti suscipiant sine vllo suo iudicio, vt quos illi voluerint interficiãt, & opprimant,contra scripturam, inquit, & in contumeliam Spiritussancti est,idque multipliciter conatur probare. Primò
,, lex inquit, quod docuerint te iuxta legem Domini, ad legem
,, ergo Dei alligat eorum sententia:cùm autem certam regulam
,, quam sequantur, ostendit, libertatem concedit grauato iudi-
,, candi,num secundum legem Dei pronunciatum sit, & princi-
,, pibus maximè. Quid enim si sacerdos definierit contra legem Domini?quid si ipse obedire noluerit legi?quid si fiat summus sacerdos pseudopropheta, & iubeat alienos deos sequi, habeatque secum maximam partem sacerdotum? nõ liceret principi iudicare de hac impietate sacerdotum,& iuxta seueritatẽ legis animaduertere in eos? Hi sunt frequentissimi clamores Brentij,quibus etiã adiungit, Nónne Annas,& Caiphas,legitimique sacerdotes crucifixerunt Christum, & persecuti sunt Apostolos? erat igitur tunc sequenda eorum sententia? occidendus erat, qui non sequeretur eam? moriatur igitur inquit Maria, Nicodemus, & quotquot non consenserunt tam iniquæ sententiæ. Quibus breuissimè respondemus, certum esse sententiam sacerdotum ad regulã legis Dei alligatam esse, nõ igitur sequenda est,quando manifestè est contra legem:neque opus

opus erat multis verbis, multò verò minùs clamoribus,vt hoc daremus Brentio, quod diserte etiam frequenter asserimus:si manifestè contra legem Dei doceant sacerdotes, imò Angeli, ipsi non sunt audiendi, sed reijciendi ab Ecclesia: agant in eos principes omni seueritate,qui ad idololatriam,& defectionem à Deo populum trahunt: nec populus illos agnoscat, vt superiores suos,& prælatos: cæterùm lex non loquitur nisi in causa dubia:cùm difficilè,inquit,& ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, in hoc casu sacerdoti defertur iudicium, non vt pro suo arbitrio, aut libidine:sed cum timore Dei, & attenta scripturæ consideratione definiat. Huic definitioni,qui non paruerit, iubetur occidi: cur hoc rogo, nisi ne perpetuò dubia permaneant, quæ definiri necesse est, vt sit denique vltimum aliquod iudicium. Nam quod Brentius dicit ex eo,quod regula præscripta est,iuxta quam sacerdos debet iudicare: permitti cuilibet damnato iudicare, & definire (sic enim dicit) num sit iuxta legem definitum,nõ solùm falsum esse dicimus, sed apertissimè primò legis,& scripturæ verbis,deinde sibi ipsi, & denique omni sensus humani rationi repugnans: legi quidem,quia si licet post sententiam sacerdotis iudicare cuilibet de ea, frustrà est illud iudicium,non est vltimum:debuit igitur aliud assignare iudicium, Quis enim nõ videat ridiculum esse iudiciũ, de quo cuilibet iterum iudicare permittitur sine vllo ordine superioritatis,atque ideo inutile,& frustrà,quid prodest adire iudicium,si post definitionem ita maneat liberum de eo dubitare,vt antea. Præterea quis non videt, si cuilibet liceat definire, an secundum legem iudicatum sit, omnes constitui ex æquo doctores,& interpretes legis. Nam si alij doctores sint,alij discipuli,ridiculum est perpetuò discipulo permitti, vt de sententia doctoris iudicet,ex quibus vides quàm sibi contradicit,qui confitetur à Deo iudicium constitui, & ab eodem præcipi, & parari, quomodo efficax executio fiat: & tamen licitum esse semper priuato cuique, non ei obedire: aut enim necesse est, eum,qui non obedit,iniustè facere:aut eum, qui exequitur, & tamen Deus iubet,executioni mandari. Denique vides, vt omni humano sensui repugnet,licere semper grauato definire, nũ

Universidad de Deusto Biblioteca

iuxta legem iudicatum sit contra eum, cùm enim in omni iudicio necesse sit, alterum grauari, alterum absolui: cùm semper sit grauatus aliquis, semper restabit aliud iudicium: nunquam itaque erit vltimum. Sed, quod pulchrius est, permittit iudiciũ in propria causa grauato, quo quid ineptius? quid magis contra omnem rationem, quàm in propria causa posse aliquem esse bonum iudicem? & credendum esse, posse melius sentire de legis intellectu, qui propriæ causæ affectu tenetur, quàm iudicem, qui ab eo affectu liber est, non ergo est opus hæc ita cõfundere, & vniuersum naturæ, & rationis ordinem peruertere: manifesta, & certa non egent iudicio. Illa, quę manifestè contra legem Dei sunt, à nullo sunt suscipienda, nullum excusant. Inter hæc fuit damnatio Christi, de qua tamen postea latiùs agemus propter quam tam vanè clamat Brentius, non esse parendum sententiæ sacerdotum. De manifestis itaque, non est statutum iudicium, in dubijs parendum est supremo: dubia verò à manifestis, in re quacunque communi sensu discernuntur: nec opus est alio iudicio. Manifesta omnibus constant, dubia verò similiter non ab omnibus eodem modo accipiuntur. Denique, Brentius ait, legem non solis sacerdotibus permittere iudicium: sed adiungere etiam iudicem, iudices verò, vel reges non fuisse ex tribu sacerdotali, etsi non admodum ad nos pertineat, qui modò non agimus de gubernatione populi Israëlitici, sed Christiani, tamen respondendum est etiam illi, quòd lex ad sacerdotem, & iudicem mittit, qui si fortè quandoque vnus erat, vt Heli, & Samuel, vtrumque ad eum pertinebat, & definire dubium legis, & punire non obedientem. quando verò alius iudex, alius sacerdos erat, ad vtrumque mittit lex: sed apertè distinguit eorum munia: sic enim tandem inquit, qui autem superbierit nolens audire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo ex decreto iudicis moriatur ille: sacerdoti itaque tribuit, vt minimum postremũ, & vltimum iudicium: iudici verò executionem, hæc nos dicimus: nec Brentius ostendit etiam in lege, vbi minus distincta erant ministeria hæc, aut reges iustè, vel impunè sacerdotum officia occupasse: aut econtrà sacerdotes regum, cùm diuersi essent,

sent, cùm verò in vnũ conuenissent duo illa, quod illi tempori ad figurandũ Christũ non erat alienũ, vnus vtrumque agebat.

Cap. 31. Legis illis præcepta, quæ analogia nũc ad Ecclesiã referenda sunt. Hebræ. 10

Iam vltima circa hoc audiamus. ego enim post hæc legis veteris præcepta, accedo ad Ecclesiã, quę, aio, si ad Ecclesiã referamus cuius synagoga vmbra erat, &c. & mox in hoc principio occurrit Brentius, idque reprehendit, perinde, inquiens, ac si non fuisset in veteri Testamento vera Ecclesia: vt videas quanta sit hæc libido reprehendendi. Nam hac ratione, & Paulum reprehendit dicentem, vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem: & iterum, de omnibus qui in lege erant, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christus, & sexcenta sunt huius rei loca Pauli, nunquid propterea non erat vera lex, verum sacerdotium, vera sacrificia, veræ solennitates, vera bella, veræ victoriæ, antiqua illa omnia, quia figuræ erant aliarum longè eis præstantium rerum? eadem igitur ratione nunquid non erat vera Ecclesia, quia figura erat nostræ? nihil potest magis ridiculum dici, quàm eum, qui asserit synagogam fuisse vmbram Ecclesiæ Christi, accusare, quasi propterea neget in ea fuisse veram Ecclesiam: erat quidem vera, imò eadem Ecclesia cum nostra: sed interim illa sub figuris, & vmbra abscondita habuit, quæ nobis sunt manifesta, iuxta hanc itaque euidentiam & lucem, nostra ab illa distinguitur, & illa huius est vmbra, substantia tamen fidei, & rebus ipsis eadẽ omnino sunt, & vna Ecclesia vetus, & noua, sequamur alia: infero ego multò rectiùs, in Ecclesia Christi agnoscendos esse veros sacerdotes, qui deesse non possunt, nec in eis veritas doctrinæ deficere, quos Christus constituit iudices, quæ omnia iam hoc loco probata sunt, quę tunc tantùm proposueramus, inde deducimus, principes non debere proprios sibi magistros asciscere, sed tradita à legitimis ipsi tenere: &, vt à suis subditis seruentur, curare.

Cap. 32. Exemplo legis Theodosij ostenditur, seculares principes ab episcopis fidem accipere, & eam à subditis sibi populis seruandã curare.

Hoc ibi exemplo legis Theodosij, atque Gratiani, & Valentiniani imperatorum explicauimus, cunctos inquiunt illi populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam diuum Petrũ Apostolum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret, & Petrum Alexandriæ episcopum. Hæc est prima codicis lex, de summa trinitate, & fide catholica, ex qua hoc ostendi, catholicos illos imperatores non se iudices doctrinæ, & fidei constituisse: sed legitimorum sacerdotum secutos doctrinam, Romani scilicet, & Alexandrini. Sed mirum & quantum hoc Brentio displicuit, miratur enim primò, quòd legem hãc commemorem, & nec videam, quid pro me, aut contra me dicam: & quamuis ille in hac lege nihil contra me adferre possit, placuit tamen hoc dicere, quò magis odiosum me suis redderet. Sed audiamus vt probet, quòd contra ipsum non sit, hęc (ait) lex iubet omnes sequi fidem, quam Petrus docuit, & quã sequebantur Damasus, & Petrus Alexandrinus. Hæc erat vera fides trinitatis, de qua tunc potissimum agebatur, sed nos, ait, loquimur de episcopis, qui impiam religionem docent. Cui ego respondeo, impiam docẽt religionem sacerdotes, de quibus loquimini, vestro quidem iudicio, sed falso, & peruerso. Sed etsi hanc legẽ solùm adduxi, vt exemplo Theodosij ostenderẽ, principum esse, doctrinam sacerdotũ sequi: &, vt ab omnibus obseruetur curare, quod illa lex agit: verùm ex illa etiam ostendo Brentium, & suos sequaces contra illam agere: reijciunt religionẽ quam Damasus sequutus est, agunt igitur contra legem illam. Damasus, teste Hieronymo contra Vigilantiũ, sacrificium obtulit altaris, veneratus est reliquias martyrum, probauit cœlibatum, & seruari curauit à sacerdotibus, & alijs quibusdam ministris, teste toto illo seculo, & omnibus illius temporis patribus: qui igitur hoc contemnũt, à religione recedunt Damasi, quam & Petrum Apostolum tradidisse compertum tunc erat, tunc, inquit Brentius, tantùm de fide trinitatis agebatur, quam Arriani impugnabant. fateor hoc præcipuè agebatur, contra eos specialiter lex hæc lata est, verùm manifestum est, quòd omnes includat, qui in quocunque alio articulo, à religione illa discedunt, quam tunc Damasus sequebatur, & Petrus Alexandrinus episcopus, & cùm eis duæ istæ Ecclesiæ primæ, altera Latina, altera Græca, vtraque à Petro orta, quia Alexandrina ab eius discipulo Marco fundata. sic enim vniuersaliter lex præcipit, quam Damasum sequi claret, & Petrum

trum Alexandrinum. Posteà verò ad specialia descendens, de trinitate contra Arrianos mentionem facit: sed ait adhuc Brentius, nunquid Theodosius absque vlla cognitione propria, contentus tantùm horum duorum pontificum iudicio, hoc iubet? non faciunt (ait) historiæ tam stupidum Theodosiũ. Nam ideo præposuit Petrum Apostolum, quia priùs cognouit Romanum, & Alexandrinum pontifices cum doctrina Petri conuenire. Cui apertè respondemus, commenta hæc esse eius: ille arbitratur stupidi principis esse, iudicium sequi præcipuorum pontificum, & Ecclesiarum, sed veritas contradicit illi: quid enim prudentius principi temporalibus curis destricto cui nec otium, neque exercitium ad discutienda dubia, & controuersa fidei est, quàm sequi iudicium probatissimorum pontificum, & consensu, testimonioque omnium populorum, & eius quæ per totum orbem diffunditur Ecclesiæ traditionem agnoscere Apostolicam. Hoc fecit Theodosius: non alia putauit euoluenda vel Scripturæ, vel patrum volumina, ad traditionem confugit, hanc rei ipsius euidentia, hoc est, consensu omnium Christianorum agnouit, quam, inquit, Dominum Petrum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quid hoc rogo est aliud, quàm religio ab ipso vsque adhuc insinuata declarat, quàm quod traditio Petri perpetuo illo consensu ostenditur: quadringentis plus minus annis à prædicatione Euangelij hoc dixit Theodosius: cuius temporis recentissima erat memoria, & manifestissima monumenta, consensuque omnium, qui à suis maioribus ita acceperant, agnoscebatur Petrum religionem illam tradidisse. non plura putauit Theodosius sibi quærenda esse, non quia stupidus, sed quia prudens erat: non quia insipiens, sed humilis erat, cogitabat itaque illud, altiora te ne quæsieris, &c. de qua re abundè, adiuuante Domino, Brentio sequenti loco respondebimus, nunc cùm ille nihil probet de maiori discussione, aut cognitione Theodosij, nos tantùm eius verba in testimonium adducimus, non, inquit, omnes sequantur hanc religionem, quam nos iudicamus Petrum tradidisse, aut quam nos sequimur: sed duces sequendos primos pontifices posuit, nec iudicium suũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliud addidit,sed consensum,& testimonium omnium ab ipso principio doctrinæ vsque ad ea tempora adduxit ad confirmandum traditionem,quantò rectiùs Brenti,omnes principes Christiani hoc nunc agerẽt,quantò prudentiùs consensu Christianorum omniũ traditionem agnoscerent, de sacrificio altaris, orare pro defunctis,cœlibatu,& similibus omnibus,quàm vt ipsi,vel suo iudicio,vel vestro, scripturam se putantes intelligere,hæc omnia reijcerẽt? Sed torquetur acerbiùs Brentius, quoniam addidi in hac lege Theodosium iustissimè statuisse & nomina,& notas, quibus quisq; in Ecclesia insigniri debet: quis scilicet Catholicus,quisue hæreticus nominari. Quoniã sic statuitur ibi, hanc legem sequentes catholicorum nomen iubemus amplecti, reliquos verò dementes, vesanósque iudicantes hæretici dogmatis infamiam sustinere, hoc inquit Brentius contra Arrianos dictum est, contra negantes consubstantialitatem personarum, quam nos disertè fatemur: & iniqui consilij me arguit in principes suos: inquit enim, quòd cùm principes pios hæresios insimulem: & stent leges publicæ discernentes grauissimas pœnas,aduersus hæreticos: facilè intelligi potest,quæ pericula non tam spiritualia, quàm corporalia eis miner.quid igitur illi respondebo, quàm quòd hìc apertè à conscientia propria ostendit,se accusari, ego verba Theodosij apposui:& nec in eos, nec in alios aliquos illa detorsi. Cur ergo Brentius quæritur,si non agnoscit se,contra traditionem Apostolicam tempore Theodosij consensu omnium probatam,aliquid tenere, & docere? non accipiat hæc verba in se dicta.Nam lex eos hæreticos dicit,qui ab ea recedũt traditione, si agnoscit se hoc agere, si negare non potest, agnoscat etiam remedium,redeat ad traditionem, & ad Ecclesiam matricem, redeat ad cõmunionem omnium Ecclesiarũ:& euadat notam, quam timet. Nam quòd in principes nos iniqua consilia moliri dicit, non est cur occultum aliquod consilium quærat, nos palàm,& manifestè dicimus, qui traditionem Apostolicã non sequuntur lege Theodosij,hæretici sunt, non comminamur magis pericula temporalia, quàm spiritualia, sed multò magis spiritualia damnationis æternæ: qui enim non credit, iam

iam iudicatus est. Hæc cupimus principes maximè timere: de quibus dicitur,quòd exiguo cõceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patiũtur: tẽporalia verò dãna,tu videris an meritò timenda sint, nos illud apertè tibi dicimus, Brenti,non putes tuo,vel tuorum iudicio, principibus Catholicorum,vel hæreticorum nomina dandę sint quantumuis potentes,permittant se,quantum volent,piorum,& Catholicorũ nomine à suis laudari:totius orbis tota Ecclesia, imperatores, regẽs,populi censebunt:& perpetuò manebit cum eorum memoria vera in eos nota apud homines, & multò certiùs apud Deum,& Angelos:hi erunt iudices,non tu,vel ego: parùm ad rem est,quid ego dicam, certum manebit cuique suum nomẽ apud posteros, nulla in perpetuum delebit obliuio, nec vlla excusatio auferet hæreticorum nomen, & infamiam ab his, qui eis digni sunt,quosque Theodosiana lex notauit. Satis igitur in hoc loco ostendimus,discrimen episcopi, & principis, & vter illorum iudex fidei sit ex vera origine vtriusque potestatis,& manifesto vsu, consensuque omnium seculorum deduximus:Brentioque contra hęc molienti respondimus pro captu, & facultate nostra:ex quibus cùm,qui sint iudices controuersiarum religionis, & fidei duntaxat ostensum sit, exigit hic locus,& Brentij clamores contra nos, vt de hoc iudicio,ratione,scilicet & medijs, quibus in eo procedendum sit auctoritateque,& certitudine eius disertè dicamus.Nam quia nos in Concilijs episcoporum dubia scripturæ explicanda dicimus, & definienda,ex traditione Apostolica, consensuque patrum, Brentius frequentissimè singulis ferè verbis clamat, me in scripturam sacram sacrilegum,quòd eam subijciam humano iudicio,quòd præferam illi traditiones non scriptas, multaque in hunc modum:Deinde,etiam ait, quòd omnia confundam, ac in mille formas me vertam,vt vim eludam Scripturæ,& auctoritatem eius eleuem.quæ omnia ille me ait dicere, non quia in meis legat scriptis,nunquam enim verbum aliquod horum legit,sed quia putat ex meis inferri,sua illa confidentia,& auctoritate,qua solùm, quia sibi ita videtur, nulli dubitandum esse credit.Vt igitur ab his iniurijs me purgem,& præcipuè certam, & sa-

Cap.33. Ratio & ordo, quo ab episcopis dubia fidei & scripturæ definiendæ sunt in Concilio, scilicet sacra Scriptura & traditio & consensus patrum.

& sanam doctrinam manifestè ostendam, quæ sua ipsa virtute, suo splendore, & luce facilè tenebras errorum excludit, nisi ab eorum fortè oculis, quorum Deus huius seculi excæcauit mentes, vt non fulgeat eis illuminatio euangelij gloriæ Christi. De ratione, qua iudicandum est in dubijs religionis dicturi, ostendemus priùs Scripturam sacram esse fundamentum, ad quam in hoc iudicio tanquam ad primam regulã cuncta sunt exigenda. Deinde quod hæc Scriptura necesse habeat ex Apostolica traditione explicari, quæ traditio auctoritate quidem, non inferior est Scriptura, quę in ea probatur, & commendatur, antiquitate verò illã præcellit. Quare vbi Scriptura ambigua est, & obscura, ab ea exponitur: vbi succinctè, & minùs plenè aliquid docet, ab ea explicatur. Tertiam quòd traditio hæc consensu omnium Ecclesiarum, & temporum agnoscenda est: consensus verò hic Ecclesiarum testimonijs consonis patrum, qui ab Apostolis verbo, & scripto Ecclesias docuerunt, certissimè probatur. Quartum denique consensum hunc in Concilijs episcoporum inquirendum esse, & ex eo definienda dubia circa fidem & religionem. Itaque, vt in assertione catholica diximus, vltimum hoc viuentium, scilicet & præsentium episcoporum Concilium, iudicium est viuum, & quod semper ad manum haberi possit, atque ideo vltimum, cui omnes parere debeant. Si verò quæratur à me, vnde, & ex qua lege, & auctoritate iudicare debeant, non dubito respondendum esse, quòd ex Scriptura sacra huius intellectum, & explicationem, quum ambigua est, ex traditione Apostolorũ asserimus quærendam: traditione Apostolorum, testimonijs, & consensu patrum probari. Quatuor itaque hæc, quæ sunt proposita, Scriptura sacra, traditio Apostolica, patrum consensus, episcoporum Concilia, nobis à Deo data, in quibus veram fidem, & religionem ad æternam nostram salutem necessariã, quærere debeamus, & inuenire possimus: nec quicquam horum extra illa, quæ non aliena, aut contraria inter sese cogitanda sunt, sed consona, & per omnia consentientia: atque ideo ordinatissima Dei dispositione inter se cohærent; ita, vt ab illo primo, vsque ad hoc vltimum ordinatè sit descendendum.

dum nobis, & ab hoc vltimo ad primum illud ascendendum: postquã enim sacri libri scripti sunt, & recepti in Ecclesia, primùm in stabiliẽda fide scriptura est: primùm inquã certitudine, & auctoritate. Secundũ huic proximum Apostolica est traditio, qua Scriptura ipsa suscepta est in Ecclesia, & explicatur: quare, quòd secundum gradum ei damus post receptam scripturam, vt dictum est, secundum certitudinem intelligimus. Nihil est in Ecclesia certius, nihil magis constat, quàm canoni ei libri, præcipuè de quibus nunquam dubitatum est: traditio verò Apostolica non ita est constituta, nec certa omnibus, sed non minor est auctoritate ipsa Scriptura, vt ostendemus: verùm à Scriptura hoc sibi propriũ quodammodo, ac peculiare traditio sibi vendicat, quòd apertior est, & plenior: non quòd scriptura imperfectum aliquid habeat, quæ ab ipso Deo scripta, eiusque infallibili iudicio, ad humani ingenij captum perfectissimè coaptata est pro huius vitæ statu, & conditione, & reliquis omnibus, quæ Deus per eam, & in ea efficere intendit. itaque Spiritus sanctus sapientissima dispositione inter scripturam, & traditionem Apostolorum, quibus sua nobis mysteria reuelare dignatus est, hæc ita distribuit, vt altera certior, altera plenior & explicatior fit, cùm vtraque reuera ab ipso sit. Iam tertium locum dignitatis, & auctoritatis damus consensui patrum, qui ipse est consensus Ecclesiæ, cuius nunquam certa monumenta desunt, & testimonia: quare in eo scripturæ, & traditionis veritatem, & sensum inuenimus. Quartum denique loco cum præsentibus, & viuis Concilijs damus, per quæ tanquam per iudicem viuum præsentia omnia dubia finiantur. Hic igitur est ordo, & distinctio horum quatuor, quæ nobis certa regula fidei tradit: & vt ab hoc vltimo iam ascendamus ad primum, in Concilijs quæritur veritas fidei, & morum Christianorum, idque ex scriptura, Apostolica traditione, consensuque patrum omnium præteritorum, ita scilicet vt quod consonum est naturæ nostræ, ab inferioribus, & proximioribus ascendentes ad supremum illud, & vltimum perueniamus. Hoc pacto, in Concilijs quæritur sensus patrum præcedentium, atque Ecclesiæ: idque ex testimonijs, & scriptis eorum. Hoc ostendemus

Universidad de Deusto
Biblioteca

demus reipsa actum fuisse in Concilijs, ex hoc consensu, & testimonijs patrum traditio Apostolica, est enim certum hunc consensum non aliunde ortum, quàm quia quæ Apostoli tradiderunt suis discipulis, quos magistros dederunt Ecclesijs, eadem ipsi sibi proximis reliquerunt: atque ita vsque ad vltimos ventum est. in hac verò traditione intelligitur, verus sensus scripturæ, cùm verba ambigua, vel contra se pugnantia occurrunt, & integra ratio cultus, & reliquorum pertinentium ad salutem, quæ in scriptura implicitè tantùm, & sub vtili ratione tradita sunt. Hæc & ex his, quæ proximo loco dicta sunt, & priùs in assertione nostra catholica, & scholijs in capitibus præcipuè de Scriptura, de Ecclesia, de Concilijs, de scriptoribus ecclesiasticis satis putamus probari, & explicari, auferrique circa ea quicquid meritò dubitari poterat, nisi placuisset Brentio nullis certè rationibus, sed clamoribus & conuitijs, vt alia omittamus, omnia confundere, miscere, & turbare in oculis simplicium. Nam, quod teste conscientia coram Deo asserimus, nihil aliud in his prolegomenis inuenimus, quàm quæ ad subuertendos simplices, & nimium credulos valere possint: nisi quod suo more in quibusdam manifestis quidem, & certis immoratur, & spaciatur, vt illis venenum abscondat, & laqueos. licet itaque satis hæc explicata sint, & probata, & ostensum nullam in eis contradictionem esse, nec scripturæ subijci, aut postponi humanæ alicui auctoritati: ita, vt non habeat Brentius, quid inquirat amplius, quia dicimus apertè in dubijs fidei, proximos, ad quos statim eundum est, episcopos esse, & eorum Concilia: isti consensum patrum inquirentes ex illo traditionem agnoscunt: ex qua scripturam interpretantur, & explicant: in his nihil incertum, aut confusum est, cùm scriptura est ambigua, nec explicata, traditio quærenda est, traditio inuenitur in consensu, & testimonijs patrum: ex isto iudicant viuentes patres, & præsentia Concilia: nec alterum horum aliud impedit, aut aufert vel auctoritatem, vel efficaciam alterius: sed se inuicem adiuuant, sibi inuicem ita coniuncta sunt, & colligata: vt qui alterum reiecerit omnia reijciat. Quamuis itaque hæc ita sint constituta, vt molestum nobis sit, diutiùs de illis

illis loqui, addamus tamen pauca, quo lucidiora fiant: & ostendamus primùm, quàm inter se quatuor ista, quæ diximus cohæreãt: ita, vt qui vnum ex eis negauerit, reliqua omnia negasse communicatur. Atque ab his, quæ proximè diximus, aggrediamur, scriptura inquit, Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram, eadem dicit, cætera cùm venero ipse disponam: quo ostenditur Paulum multa præsentem verbo constituisse in Ecclesijs quæ ad ordinem, rationemque cultus pertinent, & vt Augustinus dicit, hic locus, ex epistola ad Corinthios, præcipuè ostendit ritum Sacramenti Eucharistiæ, quem tota seruat Ecclesia ab eo traditum. Denique de eodem Paulo ipsa Scriptura inquit: Perambulabat confirmans Ecclesias, præcipiens custodiri præcepta Apostolorum, & seniorum, siue dogmata quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus, qui erant Hierosolymis. ipsa igitur scriptura traditionem esse, & æquali secum auctoritate habendam ostendit, idem Paulus dicit, Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis: & Christus. Portæ inferi non prævalebũt aduersus eam: eadem scriptura ait, Christus dedit quosdam quidem Apostolos, alios Euangelistas, alios pastores, & doctores in ædificationem corporis Christi, & ipsa præcipit his obedientiam præstari ab omnibus, Obedite, inquit, præpositis vestris & subiacete eis, confirmat igitur consensum Ecclesiæ certissimum esse: confirmat patrum, & doctorum sensum Ecclesiæ etiam esse debere, hoc est, subditorum omnium & populorum, atque ita vtrumque horum firmum, & stabile in fide, & Christianis, pijsque moribus esse. Eadem scriptura tandem ait: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis, vbi enim sunt duo, vel tres in nomine meo, in medio eorum sum. Ipsamet, inquit: cùm orta esset contentio, & dubitatio de obseruatione legalium, conuenerũt Apostoli & seniores videre de verbo hoc. Et ibidẽ, quod post diligentem disputationem eis visum est dicunt. Spiritui sancto & sibi visum esse. Et eadem mittit omnes in dubijs, ad audiendos patres vnientes: interroga patrem tuum, inquit, & annunciabit tibi, & iterum: In multitudine presbyterorum prudentium

Cap. 34. Scriptura sacra, Apostolica traditio, cõsensus patrũ, Concilia viuũ, quatuor hæc se inuicẽ probant, & confirmant.

2. Thes. 2.
1. Corint. 11.
Act. 15. & 16.
1. Timot. 3.
Matth. 16.
Ephes. 4.
1. Corint. 12.
Heb. 13.
Matth. 18.
Act. 15.
Eccles. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tium sta,& sapientiæ illorum ex corde coniungere: vt omnem
Matth.25. enarrationem Dei possis audire. Et Christus ipse,Super cathedram Moysi sederunt scribæ,& Pharisæi,omnia ergo, quæcunque dixerint vobis,seruate, & facite: dat ergo auctoritatẽ Concilijs patrum , & omnes subijcit illis. Ita igitur scriptura ipsa traditionem Apostolicam , cõsensum Ecclesiarum,& patrum, & eorum Concilia commendat,eam auctoritatem illis dat , vt qui alterum horum negauerit , necesse sit eum scripturam negare.Ipsa eadem,quæ de se ait , omnis scriptura diuinitùs inspi
2.ad Ti.2. rata,vtilis est ad docendum,ad arguendum,&c.vt perfectus sit homo Dei,docet nos, & reliqua hæc tria nobis ostendit , tanquam fundamenta certissima fidei,& pietatis . Hæc de scriptura,iam ad secundum . Traditio primò dat nobis Scripturam sacram:illa dicit,hęc est diuina ad nos reuelatio,hęc scripta sunt
Lib.contra epistolã Fundamẽti ca. 5. à Spiritu sancto dicente Augustino, Ego verò euangelio non crederem,nisi me Ecclesiæ commoueret auctoritas,& manifestissima ratione hoc ostendente.Non enim euangelium nomine Andreæ,aut Nicodemi reiectum est,& Matthæi,atque Marci, & reliqua duo recepta alia ratione,quàm quia ita Apostoli tradiderunt : idque vt Aug. affirmat testimonio Ecclesiarũ,
Lib.2.de doctrina Christiana cap.8. quas Apostoli constituerunt. Eadem traditio habet successionem Apostolorum, & auctoritatem succedentium eis : eadem habet vsum , & consuetudinem cogendorum in rebus dubijs Conciliorum. Itaque & hæc etiam traditio reliqua tria confirmat,scripturam,testimoniorũ patrum auctoritatem,Concilia, nec de ipsis testimonijs patrum,& Concilijs,opus est , vt plura dicamus : manifestissima sunt consona testimonia patrum de scripturæ auctoritate,& veritate, de traditionum certitudine, & stabilitate , & de necessitate Conciliorũ, sicut etiam in ipsis Concilijs manifestissimè est recepta,& probata scriptura,agnita traditio,& consensus patrum inuestigatus,& inuentus.

Cap.35. De scripturæ sacræ auctoritate & vtilitate. Sed iam de singulis horum pauca attingenda sunt: quo hæc confirmentur,& Brentij calumnijs respondeatur. Aggrediamur ergo de scriptura,& traditione simul. Scripturæ sacræ maiestatem , & auctoritatem, quibus in culmine est literarum omnium,omnes agnoscimus,& confitemur: quantumque beneficium

neficium Dei sit,nobis eam dedisse, fatemur non posse nos satis aut dicere,aut intelligere. De qua meritò Psalmista inquit, Quomodo dilexi legem tuã Domine?tota die meditatio mea est.Et iterũ,Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo: Et alibi,Desiderabilia super aurũ,& lapidem preciosum multum. Agnoscimus altissimum Dei cõsilium, & curam salutis nostræ in data nobis sacra Scriptura , in qua æternæ illius sapientiæ,& vnigeniti verbi Patris habemus rationem, atque iudicium de Deo,de nobis,deque rebus omnibus quid sequi debeamus:& agnoscimus Dei voluntatem primam , & solam regulam piarum omnium actionũ , & hæc habemus quasi in repositorio quodam, & thesauro recondita in Scriptura sacra,vnde quoties necesse est liceat nobis haurire diuinæ sapientię salutarem aquam,& bonitatis eius immensam dulcedinem degustare,qua ignorantia nostra instruitur,erigitur infirmitas, prauæ & indisciplinatę cogitationes expelluntur ex cordibus, generãtur alię dignæ Deo,& accenditur cor nostrum ad amanda & desideranda diuina, & contemnenda terrena. Quis satis dicere valet sacræ Scripturæ fructum , propter quem meritò de ea dictum est, Non recedat volumẽ legis huius ab ore tuo, Iosue.1.
sed meditaberis in eo diebus,ac noctibus:vt custodias,& facias omnia,quæ scripta sunt in eo:tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.En fructum Scripturæ sacræ, quã dignatus est Deus ipse scribere, dum ad hoc agendum & mouit animos scribentium,& illis ita astitit, vt non dubitemus ab eo esse omnia illis suggesta,& quæ scriberent, & modum,rationemque qua scriberent:& verissimum esse de omnibus sacrarum literarum scriptoribus , quod in Psalmo scriptum est, Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.quia enim verba sunt,quæ scribuntur , ad subueniendum defectui memoriæ , ad loquendum absentibus,meritò linguam ad ipsa referimus verba, quę scripta sunt : id quod Petrus apertiùs dixit,Non voluntate,inquiens, 2.Pet.1.
humana, allata est aliquando prophetia : sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Hanc igitur scripturã, de cuius veritate nulla ratione dubitandum est, cuius auctoritati omnis humana ratio,& auctoritas , imò & Angelica cede-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re debet. Agnoscimus à Christo, & Apostolis nobis commendatam esse non verbis modò, sed etiam exemplis: dum & scripturæ auctoritatibus sua confirmant: &, vt nos hoc ipsum faciamus, admonent. Christus suam diuinitatem probãs Iudæis: Quomodo, ait, Dauid in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit dominus domino meo. Et rursum citãs illud, Ego dixi, Dij estis. Si illos vocat deos, ad quos sermo Dei factus est, quia sic sanctificauit: & in perpetuum dicitis, Blasphemas, quia dixi filius Dei sum. Et illis ait, Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos vitam habere, quia illæ testimonium perhibẽt de me. Et discipulis ait, Quia sic scriptũ est, & sic oportuit Christum pati, & aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturam. Et Apo-
2. ad Tim. 3. stoli ipsi idem agunt cum suis discipulis. Permane, inquit Paulus Timotheo suo, in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Iesu Christo. Illud etiam agnoscimus, quàm sint efficaces prophetiæ ad persuadendam fidem & Iudæis, qui ea, quæ tanto tempore priùs legerint, manifestissimè in solo Christo postea impleri conspexerunt. in quibus prophetijs adeò nihil eorũ, quæ facta sunt, omissum est: vt etiam suæ ipsorum cæcitatis manife-
Deuter. 28. stissimas habuerint prophetias: de quo Aug. exponit illud, Erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ. Et
Esa. 65. est illud apertiùs de eadem re, Expãdi manus meas tota die ad populum incredulum. Nec solùm Iudæis, sed Gentibus, & nobis omnibus totius temporis Christianis efficacissimè persuadet fidem, tanta, tamque certissima consonantia prophetarum & euangeliorum: dum quod in istis legimus factum tam suauiter, tam sine vlla violentia, tanto tempore priùs prædictum in illis agnoscimus: quæ saluberrimè etiam efficit in nobis, vt pauca quæ complenda restant, de vltima resurrectione, & iudicio, atque retributione æterna, videntes tanta, quæ prædicta erant, & impossibilia videbantur, tam plenè impleta, non dubitemus certissimè futura. Hæc omnia nobis, & multò plura confert Scriptura sacra, in qua, & per quam felix quidam conuictus sit inter Deum, & hominem: vt audiamus ipsum loquentem nobis:

bis: & quasi cum præsente ipsi loqui possumus: & hoc quoties libuerit, quoties placuerit libros sacros inspicere. Meritò proinde de hac diuina sapientia, quæ sacris libris continetur, & æterna ipsa, quæ in eis nobis loquitur, in libro Sapientiæ scri- Cap. 8.
ptum est. Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendũ, sciens quoniam mecum communicabit de bonis suis, & erit allocutio cogitationis, & tędij mei. Felix proinde ille qui hanc scripturam, & Deum in ea in societatem, & contubernium vitę assciuit: & beatus planè, cuius delectatio omnis in lege Domini, & in ea meditabitur die ac nocte, iuxta Psal. sententiam.

Hæc quidem certissima sunt, de quibus nec vnquam dubi- Cap. 36.
tauimus, nec nisi magna cum animi voluptate, & ardenti desi- *Quòd lex ve*
derio locuti sumus in laudem, & commendationem scripturæ. *tus scripta*
quod ideo dicimus, quoniam audet Brentius dicere prẽter vo- *fuit ad imper*
luntatem meã, & inuitum me asserere libros sacros esse à Spi- *fectionem sta*
ritu sancto, & scripturam sacram esse diuinam reuelationem *tus illius sig-*
factam Ecclesiæ. Vbi intuere, rogo, libertatem hominis, & te- *nificandam*
meritatem iudicandi: nam si de animo meo iudicat, ostendat *pertinet.*
vnde hoc habet, vbi scilicet, aut dixerim, aut ostenderim Scripturam sacram mihi non placere, aut me de ea non bene sentire, vel minus, quàm quòd sit diuina reuelatio, cui subdita est omnis creatura. Sed illo omisso, restat vt paucis etiam de ratione, qua scripta sint diuina verba, agamus. Igitur illud statuatur vt certissimum, quòd hoc scribendi diuina verba, atque reuelationes consilium, ob imperfectionem, & infirmitatem humanam est excogitatum à Deo, atque infirmioribus, & imperfectioribus magis expediens, sanctioribus verò & purioribus, aut minus, aut nullo modo necessarium: id quod apertissima nos docet experientia, quæ ostendit etiam nec semper fuisse scripturam, atque ideo non necessariam omnino ad fidem. De qua re, cùm multa à multis dicta sunt, & à nobis etiam, quibus hoc certissimum esse constat, in hoc loco solius Chrysostomi nobis sufficiat auctoritas, qui homelia prima in Matthęũ sanctissimè, & eloquẽtissimè, Oportuerat quidem, inquit, nihil nos indigere auxilio literarum: sed tam mundam in omnibus exhibere vitam, vt librorum vice gratia Spiritus sancti vte-

 remur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

remur,& ſicut atramento illi, ita corda inſcriberentur à ſpiritu:quia verò hanc à nobis excuſſimus gratiã, agè vel ad ſecundam nauigationem animum adijciamus. Hæc ille in exordio proponit, moxque ſublimiùs multò eſſe ſine literis, vel ſcriptura Spiritus ſancti gratia Deum agnoſcere ex verbis ipſiùs Dei, & operibus oſtendit. Nam & Noë, inquit, & Abrahæ, eiuſque poſteris,& Iob,& Moyſi,nõ per literas,ſed per ſemetipſum locutus eſt: quia ſcilicet munda eorum corda rexerat, poſtquam verò omnis populus Iudæorum in vitiorum ima delapſus eſt,neceſſariò iam inde literæ dantur,ac tabulę:quòd oſtendit etiam in nouo Teſtamento accidiſſe: ſiquidem nec Apoſtolis, inquit,ſcriptum aliquid tradidit Chriſtus: ſed pro literis ſancti Spiritus ſe illis daturum gratiam repromiſit, Ille, inquit,docebit vos omnia.Vides,quàm ſanctè, quàm dilucidè Chryſoſtomus ſcripturarum ardentiſſimus amator imperfectioni, & impuritati noſtræ tribuit, quòd Scriptura ſacra ſit data nobis,quòd illa indigeamus, & agnoſcat multò puriùs, & integriùs Dei cognitionem, aut ſolo verbo, aut certè interiori tantùm reuelatione hominibus participari. & ſanè quo diuina nobis purgatiora,& vt ita dicam,ab omni ſimilitudine, atque ab omni re corporea magis ſeparata traduntur, ſignum eſt purgatioris animi, diuinarumque rerum capacioris, & illa multò perfectiùs agnoſcuntur.De qua re altiſſimus ille theologus Dionyſius frequenter,& libro de diuinis nominibus,& de myſtica Theologia ſpecialiter loquitur:nebulam illam, & caliginem, in quam Moyſes ingreditur,interpretatur,de ſumma à ſenſibus omnibus, & creaturis in cognoſcendo Deo elongatione. Adiungamus & his duobus tertium Aug.qui, in libro de doctrina Chriſtiana etiam poſt ſcriptas iam ſacras literas, ingenuè fatetur ſubnixum fide,ſpe, & charitate non indigere libris,niſi ad alios docendum:nam multos, inquit,in ſolitudine per hæc tria ſine codicibus viuere, in quibus illud impleri credit: Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, &c.Et ad illa tria conſeruanda ſcripturas omnes,quaſi machinas dicit.Ex his verò & illud agnoſcimus, quod ſcripturæ, & patrum doctrina confirmat: tantam illam ſcribendæ legis veteris

Lib.1.c4.39.

teris curã Dei, atque lapideis etiam tabulis in arca Teſtamenti ex incorruptibili ligno, atque auro fabricata ſeruandi ad duritiem cordis Iſraëlitici illius populi, & legis ipſius, atque temporis, & ſtatus, quo ſub illa viuebant ſignificanda pertinuiſſe:& longè illa omnia à nouæ legis perfectione, ſtatuque noſtro,& tempore gratiæ reuelatæ fuiſſe.Scribitur itaq; tabulis lapideis lex:quę, vt Paulus inquit, mortis miniſtratio erat, & lapideis cordibus timore edomandis, & in ſeruitutem redigendis,populoque duræ ceruicis data eſt,agit ſanè Deus, quaſi cum abſentibus,& longè poſitis,cum Iudæorum populo per illas literas. Lex itaque illa ex ſua propria ratione non ad iuſtificandum dabatur,nec perficiendum homines. Nam, vt Paulus inquit,ſi ex lege iuſtitia,Chriſtus gratis mortuus eſt:& rurſum, quicunque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt: ſcriptum eſt enim,Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus,quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea, & denique ait,nihil ad perfectum adduxit lex: & propterea nec Deo homines coniungebat,aut adoptionem filiorum conferebat: ſed tanquam ſeruis,qui non manent in domo inæternum ſeuerius proponebantur edicta. Ex quibus omnibus legem illam propria quadam, & neceſſaria ſibi ratione ſcriptam vocamus: quæ niſi ſcriberetur,quod ad eã attinet, quæ exteriùs tantùm proponebatur, & ad eos,qui ſub illa erant,neceſſe erat vt non ſtaret.Quicquid itaque de diligentia ſcribendæ legis à Moyſe fieri, vel à Deo præcipi legimus, & de tabulis à Deo traditis, de quibus Brentius loco ſuo de ſcriptura loquitur, intelligamus propriè,& peculiariter ad veterem illam legem pertinere: quam non vano labore,ſed magno certè fructu, & in ædificationem noſtram ſcimus ſcriptam. Euangelium verò lex gratiæ in alium longè finem, & alio fructu à Deo datum per prophetam,cuius teſtimonio Paulus vtitur,oſtenditur nobis non ſcriptum eſſe literis,in tabulis:ſed infuſum cordibus. Feriam,inquit propheta, domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris,vt educerem illos de terra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt,& ego dominatus ſum eorum: vel vt Paulus inquit,

2.Corint.3.

Ad Gal.2.
Ad Gal.3.
Heb.7.

Cap.37.Euã geliũ, & le gẽ gratiæ nõ neceſſariò ſcripta: ſed infuſa ſunt cordibus: quo nomine à lege veteri differt.
Hier.31.
Ad Heb.8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quit,& ego neglexi eos.Hæc est igitur lex, de qua meritò inquit ille,si culpa vacasset,hoc est integra,& perfecta esset, non vtique secundi, hoc est noui Testamenti locus inquireretur: vnde sequitur in Propheta, Hoc erit pactō,quod feriam eum domo Israël:dabo legem meam in visceribus eorū,& in corde eorum scribam eam:& ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.Vides legem nouam cordibus inscribi,cordibus,in- *Ezech.36.*
quam,quæ Deus promittit per alterum prophetam:Dabo vobis, inquiēs, cor nouum,& spiritum nouum ponam in medio vestri:& auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri. Hoc enim post promissionem baptismi ibi positum, postquam dixerat:Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,manifestè ostenditur,ad no- *2.Corint.3.*
uum Testamentum pertinere:quod,vt Paulus inquit, constat non litera,sed spiritu:litera enim occidit, spiritus autem viuificat.vnde sicut, ibidem Paulus ait, quod non eget epistolis commendatitijs ad eos, quos docet,aut ab eis: quia, inquit, epistola nostra estis vos manifestati, quod epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Nos meritò dicere possumus legem gratiæ, Testamentumque nouum non necessariò egere vllis literis: sed naturæ sua esse infusum cordibus per Spiritum sanctum: cuius tanta est efficacia, vt non putauerit Paulus eam aliter posse explicari,nisi diceret,Christianos epistolam esse Christi, hoc est in eis Christum descriptum esse in cordibus scilicet,& moribus fidelium, multò firmiùs, quàm vel literis, vel penicillo, in tabulis,quia,inquit,spiritu Dei viui. Multò igitur minùs in noua lege scriptura necessaria est,& post Christum,quàm ante:cùm tamen & antea sine scriptura constiterint apud homines diuinæ reuelationes non pauco tempore. At verò Christum nihil scripsisse,nec mandasse quidem Apostolis, vt scriberent, certò credimus:non eis tabulas,sed Spiritum sanctum dedit: non scriptum aliquod eis præcepit tradere custodiendum, & legendum:sed prædicare,inquit, Euangelium, & docete omnes gen-

gentes: quod & ipsos diligenter obseruantes prædicasse quidem,superiùs ostendimus, post aduentum Spiritus sancti plenissimè, & quidem omnes: longè verò scripsisse pauciores ex eis: & comparatione eorum, quæ prædicauerant pauca. vnde & Paulus, qui in scribendo cæteros excessit, in scriptura prædicationem citat, & ad eam quodammodo mittit legentes.Notum,inquit,vobis facio,fratres,Euangelium,quod prę- *1.Cor.15.*
dicaui vobis, quod & accepistis, &c. & statim,Tradidi enim vobis, quod & accepi: & alibi etiam, Ego accepi à Domino, *1.Corint. 11.*
quod & tradidi vobis:in quibus illarum rerum breuem quandam recapitulationem facit, significans certè latiùs se illa tradidisse verbo: de qua re superiùs multa diximus. præsenti igitur loco id duntaxat sufficiat: vt ex diuersitate hac temporum, & legum atque statuum populi Dei apertè agnoscamus verbum Dei, hoc est manifestationem eius, & cognitionem rerum omnium, quas ipse nobis reuelare dignatus est ad salutem, non idem esse, quod scriptura: quandoquidem & sine illa fuit, & in noua maximè lege non omnino necessariò eam exigit: imò verò illud etiam constitit, tantò verbum Dei digniùs à Deo tradi, quantò remotiùs ab omni scriptura, imò etiam ab omni vocali verbo: quando scilicet sola diuina reuelatione sine vlla imagine,& phantasmate,ab eo infunditur cordibus. Igitur ab illo æterno verbo,quod *Cap. 38. Verborum Dei quatuor quidā gradus, veluti genera eius.*
Ioannes contemplatus tanquam perniciſſima aquila attigit di- *1.Ioan.1.*
cens:In principio erat verbum:(de quo & alibi loquitur,quod fuit ab initio,quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris: quod perspeximus: & manus nostræ contractauerunt de verbo vitæ) ab hoc inquam immenso, & incomprehensibili,& vnico verbo deriuantur plura quidē,& captui nostro proportionata diuina verba:quibus scilicet seipsum,& reliqua omnia nobis reuelat: quæ meritò dicere possumus illius verbi quasi participationes quasdā,& veluti semina: quæ cùm mētes nostrę suscipiūt,atq; cogitationes suas, & affectus illis subijciūt, nō aliter se habēt ad Deū,q̄ discipuli ad magistrū.Mane,inquit, Esaias,erigit mihi aurē vt audiā eū,quasi magistrū, et quodāmodo deificātur,& hoc quidē pro gradu,& puritate cuiusq;:ita vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab illo ſummo verbo deſcendẽtibus, quaſi quibuſdam gradibus occurrat nobis primò verbũ Dei in cordibus illorũ, quos ad hoc elegit, ſcriptum: reuelationes ſcilicet prophetarũ, in ſuis ipſorũ cordibus à Deo infuſæ: ſecundo loco verba prolata, de ijs qui corde tenebant, & miniſterio vocis ad aliorum corda trãſmiſſa. hæc ſunt doctrinæ & prædictiones propheticæ, quibus non dubitamus Abraham ſuos docuiſſe: ſicut ante illum Seth Adæ filias, & Noë, atque adeò ipſe Adam: quibus ſimiles in nouo Teſtamento Apoſtoli ſunt: & verbo primo ad fidem cœperũt trahere, & quos traxiſſent inſtruere. Quartum verò, & vltimum gradum verborum Dei ſcripta tenent, quæ cùm voces ipſas ſignificent, & quaſi abſentibus edant, meritò poſt illas vltimum locum tenent: à quibus aſcendentes inuenimus quatuor quoſdam verborum Dei gradus, ſcilicet ſcriptura diuina, prædicatio prophetica & apoſtolica, reuelatio ipſa priùs in eorum cordibus permanens, & ſuper hanc verbum ipſum æterni Patris, his omnibus verbis nulla humana ratio, aut auctoritas æquari poteſt: ſumus igitur his omnibus ſubditi, quare etſi Chriſtus euangelium ſcribi non iuſſit, vt diximus: ſed quia poſtea ipſo inſpirante ſcriptum eſt ab his, qui in eccleſia auctoritatem obtinuerunt, certiſſimam habet auctoritatem verborum Dei, ſicut reliquæ ſcripturæ Apoſtolicæ.

Cap. 39. Dei prouidentia ſcripta etiã eſſe Euangelij, & nouæ legis quædã: ſed alia ſolo verbo tradita.

Qua in re etiam & infirmitati noſtræ ſubuenit Deus, & gratiam nouæ legis humana conſuetudine attemperauit: vt ſilicet ſcriberentur quædam, & tranſmitterentur ad poſteros. Si enim omnia ſola interiori gratia ageret, quæ ſecretior eſt, & ipſi ſoli cognita: minus condeſcendiſſet Deus conſuetudini humanæ, vt igitur humano more conſtaret euangelica prædicatio, addita ſunt ſcripta humanis verbis, & phraſibus, quibus alia humana ſcribi ſolent. id quidem in ipſa originali, & prima lingua, qua ab auctoribus ſcripta ſunt: & multò magis poſtea cùm in diuerſas gentium linguas tranſferrentur: non iam diuino ſpiritu, ſed humana diligentia interpretantium: quamuis. 70. etiam ſpiritu Dei tranſtuliſſe Aug. non improbabiliter opinetur: de quo non eſt nunc agendum. Habemus itaque noui, & veteris Teſtamenti libros, diuerſos quidem, ſicut lex,

lex, & euangelium diſtinguitur. in illis veteris Teſtamenti lex ſcribitur, quæ quaſi pedagogus illius ætatis puerilis erat, vt Paulus inquit: in iſtis verò noui Teſtamenti ſcriptum eſt euangelium, & quoniã lex in origine ſua, & ortu ſcripta eſt, ſatis probabile eſſe credimus, nullam aliam traditionem diuinam neceſſariam fuiſſe inſtituendo illi populo poſt legem: cui cùm vmbræ tantùm, & figuræ commiſſæ eſſent, non erat, cur non omnia ſcriberentur. Dubia quidem, & ambigua habuit ſoluenda à maioribus: cæterùm ita fuerant omnia præſcripta tanquam ſeruis, tanquam paruulis: vt meritò extra illa nihil vt à Deo reuelatum ſit habendum. & quamuis non deſint, quibus videatur habuiſſe etiam illos traditiones, ſine ſcripto de neceſſariis ad ſalutem, & cultum: id nunc inquirere ſuperfluum credimus. etiam ſi nullas habuerit lex illa, non inde ſequitur, eas non eſſe, vel non conuenire in lege noua: illa enim ex ſua natura, & in primo ſuo ortu ſcripta non fuerit: ſed partim verbo ab ipſo filio Dei: partim interna reuelatione tradita. propter quod dicit Chriſtus, Multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modò, cùm autem venerit ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non eſt ab Apoſtolica prædicatione ſeparanda ſcriptura noſtra: nec ita reſtringenda noſtra fides ad eam, vt nihil niſi ſcriptum recipiamus. & hæc eſt traditionum Apoſtolicarum origo, & auctoritas, naſcuntur ex Apoſtolica prædicatione, & ſunt dogmata fidei, & Dei cultus, prædicata ab Apoſtolis: de quibus Paulus veriſſimè dicebat, ſed & ſi vobis aut Angelus de cælo euangelizet, præter quod euangelizauimus, anathema ſit, non dicit præter quod ſcripſimus. nihil apertiùs dici poteſt. Nam prædicationem oſtendimus ſuperiùs fuiſſe pleniorem, & manifeſtiorem, ſicut priorem ſcriptis: hac tradita eſſe alia, quàm quæ ſcripta ſunt. deinde grauiſſimorum patrum auctoritate, Dionyſij ſcilicet Areopagitæ, Irenæi, Cypriani, Baſilij, Euſebij Cæſarienſis, Tertulliani, Origenis, Augu. probauimus. Verbum Dei, ſiue ſermo vtrunque complectitur, ſcilicet ſcripturam & traditionem: vnde fruſtra etiam Brentius calumniatur me, quòd verbum illud Petri, habemus firmiorem propheticum ſermonem, dixi, non de ſola *Ad Gal. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

scriptura intelligendum, quia sermonem dixit, quod communi-
» ne est scriptis, & non scriptis sermonibus: & ait Brentius, hæc
» est clara, & manifesta verborum Petri deprauatio. sed audia-
» mus quare. quia, inquit, hæc non possunt nisi de scriptura in-
» telligi. Petrus enim coëtaneis, his scilicet, quibus scribebat, lo-
» quitur: hi verò non audierunt prophetas loquentes: solùm
eorum scripta habebant, sicut & ipse Petrus illa citat: habe-
mus, inquit, propheticum sermonem, falsè igitur, inquit, me
hoc referre ad non scripta. at ego ingenuè dico verbum illud
vniuersaliùs capi, quàm Brentius dicat: non damnamus sen-
sum, quem ille affert, vt Petrus ad scripturam propheticã mit-
tat audientes: sed hoc solùm significari, nec ex contextu, nec
vlla certa ratione fidei Brentius potest probare. nos igitur in
scriptura sacra illum sensum magis amplectimur, qui capacior
est, atque amplior, qui plura complectitur modo veritati, &
contextui conueniat: hoc enim dignius est Deo, immensæque
eius sapientiæ, à qua est scriptura. Intelligo ergo, & fateor, me
ita intellexisse, quum hoc scripsi, Petrum loqui de sermonibus
omnibus, quos concionabatur, & de quibus ibi mentionem
fecerat, de transfiguratione scilicet Christi in monte, de voce
Patris audita: propterea dixerat non indoctas fabulas secuti
notam fecimus vobis Christi virtutem, &c. de his igitur, & om
nibus quæ docebat, inquit, habemus firmiorem propheticum
sermonem, hoc est, quæ vobis loquimur, prophetica quædam
sunt: vox illa Patris, claritas Christi: denique quicquid aliud
concionatus sum ad vos, habeo ex diuina reuelatione: quare
prophetica sunt, & nõ humana: & huic consonat quod sequi-
tur, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in cali-
ginoso loco, donec dies illucescat: quod etiam magis conso-
nat contextui, quia comparatiuum illud firmiorem, pro po-
sitiuo accipi intelligunt, qui phrasim Græcam considerant: &
Augustinus ipse. Non ergo dicit, firmiora esse prophetarum
scripta tantùm: sed omnia, quæ docuit, firmam esse prophetiã:
inter illa non dubitamus prophetias citasse, & de illis postea
inquit, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpreta-
tione non fit, quanquam nonnulli libri, & certè plures eorum,
quos

quos habemus tantùm habent omnis prophetia, ita quòd in
toto illo contextu nulla fit mentio scripturæ. Est etiam phra-
sis scripturæ habere sermonem Dei, habere prophetiam ad si-
gnificandum quod à Deo aliquid horũ recipiatur. Hieremias,
inquit, qui habet sermonem Domini, loquatur, &c. Et Paulus, 1. ad Cor. 14
cùm conuenitis, inquit, vnusquisque vestrûm psalmum habet,
doctrinam habet, &c. Ita igitur Petrus: habemus propheticum
sermonem de se suisque consortibus dicit. non igitur habet
Brentius, quòd falsitatis me arguat: aut quare prouerbio illo
vtatur contra me, semel malus, &c. Ego intelligo locum Petri,
vt à viris doctis intelligitur: & nullum alium sensum excludo.
Satius fuerat Brentio sua attentè cõsiderare, & non adeò præ-
cipitem ferri in Scriptura sacra commendanda, vt excesserit li
mites omnes. Moyses, inquit, acceperat legem, & euangelium,
& vtrumque scripsit: quod certè & falsum, & alienũ est ab om-
nium patrum, & Ecclesiæ, atque scripturæ sensu. A Moyse lex
scripta est, de qua Paulus apertè dicit, lex autem subintrauit,
vt abundaret delictum. non est dubium in lege promitti euan-
gelium, & quidem sub obscuris verbis, & factis prophetarum:
sed euangelium pertinet ad lucidam illã prædicationem præ-
sentis iam Christi, atque gratiæ eius. Nunc autem, inquit Pau-
lus, sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege, &
prophetis. Hæc manifestatio est euangelium, de quo Paulus
ait, quod virtus Dei est in salutem omni credenti: quod sem-
per à lege distinguit. alienum itaque est ab omni doctrina, &
inconsideratè dictum, euangelium scriptũ esse à Moyse, quod
etsi non magnopere curandum putem, & verum sensum ha-
bere possit, scripsit euangelium, hoc est, promissionẽ de Chri-
sti aduentu: sed in hoc loco vbi de scriptura veteris, & noui Cap. 40.
Testamenti agitur, propriè loquendum est, & distinguendum Traditiones
euangelium, à lege, vt ostendimus Paulum distinguere: & le- distinguere,
gislatorem ab euangelista. Sed iam audiendum, quàm scripturã ca
falsè, & iniquè mihi imponat Brentius, quòd sophismatis pue- tholicã esse:
rilibus in re tam seria ludam: vbi ipse nõ sophismatis, sed præ- nec quidquã
stigijs magis egit. Quia enim ego dico dogmata fidei non mi- inde detrahi
nus seruari posse in cordibus hominum, cùm ita Deus serua- scripturæ,
ri vo-

ri voluerit, quàm feruentur in tabulis, & papyro conscripta: quod apertè dico, & manifestè, cùm contra eos assero credenda esse certò dogmata quædam, quæ non sunt scripta, sed tradita: qualia sunt, quæ ad Sacramentum Ordinis, & reliqua Sacramenta, & substantiam eorum pertinent, & plurima alia, de quibus postea. Cùm itaque dixerim esse dogmata fidei extra scripturam scripta in cordibus non minus fideliter, non minus tenaciter, quàm tabulis, ille fabellam narrans plusquam puerilem cuiusdam dicentis, Christianam religionem fundatam esse in panniculis laceris, quia descripta est in papyro: ait me Scripturam sacram putare esse papyrum corruptibilem. quid igitur dicemus huic homini, certè hoc agunt in patria mea præstigiatores, & impostores: cùm populis imponere cupiunt, & ad sua commoda trahere: ludunt ineptis fabellis, vt inter risus, & iocos non attendant simplices quò trahuntur: sic agit nunc Brentius, cùm manifestè falsa mihi impingat, quæ nec dixi, neque quidem aliquid, vnde eorum vel leuissima suspicio oriri possit, inter fabulas iocosas (inquit quasi ex meo nomine) Scriptura sacra continetur membranis, & veteribus panniculis. Hæc putrescunt, ergo Scriptura sacra, & addit de me quanta est huius hominis impudentia? Imò verò Brenti, non te pudet, tam apertæ falsitatis? ego Scripturam sacram verissimè, & certissimè sententias ipsas à Deo in ea reuelatas intelligo: sed scriptas lingua, & stilo humano, sententias has certissimè veneror vt diuinas: sed vltra has dico esse alias sententias non scriptas nisi in cordibus, non minus certæ fidei, non minus diuinas, quàm sint aliæ, quæ scriptæ sunt in tabulis. Est hoc dicere Scripturam sacram esse membranas, & veteres panniculos? non certè, nisi ei qui nihil videre vult nisi quod reprehendat. Scriptura sacra, velis, nolis, sententiæ sunt, & reuelationes diuinæ, scriptæ sermone, & stylo humano in tabulis, vltra hęc sunt dogmata inscripta cordibus, sine vllis literis, sine vllis humanis vocibus: &, vt inquit Dionysius Areopagita, ea sunt, quæ sancti duces, ac præceptores nostri tradiderunt, & ex animo in animum medio interueniente verbo corporali quidem, sed quod carnis penitus excedat sensus, sine literis transfusa sunt.

Cap. 1. lib. de Eccles. Hierarchia.

Audis

Audis sine literis, & sine tabulis ex animo in animũ. Hoc nõ est ridiculũ: hoc nõ est puerile sophisma, distinguere verbũ Dei, et aliud asserere inscriptũ tabulis, & atramento: & aliud infusum cordibus. Hoc Dionysius agit illo loco: hoc Chrysostomus vbi citauimus: hoc Aug. hoc res ipsa clamat. Est puerile dicere Abrahã, & sanctos illos, cũ quibus Deus locutus est, feliciùs & puriùs sine scripturis diuinas reuelationes habuisse, quàm qui ex scripturis habent, quod dixit Chrysostomus? Est puerile cũ Augustino dicere, literas sacras iã scriptas machinas esse, quibus charitatis ædificium perficiatur in cordibus nostris, quæ cùm plena fuerit, iam literæ necessariæ non erunt, atque sine illis perfectiùs Antonium, & Paulum in desertis, feliciusque vixisse, quàm alij cum libris? Hi patres omnes distinguunt verbum scriptum literis, à verbo infuso cordibus, hoc non est puerile, hoc non est Scripturam sacram esse membranam, sed est credenda esse, & diuina habenda dogmata quędam, quę in Scriptura sacra scripta non sunt, cordibus fidelium commissa. De quibus Paulus illud dixit. De quo in catholica nostra assertione satis fimus locuti, Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere, non ait, quæ scripsi, tu transscribe, & trade, sed quæ audisti commenda. Asserimus igitur falsissimè vos dicere, Apostolos scripsisse omnia, quæ docuerunt, hoc inquam dicimus esse contra ipsam scripturam, contra patrum omnium sententiam à vobis dictum, sine vlla ratione, sine vlla auctoritate, diuinatione quadam. Quando itaque de hoc agimus, & distinguimus dogmata scripta à non scriptis, non ludimus sophismatis, sed seriò agimus, & seriò vos falsum dicere auctoritate patrum confirmamus, cùm omnia credẽda scripta asseritis. Hoc, si verum putas, erat tibi Brenti confirmandum, & non confugiendum ad aniles fabulas, & præsumpta, atque conficta conuitia: reuersus, de me inquis, fuerat fortassis paulò antè à synodo puellarũ monacharum: & inter hæc non pudet etiam te dicere traditionarios, aut sicut iniquis, si breuiori vocabulo delectaris traditores: atque alibi Talmudicos esse eos, qui extra scripturam dogma aliquod suscipiunt: & deinde audes perfricata fronte

dice-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicere contra traditiones, quod Irenæus scribit hæreticis fuisse solenne: cùm vrgerentur scripturis, ad traditiones confugere. Citas locum ex tertio libro, quem agnosco, sed à te apertè detortũ: nam in his, quæ citasti; verbis, refert illos ad traditiones confugere, cum reprehensione scripturę: Quasi, inquit ille, non rectè habeant scripturæ, nec sint ex auctoritate, eas accusant. Hoc nos non agimus, sed scripturæ omnem auctoritatem disertissimè semper tribuimus. Nam eodem loco eos arguens ostendit, ad quam traditionem confugerent: Hanc, inquit, sapientiam non per literas, sed per viuam vocem traditam vnusquisque eorum esse dicit, quam à semetipso adinuenit fictionem. Hanc traditionem asserere hæreticorum esse dicit Irenęus: nam post quædam etiam verba eodem capite eosdem reprehendit, quòd Apostolicam, & certam traditionem, non agnoscunt. Inquit enim eodem capite, ex quo alia citasti, & parum post ea quæ dixisti, Ad eam iterũ traditionem, quę est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos, qui aduersantur traditioni. Dicent se non solùm presbyteris, sed etiam Apostolis sapientiores, sinceram inuenisse veritatem: & tandem ita concludit, Euenit itaque nec scripturis, nec traditioni consentire eos. Aduersus tales certamen nobis est dilectissime qui more serpentium lubrici vndique fugere conantes, &c. Vide itaque quàm longè ab illis simus, qui traditionem, & scripturam negant, nos, qui vtrumque confitemur. Sed quod magis ostendit apertè te imposuisse Irenæo: cùm verba eius, quæ citas in contrarium sensum, quàm ille accepit, torquens: sequens caput eiusdem libri est: in quo apertè traditionem Apostolorum in toto orbe manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire. Dicit hìc hæreticorum esse agnoscere traditionem? Nequaquam: sed potiùs omnium, qui vera volunt audire. Vos ergo, qui traditionem non agnoscitis, Irenæus dicit vera nolle audire: nam omnes agnoscunt traditionem, qui volũt vera audire. Hoc meritò dicimus impudentiæ esse, truncatam sententiam afferre, vnde contrarium intelligatur eius, quod manifestissimè, & ex professo is, à quo sumitur, agit. Cer-

Certum est Irenæum in eo loco traditiones non scriptas probare. quem locum quia aliter corrumpis, postea latiùs explicabimus. nunc satis hæc nobis sint de scripturæ, & traditionũ ratione: reliqua de ijsdem sunt explicanda, quæ impugnantur à Brentio.

Asserimus nos, & quidem Catholici omnes Patres scripturam primò difficilem esse intellectu, & propter rerum sublimitatem, & propter verborũ ambiguitatem, idque non sine magna Dei prouidentia factum agnoscunt omnes. hoc nolumus in presenti multis probare. Petrus ipse Apostolus, de epistolis Pauli inquit, quòd in eis sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant sicut cæterâs scripturas, ad suam ipsorum perniciem. Hieronymus in epistola illa ad Paulinum de omnibus diuinæ scripturæ libris non aliud agit omnibus eloquentiæ neruis, quàm vt difficultatem scripturarum, & quanto studio opus sit, quantaque diligentia doctores audiendi ad eam intelligendam, ostendat. Augustinus secundo de doctrina Christiana loquens de sacra scriptura: Multis, inquit, & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt aliud pro alio sentientes: quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur, non inueniunt: ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt: quod sanctissimè ibi considerans prouisum diuinitùs non dubitat ad edomandam labore superbiam, & auferendum fastidium, quod sequi solet facilitatem inueniendi: non dubitat quidem, quod certissimum est, multa esse manifesta, & aperta, quibus, inquit, fami consulitur, ne deficiat lector: sed multa alia obscura, ne torpeat, aut fastidium incurrat: neque opus est aliter probari, quòd res ipsa cogit eos, qui id maximè negant, confiteri. Propter hanc difficultatem, & ambiguitatem scripturę docét nos Patres ab humilibus quidem, & vero corde agnoscendi diuinam voluntatem lectione, atque doctrina maiorum, & in primis puritate animi aut omnia, aut quàmplurima attingi posse: ad quod consequendum Aug. inter cæteros patres, quatuor illos libros de doctrina Christiana edidit, plenos præceptorum, & obseruationũ proteruos verò suo sensui hærent ex scripturis cõuinci impossibile iudicarũt om-

Cap. 41. Obscuritas scripturæ sacræ probatur, quodq; nihil hoc obsit fa-luti legentiũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnes. Attulimus manifestissimas Tertulliani, & Irenęi, de hac re sententias, quas ipsi experientia, & rationibus confirmant: & suadent non descendendum cum hæreticis ad certamen de scripturis. Et ait Tertullianus eos nullo iure hoc petere posse: quippe qui alieni sint ab Ecclesia, ad quam sacrorum possessio librorum pertinet. Inquit Brentius, me hunc locum non intellexisse, & promittit se ostensurum: quòd si fecerit non me tantùm, sed omnes docebit, qui totum librum illum de proscriptionibus hæreticorum sciunt hoc præcipuum habere argumentum: & necesse erit Brentio non solùm nouum sensum, sed nouas etiã significationes dictionum adinuenire. Sed vtcunque se res habeat, hoc quod asserimus de scripturæ obscuritate, vide qualiter à Brentio, qui id impugnat, maximè confirmetur. profert igitur primò quædam de Scripturæ sacrę perspicuitate ex eodem testimonia. Lex Domini immaculata conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ lętificantes corda: præceptum Domini lucidũ illuminans oculos. Et illud, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis: Et, Vos estis lux mundi. Et illud Petri, Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. Quę omnia verba nos non negamus de scriptura accipi posse, quãuis de prędicatione, & nõ tãtùm scriptis verbis ea etiam accipiamus. Ait igitur Brentius, Quomodo illuminabit oculos, quomodo lucerna erit pedibus scriptura, & cętera omnia, quę illi tribuũt, habebit nisi aperta sit, & manifesta? Imò quo fructu data nobis est ad salutem, si tam obscura est, vt Platonis Timęus! Igitur, inquit, & si negari non possit, quòd in scriptura obscuritas aliquoties imperitis occurrat, & impijs: atque incredulis maxima pars sit obscura: tamẽ pijs, & spiritu Christi donatis, prędipua capita Christianę doctrinæ manifesta ita sunt, vt de eis auderẽt cũ Sathana decertare. Alioquin si verbũ Dei illis esset ignotũ, quomodo firma fide illud possent apprehendere, & tanquam gladio quodam spiritus ipso vti aduersus omnes tentationes Sathanæ? Hęc vides quanta auctoritate à Brentio agãtur. Imperitis, inquit, aliquo-

Cap. 42. Patrũ modestia in agnoscẽda propria ignorantia circa scripturã sacram, verbis Brentij confertur.

quoties occurrit obscuritas in scripturis, omnes ergo vt imperitos contemnit Brentius. Sit itaque illi imperitus Hieronymus, qui præter ea, quæ in epistola ad Paulinum dicit, passim fatetur, quas difficultates in intelligenda scriptura patiatur. Ad Edibiam de verbis septimi capitis ad Romanos, Quid ergo dicemus, nunquid est iniquitas apud Deum? &c. Ita inquit, Omnis quidem ad Romanos epistola interpretatione indiget, & tantis obscuritatibus inuoluta est, vt ad intelligendum eam Spiritus sancti indigeamus auxilio, qui per Apostolum hæc ipsa dictauit, maximè verò hic locus. Sit illi Augustinus imperitus, qui tanto labore, tot libris primum caput Geneseos conatus est intelligere, & vix aliud effecit quàm inquirere, & dubitare. Sint denique illi Basilius, & Gregorius tam magna lumina Ecclesiæ imperiti, de quibus refert Rufinus, quod tredecim annis in monasterio, reiectis omnibus alijs secularium Græcorum libris, solis diuinis Scripturis operam dabant, earum intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis inquirentes. Hæc omnia puto contempturum esse Brentium, qui imperitos reputat, quibus in scripturis vel aliquoties occurrit obscuritas. Igitur dicamus illi apertè, quæ citat de scripturæ splendore, & perspicuitate, pijs, & humilibus nosta confirmant, qui non dicimus omnia in scriptura obscura esse, sed quàm plurima manifesta, & quidem quæ maximè pertinent ad salutem: sed sunt etiam non pauciora obscura, quibus tamen nihil impediuntur à salute sua veri fideles: quoniam, cùm ea non intelligunt, humiliantur, & deferunt honorem Deo, & pro his, quæ intelligunt gratias agentes, & agnoscentes ex eius dono esse: vel inquirũt, cùm opus est, aut illis vacat à doctoribus humiliter interrogantes, à Deo instanter orantes, atque ita perueniunt ad intellectũ, vel cùm nondum perueniunt, aut ad id perueniunt, quod non satis est, certum, continent se in his, quę certa fide iam constãt, expectantes illud sibi in posterũ reuelari, iuxta verbum Pauli, Si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Veruntamen

Quæst. 10.

Lib. 11. Eccle siasticæ. ca. 9

Philip. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad quod peruenimus, vt idem sapiamus: in eadem permaneamus regula. Ita se exercent inter obscura, & aperta scripturæ veri filij Ecclesiæ in omnibus semper proficientes fide, spe, & charitate, & ad maiora anhelantes. Habent verbum Dei tanquam lumẽ, quo illustrantur, Lucerna pedibus meis, &c. Et tamen clamant, Reuela oculos meos, considerabo mirabilia de lege tua: Et iterum, Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est anima mea. Et cùm magis hoc egerint, magis Scripturæ sacræ agnoscentes immensitatem, orãt, Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Vt de Scriptura sacra verissimum sit, quod de Deo Sapiens inquit, Quis inuestigabit magnalia eius? Virtutem autem magnitudinis eius quis enunciabit? Aut quis adijciet enarrare misericordiã eius, &c. Quæ ibi loquitur: quę meritò scripturæ cõueniunt, de his enim ipsis Dei perfectionibus, & magnitudine sublimiter loquitur. Et illud maximè, quod ait ibidem, Cùm cõsummauerit homo, tũc incipiet. Et quidem cùm in omni, quæ vel ex parte aliqua vera est sapientia, certissimum sit, verum profectum esse, cùm quis hoc vnum incipit scire, quod nescit: id maximè in sacrarum scripturarũ profunditate necessarium est. Quarum Aug. ardentissimus amator, & studiosissimus. Tanta est, inquit, Christianarũ profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere. Et quoniam hũc locum adduximus, non sunt omittenda, quæ sequuntur: quibus, quæ dicta sunt maximè confirmantur. Cùm enim tãtam difficultatem scripturarum ostendisset: statim ne quis frangeretur animo, sic inquit, Non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate: sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè, rectèque non viuitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant: tantaque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verumetiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ: vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura habet. Cùm consummauerit homo, tum incipiet. Videsita-

Eccles. 18.

Epistola ad Volusianum.

itaque quàm certissima sunt, quæ circa hæc diximus, & quàm sit arroganter dictũ, quod imperitis occurrit aliquoties nonnulla obscuritas in scriptura. Hæc enim sunt Brẽtij verba, cùm nimium voluit condescendere nostræ sententiæ, qui magnam difficultatem, & obscuritatem scripturæ fatemur. De qua re libet etiam confessionem Augustini referre, cùm enim non semel suam confiteatur ignorantiam in rebus quamplurimis, ad Hieronymum, ad Orosium, ad Petrum presbyterum, sic ait, Ianuario respondens: Tantùm absum ab eo, quod putasti, nihil me latere, vt nihil in epistola tua legerim tristius: quia & apertissimè falsum est, & miror, quia hoc te latet, quòd non solùm in alijs innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis scripturis multò nescia plura, quàm sciam. Hæc tantæ modestiæ, & veritatis verba quàm apertissimè Brentium falsitatis, et immodestiæ condẽnant. Quid rogo, nocuit Augustino, quid eius detraxit saluti ignorantia tanta in scripturis diuinis? Imò quod magis mirandum est, nec sapientiæ, quàm maximam in eo semper tota cognouit Ecclesia, non solùm nihil detraxit: sed ostendit potiùs eum verè sapientem esse, dicente Paulo, Qui se putat aliquid scire nondum scit, quomodo oportet eum scire. Sed quam sibi constet Brentius, & sui omnes in hac re ostendit, quòd in hoc eodem capite, de scriptura loquitur aduersus Patres, & Concilia. Negari, inquit, nõ potest, quin in Patribus sint sui errores, & alienæ à sensu scripturæ interpretationes. Hæc sunt eius verba, quæ & postea confirmare nititur ex diuersitate expositionum Patrum, cui superiùs respondimus, & latiùs adhuc respondebimus: tamen, vbi ait, post aliqua exempla errorũ. Longum, inquit, est singulos percurrere: adnotemus etiam quædam loca scripturæ, in quibus interpretatio Patrum repugnat: & quibusdã adductis, de quibus superiùs aliquid diximus, Quam igitur inquit interpretationem agnoscemus? Et Concilia errasse frequenter dicit, nec Nicæno Concilio omnium probatissimo parcit. Primo enim capite de officio principum, cùm patres, ait, Nicæni Concilij definierunt, Christum Dei filium æqualem esse Patri, Christus fuit in medio eorum, quia tũc non secuti sunt suas opiniones, sed

Epistola 28. contra Prisc. & Origenistas lib. de origine.

Epistola. 119. cap. 21.

1. Corint. 8.

Cap. 43.

Quòd manifestè Brentius, & sui sibi contradicant, dicẽtes apertam esse scripturã, & præcipuos articulos eius: circa omnes illos reprehẽdentes altorũ doctorum sensum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed sententiam Spiritus sancti. Cùm autem postea iudicarent eos, qui professi Christum, ad militiam redirent, dignos damnatione: damnarunt legitimam militiam, quam Ioannes Baptista probauerat. Ostendemus postea falsissimè hoc dixisse Brentiũ: Núc interim satis est, vt audiamus, quod in intelligẽda scriptura etiã Nicęnú Conciliũ errasse dicit, cui & postea plus detrahit, sed de hoc aliâs. Id dũtaxat ex his colligamus quantũ sibi constat Brentius, & omnes sui, quum hinc dicunt scripturam per se apertam esse: & imperitis occurrere fortè obscuritatem, & frequenter Patres pugnantes expositiones attulisse, & tam ipsos, quàm Concilia errasse in eorum intellectu. Aut igitur omnes erant imperiti: aut scriptura in sese difficilis est intellectu, circa quam intelligendam tot, tantique viri, iudicio Brentij errarunt. Eodem etiam vitio laborat, cùm in hoc capite conatur probare præcipua capita doctrinæ Christianæ nota, & manifesta esse. Illum igitur audiamus: Quatuor dicit hæc esse præcipua capita, Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, & Sacramenta. De singulis verò sic probat, quòd aperta sint. Decalogus, ait, continet omnia, quæ à nobis facienda, & omittenda Deus exigit: quæ manifestè explicatur in literis Propheticis, & Apostolicis. Vbi vide iã, vt sibijpsi cõtradicat. Si Decalogus est apertus, quomodo circa primũ & vltimum præceptum de vnius Dei dilectione, & prohibita concupiscentia clamant errasse longo tempore doctores omnes in Ecclesia: & ex illis probari asserunt concupiscentiæ motus peccata esse damnabilia contra hæc præcepta: atque propterea manere in baptizatis peccatũ originale, contra patres omnes clamant? De qua re cõfessio, quam Brentius defendit, sic habet. Quod aliqui docent, peccatum remanens post baptismum in homine non esse natura sua verum peccatum, existimamus perniciosiorem esse errorem, quàm vulgus hominum iudicat. Vulgus itaq; sumus illis Catholici omnes: sed hæc omittamus. Illud solùm dicamus, quomodo obscurus nõ est Decalogus, circa cuius intellectum omnes alios reprehendunt? De Symbolo Apostolico ait, quod omnes articulos fidei continet, & vniuersam Euangelicam doctrinam, & quod

quod habent singuli articuli in scriptura aperta, certa, clara, et perspicua testimonia. Sed vt omittamus interim innumeros antiquos errores, propter quos oportuit in diuersis Concilijs latiùs multò explicari Apostolicum symbolum: de natura ipsa diuina, & personis contra Arium, Sabellium, & Macedonium: de creatione rerum omnium à Deo, contra tot portenta antiquarum hæresum, Valentiniani, Marcionis, & denique Manichæi: de incarnatione Christi contra Apollinarium, Nestoriũ, Eutychetem: de resurrectione carnis, & cęteris omnibus. Vt igitur hæc omittamus: quorum declaratio visa est Patribus necessaria ad salutem, ea ipsa, quæ vos noui omnes doctores mouetis contra Ecclesiam, & Romani Pontificis primatum, circa verba illa, Credo sanctam Ecclesiã catholicam, turbant & confundunt eos, qui vos audiunt, reprehendentes Catholicorum omnium sensum. Similiter, quæ de remissione peccatorũ, bonisque operibus, & mercede vitæ æternę docetis. Circa hos articulos reprehendunt Catholicorum omnium sensum, vt non possint, si vestrum iudicium audiatur, hæc non esse dubia, & obscura. Sed quod circa Sacramenta dicit, maximè miramur, quòd scilicet duo sint à Christo instituta, Baptismus, & Cœna Domini: & hæc nihil habeant obscuritatis: nisi quam sophistæ, inquit, importunis disputationibus, & impijs deprauationibus inferunt. Vbi primùm nos econtra dicimus, non duo tantùm, sed septem esse sacramenta, quæ Ecclesia omnis docet, quæ ab omnibus certa fide agnoscenda sunt. Ea omnia, ritúsque, & cæremonias, quibus traduntur, ab antiquis patribus, non à sophisticis, & Asoticis cognita fuisse, vt tradita ab Apostolis: & habemus horum omnium certissima testimonia, quibus confirmamur, & sumus parati vsq; ad sanguinem hæc defendere: certi hoc nobis ad salutem profuturum, imò necessarium esse. Qua ergo temeritate Brentius clamat certa esse, quæ ille iudicat certa, non tantùm contra omnes theologos trecentorum proximorum annorum: sed contra antiquissimos etiam Apostolis proximos, quorum nos afferimus testimonia quamplurima, & quidem à multis alijs copiosiùs, & pauca à nobis, sed quę sufficere possent, adducta sunt in nostra

catholica assertione? Quomodo igitur præter summam temeritatem possunt à Brentio certa omnia, & manifesta circa hæc dici: in quibus aliquando apertè ipsi antiquam Ecclesiam reprehendũt. Nam in capite de Baptismo, inquiunt: manifestum esse, vsitatum in Ecclesia fuisse externum Chrisma: sed tamen esse abrogatum, cum elementis mundi: de quibus Paulus inquit: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, &c. Et omnes alios ritus Baptismi audent otiosos dicere, quos Patres cum multa veneratione susceipiunt, confirmantes etiam ex eis dubia fidei. Meritò igitur & sibi contradicere, & intolerabili arrogantia laborare conuincuntur, qui cùm tanta damnent in doctrina Ecclesiæ, quæ ab omnibus superioribus ætatibus probata sunt: asserunt nihilominus scripturam maximè circa præcipua capita religionis apertam esse. Quòd si cætera, quæ in hoc loco Brentius loquitur, vel tantillum consideremus, multò apertiùs hoc ipsum ostendunt. Distinguit igitur ille inter pios, & nos, quotquot hæc, quæ diximus, contra eos defendimus. Ait, pios quidem, etsi circa hæc præcipua capita aliquid obscuritatis inueniant, etiam si inerudi ti sint, certas habere resipsas, & à Spiritus sancti vnctione edoceri, de reliquis, nos verò omnes illos esse, quorum princeps huius seculi excæcauit mentes: ideoque relinquendos esse, & non audiendos, sed hoc solùm restare affirmat, vt, quod in veteri lege factum est, id nunc fieri credatur. Quemadmodum enim, inquit, Deus gubernauit populum Israël: vt & antequam haberent reges in summis periculis, excitaret iudices, qui populum vindicarent ab iniuria hostium, & post reges Prophetas etiam, qui viam euadendi demonstrarent in extrema necessitate: sic nũc gubernat Ecclesiam: & quia defecit ordinaria successio sacerdotum (sic enim dicit) & putat Brentius se superiùs probasse ordinarios successores Apostolorum inimicos esse, & persecutores Ecclesiæ. Atque ideo hoc quasi certò constituto, ait, nunc Deum ad gubernandam Ecclesiam heroam quempiam siue ecclesiasticum, siue politicum, vt vocat, excitaturum, qui tenebras discutiet, & hostibus obsistet. Hæc igitur est vltima Brentij de scripturæ perspicuitate resolutio: hæc ratio confirmandi

Ad Gal. 2. Cap. 44. Quàmiquè B. Catholicos oẽs dãnet Episcopos, & circa sensum scripturæ reijciat, et suos recipiendos asserat.

di suos, & armandi aduersus nos omnes. Paucis igitur ea consideremus, vt quanta ratione in re tam graui Brentius sententiam ferat, agnoscamus. Posset iustè primò ab eo peti, qua auctoritate hæc faciat: aut quis illum constituerit iudicem in hac causa, in qua de tota religione, & salute æterna omnium agitur: sed hæc omittamus. Quod igitur inquit, pios doceri vnctione Spiritus sancti, etiã si imperiti sint, de rebus ad salutem necessarijs, quàm maximè probamus: quos Deus vera pietate donat, quos agnoscit oues suas, non permittit errare, vel diutiùs in errore persistere: & quamuis multa ignorẽt, cùm tamen à magisterio Christi nõ discedunt superbè, & pertinaciter, non imputatur illis in peccatum ignorantia manentibus in Ecclesia. Quo argumento nouitas hæreticorum maximè arguitur. si enim multa præter peccatum ignorantur, si cognitis præcipuis capitibus fidei, vt Brentius inquit, aliarum rerum ignorantia, de quibus, cùm opus est, à Spiritu sancto instruuntur, non impedit salutem: cur non meliùs consuleretur Ecclesiæ, & præcipuè simplicibus, si nihil moueretur contra antiquam illam fidem, quam in Ecclesia constat semper habitam? Clament illi, quantum volent contra Sanctorum inuocationem, & sacrificium altaris, atque purgatorium: certè illud constat, tutiùs in antiqua fide manentes cõsistere, cùm non dubitante, nihil his honori Christi, & plenitudini meritorum eius detrahi: etiam si in hac persuasione (quod nullo modo credimus) aliquid erroris esset. Si illa præcipua capita satis sunt ad salutẽ, cur nõ permittit Brentius, & reliqui sui, quiescere in gremio Ecclesiæ pios, & ineruditos homines? Nam quòd Brentius nos omnes, qui cõtra eum sentimus, impios affirmat, & excæcatos, est ante victoriam triumphum agere. Illud certum est, nullum, qui ab Ecclesia recedit, pium esse: nullum, qui non eam, quã Christus instituit vsque ad finem seculi immobilem, & manifestam agnoscit. Et vt de his non plura dicamus, quem iustiùs putabimus excæcatum, qui lucernam, quam Christus abscondi non posse dicit, non videt, atque ideo asserit defecisse, vel qui hanc agnoscens quædam alia circa doctrinam fidei, vel ignorat, vel de illis ita dubitat, vt non propterea ab Ecclesia velit discede-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re?de qua re pleniùs,dante Domino, vltimo loco agemus. Iactant se edoctos à spiritu, illustratos à verbo Dei, & interim, aut nulla,inquiũt,fuit Ecclesia multis præteritis seculis,& nũc etiam: aut abscondita mansit sine sacerdotibus, & ministris Christi, sine suæ fidei manifestatione. Hæc est lux Brentij, hi sunt illi pij, & vnctionem habentes à Deo.Sed de his superiùs satis.Quæ nunc diximus propter hanc,de qua se iactant,lucẽ. Nam quod sequitur, quòd Deus permittens successores omnes ordinarios Apostolorum deficere, exsuscitet heroam aliquem vel ecclesiasticum,vel politicum, quid aliud est, quàm adulatio manifestissima? Lutherum fortè dicet esse hunc ecclesiasticum heroam: nisi fortè se malit,nunc apud suos hunc haberi,quæ multò est maior arrogantia.De temporali verò,siue politico:quem vocat,quid aliud est, quàm suo domino, illustrissimo Duci blandiri,& adulari,vt seducat,cùm Brẽtius his, quos Deus ex lapidibus suscitat, auctoritatem à Deo datam ostenderit in totam Ecclesiam manifestis illis miraculis, quibus aut Iosue, aut Gedeon,& similes suam missionem,& auctoritatem confirmarunt, adhibenda esset ei fides? Cæterùm nemo sibi hanc auctoritatem præsumere etiam in veteri populo ausus est, nisi Theudas ille, aut Iudas Galilæus, de quibus in Actis Apostolorum scriptum est: multò verò minùs nunc id à quouis præsumendum est: eò maximè, quòd certissimè auctoritas ministrorum Christi vsque ad finem seculi certa promissione Euãgelica confirmata est in Ecclesia. Et,quod nec Brẽtius negare potest,etiam si illi sint mali, audiendi sunt: & per eos Deus efficit, ad quod ordinati sunt.Ergo docet per eos Ecclesiam,verbum suum, & Sacramenta ministrat. Quare intolerabilis est hæc tanta asserendi vt certissima,quæ tam dubia,& reuera falsa sunt,audacia. Qua reiecta,sit nobis hoc certissimè constitutum,scripturam dubiam esse, & sæpius in Ecclesia circa intellectum eius oriri controuersias, & hoc asserimus Catholici ad Ecclesiam referendum esse, & eius expectandam sententiam circa scripturæ sensum: cuius etiam sentẽtia ipsam scripturam nos suscepisse fatemur. Et de hoc quidem agendũ est postea, quod attinet ad Ecclesiæ auctoritatẽ.

Act.5.

Nunc

Cap. 45. *Quaminiquè calumnietur nos, & imponat Brẽtius: quòd scripturã subijciamus humanæ auctoritati, cùm nõ aliud dicamus, q̃ quod Patres etiam ipsi fatentur.*

Nunc tantùm de scripturæ sacræ dignitate loquamur. De hac igitur præcipuè criminatur me Brẽtius. Sacrosanctam,inquit,Scripturam subijcit traditionibus,Patribus, & prælatorum Concilijs: hoc est diuina oracula humanis sentẽtijs,& decretis.Citat dixisse quendam,scripturam si destituatur auctoritate Ecclesiæ,valere sicut Fabulas Aesopi.Hoc nos non diximus,nec certè gaudemus simili comparatione,quamuis si Catholicus aliquis hoc asseruit, ad id fortè referri voluit, quod Aug. contra epistolã Fundamenti dixit, Si de auctoritate Ecclesiæ inciperem dubitare,vel illi in aliqua re non credere,multò magis tunc de auctoritate scripturæ dubitarem: quam Ecclesiæ auctoritate suscepi. Dicit apertè Manichæis: Si non crederem Ecclesiæ dicenti mihi, vos esse hæreticos, mox dubitare inciperẽ de scripturæ auctoritate, & etiam si in ea legerem Manichæum esse Apostolum Christi, non crederem: quia,inquit, cui etedidi dicenti Manichæum esse hæreticum, eidem credidi tradenti scripturam sacram.Quare si de altero cœpero dubitare, de vtroque dubitabo. Hæc est Augustini sententia eo loco certissima quidem, & manifesta: ita vt nec à Brentio negari possit,si Ecclesiæ non tribueret auctoritatem Augustinus,nec libris canonicis tribuerit. Dicamus igitur modestiùs: sine auctoritate Ecclesiæ Scriptura sacra auctoritatem non habet, hoc certissimè fatemur. Est igitur nobis respondendum criminationibus Brentij qui clamat, quòd sit summa irreuerentia in sacram Scripturam, & Deum ipsum.Simile peccatũ irrisioni Christi,cùm Iudæi,& milites genua flectentes, & salutantes,Aue rex Iudæorum,eum persecutiebant. Nam quod dicimus,Scriptura sacra est reuelatio Spiritus sancti,genua flectere,inquit,est: quod autem postea dicimus pendere à Patribus, & Concilijs, alapam est impingere. Hæ sunt iniuriæ summæ, quas nos Scripturæ sacræ inferimus:à quibus vt Brentius eam vindicet,dixit,quæ audiuimus,& multa alia,de quibus postea, his nunc pro Scripturæ sacræ auctoritate,& maiestate,cui nullo modo contradicimus,est respondendũ,nec multis. Primò igitur illud dicimus, quod hæc ipsa duo, quæ nos asserimus, Ecclesiam habere potestatem Scripturam sacram nobis pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ponendi,ipsamque,& dubia fidei interpretandi,& definiendi, diserte,& dilucidè in confessione sua Brentius, & Vvirtenbergenses confitentur. Capite enim de Ecclesia inter quædam, quæ ei tribuunt,numero sexto,& duobus sequentibus, sic dicũt : Confitemur quòd hæc Ecclesia habeat ius testificandi de sacra Scriptura, iudicandi de omnibus doctrinis, & interpretandę scripturæ.Nunc igitur ab eis quærimus, cur quæ fatentur in nobis impugnant?Si Ecclesiam habere auctoritatẽ dandi & interpretandi scripturam, est scripturam subdere Ecclesiæ, & iudicijs hominum, illi ergo subijciunt scripturam humanæ auctoritati. Quòd si hoc non est, cur nobis hoc imponunt,qui non aliud quàm hoc ipsum asserimus.Rursum si scriptura non est ambigua,si sufficiens modus est exponendi scripturam per scripturam,& per vnctionem Spiritus sancti· frustra Ecclesiæ datur hęc auctoritas,quæ nõ est necessaria. Quid est,rogo,Ecclesia habet ius interpretandi scripturam, & iudicandi de omnibus doctrinis, & scripturam sufficienter per seipsam exponi, & vnctione Spiritus sancti? Hoc veriùs dicemus in vos,quod de nobis dixistis irrisoriè. Ecclesiæ datis hanc auctoritatem, vt sic placetis pios animos, quidam olim Pelagiani faciebant concedentes baptizandos pueros in remissionem peccatorum,& gratiam Christi necessariam, postmodum reuera negantęs omnia, sic vos hoc Ecclesiæ tribuitis, & coram ea genua flectitis, salutãtes sponsam Christi,& ius hoc illi permittentes. Postea verò negantes vllius humani iudicij auctoritati credendum esse, circa sensum scripturæ pereutitis illam, & infirmorum conscientias. & vide quanto dolo hoc agunt in sua confessione Vvirtenbergenses : cùm enim vident ex hac auctoritate Ecclesiæ se posse teneri,quò effugiant, omnemque humanam auctoritatem euadant:mox Ecclesiam hãc incertam,& dubiam ita efficiunt, vt nunquã possit dubiũ esse circa fidem,& religionem:quin de Ecclesia sit dubitãdum. De qua re superiùs multa dicta sunt,ibi inquiunt est Ecclesia, vbi synceriter prædicatur euangeliũ, & ritè administrãtur Sacramẽta.Et iã ex supradictis perspicuũ est, Ecclesiam illã, contraquã nõ prævalẽt portę inferi,incertã,& soli Deo cognitã ab illis

Cap.46. Conuincit B. et suos quòd irrisoriè, & frustrà Ecclesiæ auctoritatẽ tribuat cẽsendi de libris canonicis, & sensu eorum.

lis definiri:ita scilicet,vt iura illa, quę Ecclesię dãt testificandi & interpretandi scripturam, quæ non conueniunt nisi ei, quæ superari à sathana non potest,vana sunt,& cassa: dum nulla est Ecclesia nobis cognita, cui hæc conueniant. Nónne hoc est similiùs irrisioni Christi, quod in eius Ecclesiam facitis? habet ius interpretandi scripturam,dicitis: & tamen à nullo homine cognosci potest interpretatio. Hæc,rogo, & testificatio de libris canonicis,cui fit?Deo,hominibus,aut Angelis?Cui est necessaria?Hominibus credo:nam Deo,nec Angelis,non est scriptura. At verò frustrà interpretatur hominibus, à quibus cognosci non valet:imò vt apertiùs dicam,necesse est Vvirtenbergenses aut nullam certam habere scripturam sacram, aut certam agnoscere veram Ecclesiam : illa habet eis confitentibus auctoritatem testificandi de scriptura : sine eius ergo testimonio temerè susciptur scriptura aliqua,vt diuina.Si ergo Ecclesia,quæ deficere non potest,prædestinatorum est congregatio, si soli Deo cognita,nullius verę Ecclesiæ testimonia habetis de libris sacris. Quomodo enim testimonium alicuius certũ haberi potest, si ille ignoretur?Vera igitur irrisio est quicquid de libris canonicis iudicatis,quum nullam agnoscatis Ecclesiam, quę non erret.Si errant Patres,si errant Concilia,vt dicis Brenti,dubium est quicquid de libris certò,& indubitanter pro canonicis habendis,de quibus in veteri,& vera Ecclesia nũquam est dubitatum,dicis.Nam cùm ille etiam veram Ecclesiam electorum tantùm, & prædestinatorum congregationem affirmat esse,de quo superiùs dictum est, incerta est illi vera Ecclesia,quo fit,vt etiam libri canonici sint ei incerti : siquidem non nouit ille veram fuisse Ecclesiam, quæ illos recepit, nec vllam veterem Ecclesiam,quæ non in quibusdam errauẽrit,agnoscit. Quomodo non dubitandũ est illi,de libris canonicis? Sed hũc locum inferiùs commodiùs explicabimus : Nunc hæc satis sit annotasse. Ex quibus ostenditur,quàm inconsideratè illi agũt, qui Ecclesiam,& scripturam ita distinguunt,quasi alterius auctoritas alteri detrahat, vt Vvirtenbergenses videntur agere. Si enim dixerimus Ecclesiam iudicare debere de dubia expositione scripturæ, statim inferunt iniuriam fieri scripturæ : cùm reuera

Universidad de Deusto
Biblioteca

reuera hæc duo ita coniuncta sint, vt alterum in altero, qui rectè quęrit, semper inueniat: nisi quòd vt ostensum est, Ecclesia est antiquior scriptura, & eius auctoritate nobis est tradita.

Cap. 47. Ecclesiã subditã esse scripturæ, & de libris canonicis, sensuq; eorũ iudicare, nõ cõtradicere, sed vtrũq; verissimum esse ostenditur.

Quomodo verò hoc non sit scripturam Ecclesiæ subijcere, dicẽdum est, vt Brentio satisfiat manifestè. Nos pro certissimo habemus, quòd omnis reuelatio, quę à Spiritu sancto procedit, subijcit sibi Ecclesiam. Quidquid enim vel verbo, vel scripto Deus loquitur, superius est omni intellectu, & omni humana, & Angelica ratione: Scripturã verò sacram ostendimus à Spiritu sancto scriptam esse: non itaque dubitandum est, quin illi Ecclesia sit subdita. Hanc sententiam semper tenuimus, & quanquam sunt Catholici, qui æqualis volunt auctoritatis esse Ecclesiam, & scripturam: & quidam plus tribuant Ecclesiæ, nihil putantes detrahi alteri ex alterius excellentia: maximè quum quicquid scriptura, vel Ecclesia habet, totũ sit à Spiritu sancto, qui inter eas, prout vult, diuidit auctoritatẽ. Hoc nonnulli asserunt, quos non dãnamus, quia hoc sentiunt non damnantes etiam eos, qui aliter sentiunt, sed nobis multò magis contrarium placet, vel hac sola ratione, de qua diximus: quia Spiritus sanctus reuelat, & dat Ecclesiæ Scripturam sacram: quare non potest non illi subdita esse, si enim Paulus suæ ipsius prædicationi subditus erat, si ea ipsa, quæ per os eius Spiritus sanctus loquebatur Ecclesiæ, illum ita obligabãt, & tenebant subditum, quia erant à Spiritu sancto reuelata, vt

Ad Gal. 1.

meritò ille dixerit, Licet nos, aut Angelus de cælo euãgelizet, prętерquam quod euãgelizauimus vobis, anathema sit. Quomodo non omnis fidelis, & tota Ecclesia eisdem subdita est, siue verbo solo, siue scripto reuelata sint? quod si ita est, si certissimè Ecclesia subdita est scripturæ, quomodo illi ius tribuimus testificandi, & interpretandi scripturam, nisi quia hoc nõ vt superior scriptura facit: sed vt subdita? Cùm enim Vvirtenberg. in cap. de Ecclesia dixissent, Ius hoc, quod Ecclesiæ damus, non sic intelligendum: quod habet liberam potestatem vel mutandi scripturam vel noua dogmata fidei condendi, aut nouam religionem, & nouum cultum Dei statuendi: hoc nos maximè probauimus, ostendentes hoc esse certissimum, & à

& à nostris etiam recentioribus doctoribus, & nominatim à Thoma assertum. Ex quo etiam illud apertè sequitur, quod ibidem affirmant, & nos laudamus, Ecclesiam agnoscere vocem sponsi sui in libris canonicis, & habere certam regulam, iuxta quam obscura interpretatur, et dubia definit, Propheticam scilicet, & Apostolicam prædicationem. Hæc certissima sunt, non quia Ecclesia vult, auctoritatem dat scripturæ: sed Deus potiùs hoc agit, dans eam vt reuelationem propriam Ecclesiæ, quod illa agnoscens subijcit se reuelationi, & testificatur nobis, se hîc agnoscere, & certa fide intueri verba, & Spiritum sponsi sui. Et rursum, cùm de sensu huius scripturę dubiũ est, non quod sibi placet definit Ecclesia: sed quod ex illa regula prædicationis Propheticæ, & Apostolicæ certum habet, id definit, ostendens filijs suis hunc esse sensum sponsi sui. Itaque semper subdita manet Ecclesia scripturæ, vt ipse Spiritui diuino, & reuelationi eius: & tamen nobis dat ipsam scripturam, & explicat illam: Hoc est subijcere scripturã humano iudicio? Quis hoc dicat, nisi qui obstinato animo decreuit omnibus cõtradicere, & nihil intelligere? Sed vide quid illos moueat, si Ecclesia subdita est scripturę, si iuxta eam & regulã Apostolicæ, & Propheticæ prædicationis iudicare debet, cur non licebit nobis eius iudicium ad hanc regulam exigere, vt si illi non cõsonet, reijciatur? Hoc est frequentissimè in ore Brentij, sed vide quàm inconsideratè, nec seipsum agnoscit. Quod agit, nõ est Ecclesiam scripturæ subdere, sed suo iudicio. Si tu Brentio iudicio Ecclesiæ iudicas, superiorem te constituis Ecclesiæ. Nec enim, vt apertè dicamus, iudicium Ecclesiæ aliud est, quàm quòd ita sit intelligenda scriptura, vel ita sentiendũ iuxta regulam prædicationis Apostolicæ. Si ergo hoc iudicium tu iterum examinas, nónne superiorem te facis Ecclesiæ: idque duplici ratione, Primò auctoritate: secũdo scientia & iudicio? Itaque dum Brentius pro maiestate scripturæ putat, aut simulat se agere, agit reuera pro sua auctoritate, vt liceat illi, suisq; omnibus superiores esse Ecclesia, & eius iudicium retractare, & seipsos sapientiores Ecclesia confidenter dicere, quantò iustiùs, & sensui humano, fideique conuenientiùs Catholici impera-

Cap. 48. Ostenditur nõ pro honore scripturæ, sed pro libertate sua certare eos, qui Ecclesiæ iudicio in dubio non stant dum docent.

peratores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius pronunciantes. Iniuriam, inquiunt, facit iudicio reuerendissimæ Synodi si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contenderit. Huius legis auctoritate te premo Brenti, omnesque confessionis tuæ. Si iudicium ecclesiasticum reijcitis, imperiales leges, & auctoritatem non potestis non agnoscere. Cauete ne ex illis sitis, qui nec Deum timent, nec hominem reuerentur. Sed quoniam de lege diximus ciuili, & iudicio seculari, illius exemplo agamus vltimo cum illis. Si inter duos causa agitur, & vterque habet pro se Iurisperitorũ sententias, qui suas leges ita exponunt, vt in contrarias sententias secundum eas scindantur: & alij iudicandum pro altero, alij contrà sentiant, ita quòd dubium est de sensu vero legum: aditur iudex à litigantibus, & Aduocatis: & post causæ disceptationem audiunt sententiam, in qua iudex alteram partem damnat, alteram absoluit, & simul aliorum Iurisperitorum sententiam probat, aliorum reijcit. Quis rogo, si hic sit supremus iudex, à quo prouocari non possit, dicet, Hunc iudicem superiorem constitutum fuisse legibus, quia interpretatus est eas? Quis non intelligit, quàm hoc sit falsum? Iudex ille litigãtibus est superior, & Aduocatis, illos iudicat, non leges, quas sequitur, per quas iudicat. Sic igitur Brenti inter nos quæstio est, verbi gratia, An vita cœlebs, votumque eius sit cultus Deo gratus, atque ad sui obseruantiam vouentem obligans, an non? Disputamus de scripturæ locis, qui de hoc loquũtur, Volo omnes esse sicut meipsum. Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, Et illud de viduis, Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Et illud, Non omnes capiũt verbum istud, sed quibus datum est. Et, Qui potest capere capiat. Vos interpretamini prout vobis videtur, nos prout accepimus à Patribus, quantum etiam nobis videtur, si Ecclesia ferat sententiam, si in Synodo reuerẽdissima hoc constituatur, vos falsum sensum scripturæ habuisse, nos verum. Quæro iam nunquid Ecclesia hoc definiens fecit se superioré scriptura? Certè non magis quàm iudex ille, de quo diximus, suis legibus se superiorem constituit, aut certè tu cùm asseris sic

L. nemo. C. de summa tri. & fide Cat.

1. Corint. 7.

1. ad Tim. 5.

Matthæi. 19.

sic intelligendam scripturam. Non ergo nos agimus, vt scripturam subijciamus Ecclesiæ, & iudicio humano, sed vt priua ta humana iudicia Christianorum circa fidem, & scripturam subijciantur publico Ecclesiæ iudicio, non vt Ecclesia iudicet scripturam: sed nos, qui diuersa de illa sentimus. Tantum agimus, vt ego, & tu, nósque omnes, & vos omnes publico Ecclesiæ iudicio subiecti simus: quod vos apertè refugere ostenditis: idque facitis quasi honorem seruantes Scripturæ sacræ: Sed reuera illam subuertitis, cùm Ecclesiæ nõ vultis esse subditi, de qua scriptura dicit: Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, Et est columna, & firmamentum veritatis. Hoc maximè ostendit, quod in fine huius loci de scriptura Brẽtius agit. Reiectis enim Traditionibus, Patribus, Concilijs tandem inquit, Quid igitur tandem fiet? " Quis erit controuersiæ huius finis? Quod erit vltimũ iudiciũ? " Quibus respondet: Agnoscimus iudicem, quem in Symbolo " Apostolorum didicimus, iudicẽ viuorum, & mortuorum, eius " dicit expectandum iudicium. Quod multis exemplis noui, & veteris Testamenti conatur probare, confirmans suos ad constantiam, vel obstinationem potiùs. Sic enim ait de me, Habet quod sæpe, ac multũ in suo scripto vrget, quẽ iudicẽ, aut quod " supremum iudiciũ agnoscamus, atque ita claudit hunc locum " in quo susceperat vindicandam scripturæ auctoritatem, vt intelligas hunc fuisse scopum eius vindicandi sibi libertatem. Dicas igitur Brenti manifestè nulli humano iudicio vos velle parere, & reuocare quicquid diximus in præcedenti loco de principum officio in Ecclesia, & apertè dic te nulli Principi velle obedire, nisi sequatur quæ tu doces, & vanam esse omnem auctoritatem, non solùm ecclesiasticam, sed & secularem: Quæ enim nunc asseris, hoc manifestè continent. Et vide tu, aut quisquis communi sensu non caret, cur magis vos noui doctores nulli teneamini parere circa hæc fidei dogmata, quàm nos? Cur, inquam, magis vobis liceat solius Christi iudicium audire velle, quàm nobis, idque in qualibet alia controuersia fidei? Si fiat, opus erit noua annũciatione de cælo, aut miraculis in omni controuersia religionis, & frustrà erit, quidquid laboris

Matth. 18.

1. ad Tim. 3

Cap. 49. Sũma obstinatio in proprio sensu Brentij ostenditur, simulq; quàm sibi sit cõtrarius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

boris in Concilijs Ecclesiasticis assumptum est à Patribus, vel assumi potest. His itaque putamus sufficienter responsum esse criminationibus Brentij, quibus nos arguit, quòd Ecclesiam subijciamus humano iudicio: & ostensum esse, quàm verissimè scriptura sit superior omni creatura: & tamen non minus verè Ecclesia tradit nobis scripturam, & interpretatur dubia. De ratione verò, qua hoc Ecclesia facit, dicetur cùm egerimus de cæteris tribus, quæ proposita sunt. Nunc igitur de traditionibus dicẽdum est nobis, quæ meritò coniungendæ sunt Scripturæ.

Cap. 30. Quid sit Apostolica traditio.

Igitur circa traditiones asserendas non est nobis diutius laborandum, constat è superioribus, Apostolicam prædicationem primum omnium esse (quod ad externa attinet) quibus ædificatur fides, in hanc fundantur traditiones, non quæcunque: sed Apostolicæ. Sit ergo hic constitutum, nos non de alijs traditionibus loqui, quàm de Apostolicis. Quãquam non negamus posse Patres, atque Concilia aliqua tradere, & constituere præter illa, quæ scripta sunt, cùm id diuinæ gloriæ, & saluti animarum expedire iudicauerint, hæc est enim auctoritas illis concessa ad gubernandos fideles: de qua Paulus inquit, Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, tanquam rationem reddituri pro animabus vestris. Has Prælatorum traditiones præter Apostolicas illas, nunc omittimus, cùm illas quærimus tantùm, quibus scriptura tradita est nobis, atque exponitur, & dubia circa fidem definiuntur ab Ecclesia. Non igitur quas illa post Apostolos tradidit, iure illo, quo ad salutem æternam gubernat populos: sed quibus à Deo acceptis per Apostolos gubernatur, & quas in omni suo recto iudicio consulit. Iuxta quam distinctionem, traditionem Apostolicam nos vocamus, quicquid Apostoli acceperunt à Christo, atque vnanimiter, & concorditer docuerunt Ecclesias. Quum enim certum sit, in substantia fidei, cultus, & morum Christianorum Apostolos à Christo, & spiritu eius edoctos, atque eadem omnino docuisse, quia vno, & eodẽ spiritu. Docere autẽ non sit aliud, quàm tradere id, quod docetur, eis, qui audiunt, & discũt: meritò Apostolicam traditionem vocamus quodcunque dogma à Deo acceptum, quod Apo-

Apostoli docuerunt prædicantes Euangelium, & (vt diximus) fidem, cultum & mores Christianos formantes, & à Deo instituta tradentes. Hanc traditionem extendimus ad scripta etiã & non scripta. Quamuis enim appropriato nomine traditiones eas dicere multi consueuerint, quæ sine scripto recepta sunt in Ecclesia ab Apostolis, nihil tamen obest si vniuersaliùs accipiamus: cùm hoc Catholici omnes certũ habeamus, Apostolos multa docuisse quæ non scripserunt: & ea ipsa quæ scripserunt, multò latiùs docuisse, pluribus scilicet verbis, & quidem non semel, sed frequentissimè, nec vnius linguæ hominibus, sed diuersarum & multarum, cùm in vna tantùm Græca: vel vt multum duabus, hoc est, etiam Hebraica scripserunt. De quibus satis dictum est proximo loco. Traditio igitur Apostolica nobis sit quoduis dogma à fidelibus, & Ecclesijs, quas Apostoli docuerunt, ex eorum doctrina certa fide susceptum. Ex hoc enim, quod postea scripserint, breuiùs certè & compendiosiùs exponendum est, ex eodem etiam quod non est scriptum, certa fide percipitur. De his igitur traditionibus loquitur antiquissimus Irenæus. Et quamuis superiùs multorum grauissimorum Patrum testimonia in nostra assertione catholica adducta esse diximus, quibus probatur tradita esse quædam sine scriptura, & plurima eorum in eis ipsis quæ scripta sunt, traditionem consulendam manifestè docent.

Cap. 51. Locus Irenæi de traditionibus non de ijs solùm, quibus scripturæ sunt traditæ, intelligendus, vt Brentius inquit: sed de omnibus, quæ Apostoli docuerunt, ostenditur.

Sed locus hic Irenæi est nobis diligenter expendendus: quia & nostra confirmat, & Brentius tertio hoc loco de traditionibus conatur in alienum sensum trahere. Ireneus igitur in principio tertij libri de ratione conuincendi efficaciter Valentinum, & cæteros hæreticos differens refert, primò eos & scripturas & traditionem contemnere. De quo suprà locuti sumus respondentes Brentio. Et mox, quod ibi diximus, inquit, Apostolorum traditionem ab omnibus videri posse, qui vera volunt audire: eam ex successione Ecclesiarum, quas fundarunt Apostoli, dicit agnoscendam esse, & recenset Romanæ Ecclesiæ pontifices continuò succedentes in ea ab Apostolis, vsque ad Eleutherium duodecimo loco, eo tempore, quo hæc scribebat Ecclesiam illam gubernantem. De quibus omnibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

satis superiùs dictũ est. Inter ea Polycarpi auctoritate vtitur, quem Ecclesiæ Smyrnensi præfectum Episcopum ab Apostolis refert, & Romam venisse sub Aniceto, multosque hæreticos ad Ecclesiam conuertisse. Vnam, inquit, hanc veritatem annuncians ab Apostolis se percepisse, quam & Ecclesiæ tradidit. Post hæc omnia sic loquitur, Tantæ igitur ostensiones quum sint, non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere: cùm Apostoli, quasi in depositorium diues plenissimè in eã contulerunt omnia quæ sunt veritatis. Hæc proponit: in quibus bene considera, quòd non ad solam scripturam, sed ad Ecclesiam nos mittit, in quam dicit Apostolos omnia, quasi in depositorium quoddam, cõtulisse, & non in scriptura solùm: non aio ipsum negasse scripturam, quoniam de ea in his verbis mentionem non fecit. Constat in principio huius libri non longè ante hæc de quatuor Euangelijs scriptis dixisse. Non itaque scripturam dico ab Irenæo nõ agnosci: sed id assero, quòd nõ ad solã scripturã nos mittat. Et vt apertè quid sentiat Irenæus agnoscamus, audienda sunt quę sequũtur. Persuadet omnibus ad Ecclesiã veniendũ esse, Hæc est enim vitę introitus, inquit, omnes autẽ reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos: quæ autem sunt Ecclesiæ cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim, etsi quæ de aliqua modica quęstione disceptatio esset, nónne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum, & re liquidum est? Hæc, rogo, attentiùs considera. Ad Ecclesias antiquissimas mittit in dubijs, in quibus, inquit, Apostoli conuersati sunt. Et non ex literis dicit quærendum esse, sed ab eis Ecclesijs, hoc est, testimonijs earum sumendum esse, quod re liquidum (inquit) est. Non quod scripturam neget legendam esse, sed quia sciebat ex verbis eius dubia frequenter oriri: quum in diuersos sensus trahuntur. Id quod sequentibus verbis magis explicat: sic enim post ea quæ citauimus immediatè loquitur, Quid autem si nec Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nónne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tra-

tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes. Vides vt hic apertè traditionem distinguit à scriptura, & eam refert ad omnia quę ab Apostolis prædicata sunt, & ab ea sumendam esse certitudinem in omnibus controuersijs docet. Quod etiam parum pòst sequentia ostendunt. Hanc (inquit) fidem qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum Barbari sunt: quantum autem ad sententiam, & consuetudinem, & conuersationẽ propter fidem perquàm sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantes in omni iustitia, castitate & sapientia: quibus si aliquis annunciauerit ea quæ ab hæreticis adinuenta sunt, statim concludentes aures longiùs fugient, nec audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, nec in conceptionem mentis quidem admittunt quodcunque eorum potentiloquium est. Hęc eo loco Irenæus. In quibus iam apertiùs habes, & quàm sit latior traditio scriptura, & quàm apertior: quòd Barbari habeant traditionem sine literis, per illam omnia aliena dogmata reijciunt, & eo modo ad traditionem confugiendum ac si neque scripturam nobis reliquissent Apostoli. Brentius autem hunc locum Irenæi de traditione interpretatur, qua nobis Scriptura sacra, & quæ in ea continentur tradita, inquit, sunt. Hæc, ait, traditio necessaria est nobis, & modis omnibus amplectenda, de qua loquitur, ait, Irenæus. Nam propterea existimat illum successionem Episcoporum recensere, non vt Episcopis liceat noua dogmata contra scripturam fingere: sed vt ex successione illa habeamus testimonia, quibus scripturam certò agnoscamus. Hanc traditionem scripturæ, inquit, certissimè à se & suis teneri, & pro ea, inquit, tanquam pro aris & focis pugnamus contra traditores. Hic est sensus Brentij: sed quàm consonus auctori, quàm verax, ipse iudica. Irenæus apertè dicit Barbaros habere traditionem sine scriptura, & ex ea omnem vitare hæresim dicit; si Apostoli non tradidissent scripturam, ex il-

la traditione sola agnosci posse veritatem. Et docet post traditam scripturam ad hanc traditionem in dubijs confugiendum. Quomodo ergo loquitur de traditione scripturæ, quum dicat apertè traditionem hanc apud Barbaros esse sine literis & atramento? Hoc nõ est apertè corrumpere sensum Patrum, expositionem è diametro pugnantem cum manifestis eorum verbis afferre? Inquit Irenæus, Traditionem hanc habent Barbari sine literis, & Brentius inquit, Loquitur Irenæus de traditione scripturæ. Numquid scriptura potest haberi sine literis? Constat itaque quàm sit confictus hic sensus, & quàm manifestè Irenæus traditionem Apostolicam omnem doctrinã, quam ab eis susceperunt Ecclesiæ, dicat, siue scripta sit, siue non scripta. Et eadem ratione sumitur à Tertulliano libro de Præscriptionibus hæreticorum: sic enim concludit multa quæ de hac re grauissimè loquitur. Quid Apostoli prædicarint, quid illis Christus reuelauerit, non aliter probari debet, nisi per easdem Ecclesias, quas Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua, quod aiunt, voce, quàm per epistolas. Postea, Constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit, reliquam verò doctrinam omnem de mendacio præiudicandã, quæ sapiat cõtra veritatẽ Ecclesiarũ, & Apostolorũ, & Christi, & Dei. Hoc modo nos hîc loquimur de traditionibus, ad quas in omni cõtrouersia docẽt Patres hi cõfugiendũ esse: tã cùm de sensu scripturę, q̃ cùm de re alia ad religionem pertinente agitur. Inter has etiã illæ sunt, quæ sine scriptura in Ecclesia tenentur. De quibus nunc est nobis cum Brentio congrediendum: quem vix certè intelligas, probet illas, an neget. Cap. de scriptura quanta dicit aduersus eos, qui traditiones præter scripturam susciunt, de quibus nonnihil superiùs! Traditionarios & traditores nos appellat, & ex professo disputat de sufficientia (vt inquit ille) & perfectione scripturæ. Idque primò ex verbis illius legis, Quæ tibi præcipio, hoc tantùm facies, nec addas quicquam, nec minuas. Quod, inquit, idem nobis eadem grauitate dicitur, Si nos, aut Angelus de cælo aliter euangelizauerit, præter id quod euangelizatum est, &c. Et ne responderi posset, quòd Paulus non dixit, Præter id quod scriptum est, sed quod euangelizauimus vobis, quod ad prædicationem referri debet. Addit Euangelium, quòd Apostoli prædicarunt, non voce tantùm vulgatum esse, sed in scriptura prophetica prius comprehensum, vt Paulus inquit, Segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis: & iam, etiam inquit, tum mandabatur literis Apostolicis. Iis adiungit curam Christi & Apostolorum circa probanda ea quæ docebant ex scripturis. Nam, inquit, Apostoli in Synodo illa sua, de qua Actuum 15. scribitur, non audent quicquam definire absque sacræ Scripturæ auctoritate, ex solis traditionibus ἀγράφοις. Citant enim Prophetarum oracula. Et Petrus, inquit, tanti fecit sacram scripturam, vt præ ipsa manifestè damnet Patrum traditiones. Redempti, inquit, estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis. Et Paulus Colossensibus scribẽs apertè dehortatur, ait Brẽtius, à sectandis hominum traditionibus. Videte, inquiens, ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum. Et idem etiam seipsum reprehendit. Abũdantius, inquiens, existens æmulator paternarũ mearũ traditionum. His itaque & traditiones proprio nomine reprehendi videntur, & exemplis Christi & Apostolorum admonemur omnia probare ex scripturis. Sufficientes ergo sunt, & continent quæ ad veram nostram salutem cognitu sunt necessaria. apertè testãte Paulo cùm inquit, Omnis scriptura diuinitùs inspirata vtilis est ad docendum, &c. Et, Vt perfectus sit, inquit, homo Dei, & ad omne bonum opus instructus. Quibus verbis nihil potest maius dici de sufficientia scripturæ. Quibus etiam illa suffragantur Christi, Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. Et quæ apud Ioannem, Multa quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta, &c. Hæc autem scripta sunt vt credatis, quod Iesus est filius Dei: & vt credentes vitã habeatis in nomine eius. Igitur satis nobis ad saluté & fidem sufficiunt, quæ scripta sunt. Petebant hæc omnia responsio-

Cap. 52. Loca de sufficiẽtia scripturæ, quæ B. citat non probare, nõ esse traditionibus sine scriptura standum.

" 1. Pet. 1.
" 2. Cap. 2.
" 2. ad Timoth. 3.
" Luc. 16.
" Ioan. 20

nem, nisi Brentius respondisset sibi. Nam post hæc omnia, quę de perfectione scripturæ, & quod contineat omnia sufficientia ad salutem dicta sunt, refert, quod nos in scholijs diximus, exponentes scripturam sufficientem esse: quia in vniuersum omnia complectitur, vel eò maximè, quòd docet audiendos Prælatos, & Ecclesiam: atque in ea esse auctoritatem gubernandi nos ad salutem. Quare specialia iam ab Ecclesię auctoritate sunt suscipienda. Cùm itaque hæc refert, irridet quidē ea, &, vt inquit, acumen meum: sed reuera nihil respondet: nec est acumen meum hoc, sed sincerissima veritas Pauli, Tenete, inquit, traditiones nostras siue per epistolam, siue per sermonē.

Cap. 53. *Quàm diuersa, nec sibi cōstans sit Brentij doctrina circa traditiones.*

Tenetur Brentius hac ratione, si scripturæ credendum est, & obediendum: illa præcipit non scripta teneri. Quibus Brentius nihil aliud dicit, quàm non esse suscipiendas traditiones, quæ cum scriptura pugnant: neque cuiuis credendum sine iudicio obtrudenti nobis quasuis traditiones Apostolicas. Quæ duo nec nos vnquam diximus, & toleranda non esse apertè fatemur. Quis patietur audire recipiendum esse aliquid quod pugnat cum scriptura, aut Apostolicam traditionem scripturę posse cōtrariam esse? Illud etiam quis Catholicorum vnquam petijt, vt cuiuis credatur dicēti, Hanc esse Apostolicam traditionem? Illas solas recipiendas dicimus, quas testimonijs fide dignis Ecclesiarum constat probari. De quo posteà. Dicat igitur Brentius nunc, an contra has certissimis testimonijs probatas quicquam afferat. Quòd si non: nihil est inter eum & nos in hac re quæstionis. Sed video illum vtrinque vrgeri: hinc apertissimis illis verbis Pauli de tenendis traditionibus, & alijs certissimis testimonijs Patrum. Vnde sic apertè proprio loco
„ de traditionibus inquit, In hac igitur disputatione negari quidem nec debet, nec potest, quin tam Christus multa dixerit &
„ fecerit, quàm Apostoli multa tradiderint & instituerint, quæ
„ non sunt ab ipsis literis comprehensa. Hæc sunt eius verba, idque statim confirmat verbis illis Ioannis, Multa & alia signa fecit Iesus: & Pauli, Tenete traditiones, &c. Vides his disertis verbis Brentium traditiones non scriptas confiteri: tantùm postea in hoc loco petit, vt non recipiamus fictitias traditiones pro

pro Apostolicis: quod nos etiam quàm maximè volumus. Finita itaque videtur causa traditionum, quod attinet ad earum auctoritatem. Si enim quæram à Brentio, an ista quæ Apostoli tradiderunt, & instituerunt (vt ille inquit) nec tamen scripta sunt, minoris auctoritatis sint quàm scripta: puto eum non negaturum æqualis auctoritatis esse cum Apostolica prædicatione, in qua continentur etiam non scripta. Iuxta verbum illud Pauli, Tenete traditiones, &c. siue per sermonem, siue per epistolam. Cur igitur paulò antè in eodem capite statim post principium dicit traditionarios siue traditores, quorum tubam me nunc præcedere affirmat, suscepisse his temporibus seruitutem Iudaicam & Cabalisticam, atque tyrannidem inducendam in Ecclesiam. Quare rogo? Quia, inquit (verba enim eius referam cuius & priora quæ diximus sunt) Non contenti
„ scriptura diuinitùs commendata & confirmata, iactant Apo-
„ stolos multa tradidisse posteris sermone, quæ non minorē habent auctoritatem, quàm quæ scripto mandata sunt. Verissi-
„ mum est nos ita dicere, & Brentius fatetur in his quæ citauimus, negari nec debere nec posse nōnulla instituta ab Apostolis sine literis. Inter hæc non magis distat, quàm quòd nos retulit dicere multa esse eiusmodi: ille dicit nōnulla. Possunt nonnulla multa esse: sed vtcunque sit, non de numero & multitudine traditionum disputamus, sed de veritate earum. Hanc nos asserentes grauissimis criminationibus & conuicijs onerat, Cabalistas, Talmudicos, traditores & inuectores Iudaicæ seruitutis, & tyrannidis in Ecclesiam vocans. Et, vt diximus, eodem loco dicit, negari non posse nec debere, tradita esse ab Apostolis aliqua, sine literis. Meritò itaque dicimus illum coarctari. Hinc enim confitetur illas, cùm vrgetur supradictis testimonijs. Cui certè tum dicturi sumus, vt reliqua sua soluat argumenta, quibus Petrum & Paulum inquit reprehendere traditiones, & cætera quæ ex illo proximè diximus. Sed quid ageret, qui cùm ad illa attendit, & suis placitis, & socijs vult consentire, negat planè traditiones: &, vt vides, apertissimè sibiipsi contradicit in capite de scriptura, post illa, quæ contra traditiones dicit. Et vt probet omnia confirmanda scripturis, ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

,, inquit, de Paulo loquens, Qui postquam raptus fuerat in ter-
,, tium cælum, & didicerat Euangelium Christi in Paradiso: ta-
,, men in docendis fidei dogmatibus confert se ad testimonia
,, scripturæ: siue, inquit, prædicet siue scribat confirmat sua scri
pturis. Et post nonnulla alia, quibus hoc confirmat, respon-
,, rus obiectioni, sic inquit, Et quanquam alicubi iubet tenere
,, traditiones, quas siue sermone, siue epistola docuit: tamen no-
,, mine traditionum non intelligit traditiones asoticas: sed do-
,, ctrinam testimonijs scripturæ confirmatam. Cùm enim dicit,
,, Si nos, aut Angelus de cælo, &c. & affirmat Euangelium hoc
,, promissum per Prophetas in Scripturis sanctis: perspicuè signi
,, ficat, quòd nulla traditio contra & præter testimonia scriptu-
,, ræ agnoscenda sit pro dogmate necessario ad salutem. Contra
testimonia scripturæ certissimum est nihil suscipiendum, sed
præter illam fassus est ipse Apostolos aliqua instituisse, nun-
quid illa non sunt suscipienda? Ieaque satis ostendit, quàm sibi
constet nouitas. Antiqua verò & Catholica sententia, testanti-
bus grauissimis Patribus, agnoscit Apostolicas traditiones
easque sequitur siue in exponendis scripturis, siue circa alia,
quæ scripta non sunt. Iuxta hoc facilè Brentio respon-

Cap. 54. Qualiter scriptura omnia cõtineat, et tamè præter eam sint quædam tradita.

demus, cùm nobis obijcit Euangelium comprehensum esse
literis Propheticis: atque ideo cùm præter Euangelium nihil
sit suscipiendum, nihil non scriptum suscipiendum. Respon-
demus, inquam, id, quod ipse retulit, nos dixisse: scripta esse in
genere omnia, non verò singula in specie, quod multò magis
de scripturis Propheticis, quam Apostolicis dicimus. Sunt in
illis multa quidem mysteria Christi & Euangelij, magis sub
quadam communi ratione quàm in specie singula. Cùm Moy-
ses inquit, Prophetam suscitabit tibi Deus de gente tua & fra
tribus tuis: sicut me ipsum audietis. Omnia quæ postea Chri-
stus locutus est, probauit, & ibi omnia comprehensa sunt.
Qua ratione Paulus intelligit Euangelium promissum esse in
scripturis sanctis, quia in eis promissus est Christus, promissa
eius doctrina, exempla & miracula. Cæterùm nunquam Pau-
lus se ita constringit, vt nihil assereret quod non probaret scri-
pturis. Satis erat illi probasse Christum verũ Messiam, verum

Deut. 18.

ho-

hominem, verum Deum, verum redemptorem & iudicem om
nium. Cùm enim ait, Accepi à Domino, quod & tradidi vo-
bis: quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit
panem, &c. non opus illi fuit ex Prophetis probare. Nam li-
cet sint aliqua, quibus hoc erat adumbratum in sacerdotio
Melchisedech: apertè tamen non ita scriptum erat, vt proba-
retur iam tunc completum esse. Quum Paulus id scriberet,
nec Prophetas citat, sed traditionem Domini, Accepi, inquit,
à Domino, quod tradidi vobis. Sic de cæteris omnibus quæ ad
Euangelium pertinent, dicere possumus: quòd quatriduanum
Lazarum resuscitauerit Christus: quòd ibi lacrymatus fuerit:
quòd Martham & Mariam diligebat: quòd hæc sedebat ad pe
des eius, illa ministrabat, & alia sexcenta, non est opus ex Pro-
phetis probare: sed id duntaxat apertè probatur, plurima mi-
racula Christum editurum. Vana igitur est illa ratiocinatio.
Euangelium est comprehensum in Prophetis: nihil ergo nisi
scriptũ suscipiendũ. Sicut illud multò apertiùs falsò dictũ est,
Apostolos in sua illa Synodo nihil ausos fuisse definire absque
scripturæ auctoritate. Certè cùm definierunt non imponenda
legalia gentibus, vsi sunt auctoritate Prophetica, in qua de vo-
catione gentium facta est mentio. Sed posteà cùm iubent ab-
stinere à sanguine & suffocato, absque auctoritate scripturæ
faciunt: nec à Christo se id accepisse affirmãt, sed illi hoc sta-
tuunt nouum præceptũ, quod putarunt pertinere ad fouen-
dam concordiam Iudæorum & Gentium, atque vnitatem Ec-
clesiæ: idque auctoritate illa, qua regendam Ecclesiam suscepe
runt. Et habemus in hoc loco exemplum manifestum, posse
pastores & gubernatores Ecclesiæ illa præcipere & statuere,
quæ iudicauerint tranquillitati Ecclesiæ, salutique suorum
conducere. Et sunt quidem hæc extra scripturam, sed confir-
mantur etiam eius auctoritate. Verissimè diximus, quicquid
Brentius asserat, omnia esse in scriptura, quia in ea iubemur
Christo credere & Apostolis, atque eorum successoribus obe
dire, audire Ecclesiam, & huiusmodi multa, quæ omnia alia
communi ratione comprehendunt: non explicitè & disertè:
sed (quod aiunt) implicitè, & sub vniuersali illa ratione. Hoc

1. Corint. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo est scriptura sufficiens, perficitque & instituit ad omne bonum opus. Nihil addimus scripturæ vel Euangelio, traditiones suscipientes, quas ipsa scriptura suscipi iubet.

Cap. 55. *Petri et Pauli auctoritates quædã de traditionibus explicantur: quæ à B. in alienũ detortæ sunt sensum.* 2. Pet. 3.

Non est opus pluribus hæc dicere, sed illa non sunt omittenda quæ citat Brentius ex Petri & Pauli verbis: vt apertè agnoscatur, quàm purè scripturam sacram tractet. Petrus, inquit, manifestè damnat præscriptura Patrũ traditiones. Quid rogo audio? Petrus damnat traditiones Patrum? Quorũ obsecro? Nunquid eorum, de quibus dicit, Memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum præceptorum Domini, & Saluatoris? Nunquid illorum, de quibus dictum est, Interroga patrem tuum, &c? Patrum traditiones damnat Petrus. Quibus verbis? Redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis. Quanta est hæc peruersio scripturæ? Paternam traditionem vocat Petrus manifestè, quæ ab infidelibus parentibus tradita est, aut in cultu dæmonũ à gentibus, vel superstitiosiùs à Iudæis. Denique ipse inquit, Redempti estis de vana cõuersatione paternæ traditionis. Hoc est redemptos esse ab infidelitate, & ignorantia Christi, à seruitute legis, sub qua qui erant, non solida & vera, sed transitoria hæc bona quærentes, meritò dicuntur vanè conuersati: maximè tunc, post aduentum & prædicationem Christi. Siue itaque de Iudæis, siue Gentibus intelligas hunc locum, de vanis & ab infidelitate deriuatis traditionibus manifestè est accipiendum. Quàm longè verò hæ sunt à traditionibus Apostolicis. Simile est huic, quod ex Paulo ad Colossenses citat. Dehortatur (inquit Brentius) Paulus à sectandis hominum traditionibus, Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominũ. Hic apertè de traditione infidelium est sermo: sicut cùm de se dicit, Abundãtiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum. Hæc erant quædam legis iustitiæ, in iciunijs, purificationibus & obseruãtijs, quibus gloriabãtur, & Christi Euangelio resistebant. Quàm manifestè hoc est scripturam corrumpere, & in sensum omnino cõtrarium trahere. Ipse Paulus qui illa dicit, suas traditiones non scriptas teneri iubet. Et in Actis Apostolorum confirmat Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum: damnat verò traditiones infidelium Iudæorum. Itaque responsum est his, quæ contra traditiones Brentius adducit. Asserimus ergo, quod ipse etiam Brentius, vt ostendimus, affirmat, instituta quædam esse ab Apostolis sine scriptura. Et illud ei libentissimè damus, discernendam esse traditionem incertam & dubiam, ab ea quæ certa est. Et non recipiendas esse pro Apostolicis traditionibus, nisi quæ fide dignis testimonijs probantur. Certum est & hæreticos quædam nomine traditionum Apostolicarum venditasse, contra quos loquitur Irenæus loco quem superiùs explicauimus: & Catholicos de hac re etiam diuersa sensisse de nonnullis traditionibus, & errasse etiam quosdam. Certè Cyprianus & Aphricani Episcopi in causa Baptismatis ab hæreticis collati putarũt, vt ostendemus postea ex August. se traditionem sequi, cùm reuera cõtrarium sequuti sint. Et Papias Ioannis auditor, de quo Brentius dicit, qui quàmplurima sibi à maioribus tradita referebat, ex quibus regnum illud Christi mille annorum dicebat, quod occasionem dedit nonnullis errandi. Hæc omnia ex ignorantia (vt Eusebius prudenter coniectat) dixit, quia secundum literam & corporaliter suscepit, quæ mysticè & spiritualiter intelligenda erant. Multa contingere possunt, vnde meritò in dubium veniet, num sit aliqua traditio Apostolica. Fatemur igitur certis testimonijs opus esse, & quidẽ non leuibus, sed tãta re dignis! Vbi meritò attentè cogitandũ est, quæ iustè dici possint sufficientia testimonia Apostolicę traditionis. Nec enim vni aut alteri scriptori, nec quidem pluribus etiam magna sanctitate & eruditione pollentibus credendum est. Quod ostẽdit Concilium illud Cypriani, & quæstio illa antiqua tanta contentione inter Præsides sanctissimos agitata de celebrando Paschate cum Iudæis, vel Dominica die resurrectionis. De qua habes apud Eusebium, Asianos omnes Episcopos traditione maiorum putasse cum Iudæis celebrandum Pascha, contra omnia alia totius ferè orbis Concilia. In quibus & reliqui omnes Episcopi traditionem Apostolorum etiam se sequi existimabant, celebrantes Dominico

Act. 15. & 16.

Cap. 56. *Qualiter certò probari possint Apostolicæ traditiones.*

Lib. 3. eccle. hist. cap. 39.

Lib. 5. eccles. hist. cap. 23. & 24.

minico die. Et vix tandem in Concilio Nicæno terminari potuit hęc quæstio, vt habes in epistola eiusdem Concilij ad Ecclesiam Alexãdrinam & Aegyptios omnes. Meritò igitur quibus testimonijs traditio Apostolica probetur, considerandũ est. Quod Irenæus & Tertullianus manifestissimè nobis tradiderunt, docentes ad Ecclesias Apostolicas, quas vocant matrices & originarias fidei, eas scilicet, quas Apostoli fundarunt & docuerunt, ad quas dederunt literas, quibus præfecerũt discipulos suos in Episcopos, consulendas esse circa Apostolicã traditionem. Et satis illi ostendunt vnius ex his Ecclesijs testimonium sufficiens esse, cùm alter Romanæ solius mentionem facit, & Tertullianus his qui in Achaia sunt, Corinthum: qui in Macedonia, Philippos: qui in Asia, Ephesum: qui in Italia, Romam ostendit. Quid rogo manifestiùs ostendi potest? Quid Apostoli docuerint & tradiderint, vnde meliùs agnoscetur, quàm ab ipsis Apostolorum discipulis, nec ab vno aut altero sed à consensu multorum? Ignatius Ioannis discipulus, qui aduersus hæreticos traditionibus Apostolicis pręcipuè agebat, inquit apud Eusebium, quòd traditiones has, ne quid apud posteros incertum maneret, scriptas reliquerit. Hunc laborem tam pium si haberemus, aut maiores nostri habuissent, non est dubium, quin multum præstitisset ad traditiones confirmandas. Sed vtcunque sit, Deus Ecclesiam suam non deseruit, quare nec deesse illi possunt quæ ad salutem necessaria sunt: & ideo nec sufficientia testimonia traditionũ, quas Deus voluit perpetuò seruari, & ad salutem necessarias esse constituit. Hoc est quòd Ecclesiæ promittitur, veritatem perpetuò in ea manuram. Igitur post Irenæi & Tertulliani sententiam, in qua Ecclesias Apostolicas testes esse fide dignos Apostolicæ traditionis censent, Augustinus ad Ianuarium illud vt certissimum habet, ea quæ per totum orbem seruat Ecclesia sine scriptura, vel ab Apostolis tradita esse, vel à totius orbis Cõcilijs. Et meritò quidem: quoniam omnium Ecclesiarum in quauis re consensus, manifestat causam aliquam vnde consensus hic ortus fuerit, communem quidem Ecclesijs omnibus, & in qua conueniunt omnes. Potest quidem Spiritus sanctus sine hominum mi-

Hist. eccles. Tripart. lib. 2. cap. 12.

Lib. 3. hist. eccles. cap. 36.

Epist. 118. & sequenti.

nisterio id efficere. Sed quia Ecclesiam constat ab hominibus ex commissione Christi fundatam esse, & gubernari per homines, etiam sicut vnam fidem, sic & eundem cultum, & consonantiam in reliquis omnibus ad Christianam vitam spectantibus per illos operatur Deus. Si ergo omnes Ecclesiæ conueniunt, necesse est id vel ex prædicatione Apostolorum esse, quæ consona fuit & communis omnibus Ecclesijs, vel saltem ex Concilijs vniuersalibus quę ex totius orbis Ecclesijs conueniũt: & ideo in eis constituitur quod omnes Ecclesias astringat. Igitur iuxta hoc eius quod ab omnibus per totum orbem Ecclesijs custoditur, certum est ipsas esse testes, quod Christiana religionis sit, quòd non repugnet scripturæ: cùm totam per orbem Ecclesiam impossibile sit à veritate defecisse, siue hoc ab Apostolis sit traditum, siue in Concilijs definitum. Cõsensus igitur omnium Ecclesiarum in quauis re probat, illam esse traditionem à maioribus, cui contradicere, vt Augustinus inquit, insolentissimæ insaniæ est. Nec de illis magis dubitandum, quàm de ipsa scriptura, satis ille ostendit. Primum igitur hoc habeamus efficacissimum medium ad probandam traditionem, cui meritò sumus astricti. An verè Apostolica sit nec ne, ex eadem Augustini sententia consensum esse omnium ecclesiarum: consensum, inquam, perpetuum, ab ipso Ecclesiæ ortu. Considera itaque duplicis ordinis traditiones, in quibus vniuersæ conueniunt Ecclesiæ. Aliæ sunt de quibus nullum vnquam extitit dubium, nec initium illarum inueniri potest: sed perpetuo constat illas fuisse in Ecclesia. De his igitur non dubitari potest Apostolicas esse, quales sunt Abiuratio sathanæ à baptizandis, Inunctio illorum, Baptismus infantium, Oblatio sacrificij altaris. Horum apud omnes mentio est, nec vllus tam antiquus inuenitur, qui de eis dubitet, vel nouas esse in Ecclesia existimet: sed semper cùm de eis mentio fit, tanquam ab Apostolis recepta habentur. Dionysius Pauli discipulus apertè dicit hæc ab Apostolis esse, cui consonant posteriores omnes. Sunt porrò aliæ traditiones, de quibus legimus dubiũ fuisse, & diuersas legimus Ecclesiarum sententias, quas tamen postea intuemur probari ab omnibus. De his quid aliud cogitandum

tandum est, quàm quòd sint in vniuersalibus Concilijs definita? Inter hæc puto constitui posse celebrationem Paschæ in Dominico die, & non decima quarta lunæ cum Iudæis. Vidimus priori tempore fuisse diuersas sententias, vidimus definitionem Concilij: ab illo ergo est omnium Ecclesiarum concordia. Simile putat Augustinus esse dogma de suscipiendo Baptismo hæreticorum. Hæc igitur summa est certissimæ & efficacissimæ probationis traditionum ab Apostolis & Patribus descendentium. Qua Augustinus vtendum esse docet in recipiendis libris canonicis: vt de his, quæ ab omnibus catholicis Ecclesijs præter dubitationem habitæ sunt inter traditiones, nulla ratione dubitetur. In his verò quæ non ab omnibus recipiuntur, sequenda est auctoritas plurium & grauiorum Ecclesiarũ. Quòd si æquales sint Ecclesiæ, maioris auctoritatis sunt sequendæ. Hæc Aug. eo loco de libris canonicis. Quibus illud addendum restat: quòd cùm his pensatis res dubia manet, nec satis constat quot & quales Ecclesiæ in vna parte sint, aut in altera, nihil potest conuenientius fieri, quàm vt Concilium vniuersale iudicet, cuius iudicium meritò sequendum est.

Lib. 2. de doct. Christiana cap. 8.

Cap. 57. Non omnem traditionem ad regulam Scripturæ exigi posse in traditione sacrorũ liberorũ ostenditur, & agitur de ea quæ prima est omnium traditionum.

Quod igitur Brent. ad probandam traditionem primò omnium vult eam exigendam ad regulam Scripturæ sacræ, & illam quæ cum sacris literis conuenit suscipiendam esse, non satis consideratè dictum est. Nam in altera parte sibi ipsi contradicit, in alia verò ipsi veritati. Quod nobis nunc attentè explicandum est secundum diuersa genera traditionum, quæ etiam distinguit Brentius. Igitur prima omnium traditionum meritò illa dicitur, qua nobis sacra Scriptura tradita est. De qua superiùs nonnullam mentionem fecimus, sed est núc attentiùs considerandа. Fatetur itaque Brentius successionẽ Episcoporum legitimum esse testimonium librorum canonicorũ, quod præcipuè de successione in Ecclesijs Apostolicis, quas videlicet Apostoli vel per seipsos fundarunt & gubernarunt, vel per suos discipulos. Vt enim Irenæus inquit, Non est dubitandum Apostolos, eos quibus committebant Ecclesias, plenè de omnibus docuisse, & hos similiter suos discipulos qui eis succedebant. Hac ratione non permittimur dubitare de

de libris veteris Testamenti Apostolos plenissimè docuisse eorumque testimonia multò esse fide digniora circa illos quàm Iudæorum siue sacerdotum veteris legis, quorum diligentia asseruabantur sacri libri. Quare si Apostoli spiritu illo libertatis soluti à timore & litera, quosdam ex illis libris, quos Iudæi in canone non habebant, agnouerunt tanquam canonicos, & à Spiritu sancto editos, non licet nobis Christianis de his dubitare, vnde factum esse credimus, vt quosdam nos habeamus in canone, quos Iudæi non habuerunt, vt librum Sapientiæ, Ecclesiasticum, &c. De quibus etsi in principio Ecclesiæ diuersæ fuerunt sententiæ: postea tamen re diligenter examinata, fide dignis testimonijs in Concilijs definitum est pro canonicis habendos, quos inuenerunt vel à pluribus, vel maioris auctoritatis Ecclesijs tempore Apostolorum inter canonicos habitos. De quo nunc satis hoc sit. De libris itaque veteris Testamenti traditio facta Ecclesiæ non illa tantùm intelligenda est, quæ deriuatur à sacerdotum veteris legis testimonio, sed magis ab Apostolis, quos de libris illis omnibus qui iam extabant de rebus ad salutem pertinentibus, & mysterijs fidei nostræ suis discipulis & Ecclesijs locutos esse, & Spiritus sancti sensum de illis aperuisse dubitandum non est. Libros verò noui Testamenti, qui tunc paulatim scribebantur vel ab Apostolis vel eorum discipulis, constat eo tempore scriptos fuisse, quo ab Apostolis in carne præsentibus agnosci potuerunt, & probari. Quos igitur Apostoli ipsi scripserunt mittentes Ecclesijs, vel priuatis, certum est eorum fide digno testimonio ab eis susceptos, quibus eos Apostoli destinabant, & ab illis alijs communicatos. Hoc dicimus de Euangelio Matthæi, quod-siue tertio decimo anno à passione Christi, siue pòst cùm Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, scriptum est Ecclesijs ex Iudaismo maximè conuersis, & ideo Hebraicè. Hoc de Euangelio Ioannis, quod post reliqua omnia postulantibus omnibus Ecclesijs Asiæ constat scriptum à Ioanne, postquam fuerat reuersus ex exilio. Idem etiam de omnibus epistolis Pauli & cæterorum Apostolorum, & Apocalypsi etiam sentiendum. Cętera duo Euangelia Marci & Lucæ cum Actis Apostolorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

lorum, non est dubium ab Apostolis, & eorum auditoribus atque discipulis probata esse: prout antiquis historijs de Euãgelio Marci à Petro approbato apertè scribitur. Hæc est traditio sacrorum librorum. De hac igitur quærimus à Brentio, quo pacto velit eam probari. Si dicat exigendam esse ad regulam sacræ Scripturæ, constat intelligi non posse. Ad quam, rogo, scripturam exigenda est traditio scripturæ? Posset fortè aliquis liber, de quo dubium esset, illa ratione probari an consentiat alijs testimonijs scripturæ: sed de tota scriptura manifestũ est intelligi non posse. Primum est, vt certò sint nobis constituti libri sacri nullius alterius scripturæ auctoritate, cùm hæc sunt primò scripta. Cùm igitur Euangelium Matthei & reliqua tria Euangelia selecta sunt, reiectis quamplurimis alijs Nazarçorum, Nicodemi, & similibus, quorum meminerunt antiqui, hoc fieri non potuit vllo testimonio scripturæ: sed testimonio Ecclesiarum Apostolicarum, & aliarum omnium. Patet itaque non omnem traditionem probari posse ex Scriptura sacra: sed solo consensu Ecclesiarum. Quo argumento superiùs egimus, & nunc apertiùs idem ostenditur: falsè scilicet dici à nouitatum amatoribus solam Scripturam sacram, quæ Spiritus sancti oraculum est, regulam esse certissimam omnium, quæ ad religionem pertinent: omnia alia, quæ iudicia humana sunt, siue sint Concilia, siue Patres, siue Ecclesiæ errare posse: & ideo nihil in eis vt certum, & ad fidem pertinens habendum: nisi quod consonat scripturæ. Hoc, inquam, falsum esse præter illa, quæ superiùs diximus, hoc testimonium librorum canonicorum efficacissimè probat: non enim potest confirmari scriptura aliqua. Et quamuis, vt diximus, scriptura à Spiritu sancto sit, nobis tamen solius Ecclesiæ testimonio est cognita, hoc est, testimonio patrum nostrorum, qui nos docuerunt, sicut ipsi testimonio etiam eorum, à quibus edocti sunt, eam susceperunt: atque ita vsque ad ipsos Apostolos. Hæc igitur testimonia hominum sunt, & quæ nos habemus, & multi maiorũ nostrorum habuerunt, non ab Apostolis ipsis nobis prolata sunt: sed ab Ecclesijs nostrorum temporum. Itaque si rectè pensemus quòd omnis scriptura, historia præcipuè, in qua dicta, vel

vel facta aliorum describuntur, mortuum quoddam testimonium est, & necessariò à viuo pendens, constat, quòd hæc esse quatuor Euangelia testimonio præsentium Christianorum Doctorum scilicet & Ecclesiarũ habemus, atq; ita cæteros libros canonicos. Hominũ sunt hæc testimonia qui errare possunt: sed nisi hæc certissimè cõstent, & in eis nullũ errorem esse posse credamus, necesse est vt de tota scriptura dubitemus, nec potest hoc exigi ad aliquam scripturam, quoniam hoc testimonium præcedit scripturam omnem. Et vide hoc esse quod Aug. superiùs retulimus dixisse contra epistolam Fundamenti, Si nõ crederem, inquit ille, Ecclesiæ dicenti Manichæum esse hæreticum, si non crederem Christianis hoc sentientibus, mox dubitarem de ipsa scriptura, cui nõ credidi, nisi Ecclesiæ, hoc est, præsentium Christianorum auctoritate motus. Non loquebatur Augustinus de Apostolis, nec de Ecclesia quæ sub illis fuit. Nam hæc non dixit Manichæum esse hæreticum, qui longo pòst tempore fuit. Et inquit Augustinus, Ecclesiæ cui credidi dicenti Manichæum esse hæreticum, credidi dicenti hos esse libros canonicos. Constat igitur hanc primam traditionem librorum canonicorum, quam maximam & certissimam esse vt fateamur necesse est, non probari ex scriptura, quod nec Brentius certè de illa dicit. Sed fortè ad omnes alias traditiones illud retulit quod sunt exigendæ ad scripturam. Id ergo nunc etiam, attentè considerandum est. Maximam certè speciem pietatis præ se fert, quòd dicitur, constituta scriptura quodcunque dogma, etiam quod ex Apostolica traditione haberi dicitur, per scripturam examinandum, quod si illi consentiat, recipiẽdum: sin minus, reijcendum. Hoc clamat Brentius, Sinant, ait, traditiones suasquas dicunt exigi ad scripturam sacram. Et quidem verissimum est, nec in dubium à Catholicis vnquam vocatur, nullum dogma repugnans scripturæ verum esse aut recipiẽdum: tamen quoniam in his omnibus, quas vt traditiones non scriptas recipimus, de scripturę sensu dubium est: quoniam Brentius & sui suo sensu accipientes scripturam, damnant aut omnes aut quàmplurimas traditiones: vnctionem Chrismatis pertinere dicen-

Cap. 58. Traditiones reliquæ post eã quæ scripturæ est tradita vt se habent ad scripturã, & quod eã exponũt nõnunquam, & nonnunquam exponuntur ab ea.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicentes ad elementa mundi, à quibus Paulus arcet Christianos, Sacrificium altaris, Inuocationem Sanctorum, & innumera alia cõtra scripturam esse: quod nos certissimis testimonijs fulti negamus, & exponimus aliter scripturam: & vt parcissimè loquamur, nõ minùs consonè, non minùs propriè, non minùs germanè, quàm illi. Vnde quoties clamãt esse contra scripturam, contra Christi gloriam Oblationẽ sacrificij, vel Satisfactionem quam prædicamus, & Merita bonorum operum, nos contrarium dicimus, et iam de sensu scripturæ controuertitur. Non ergo ex scripura, quæ ambigui sensus est, potest traditio hæc Sacrificij altaris, aut Inuocatio Sanctorum damnari. Quare id quod videbatur pium esse, traditionem omnem exigendam ad scripturam, constat dolum continere & fraudem: vt ad incertos sensus scripturæ, imò ad falsos & à se confictos nos trahant aduersarij. Quare nos meritò asserimus, longè aliter agendum esse, & scripturam potiùs per traditionem exponendam, quàm traditionem per scripturam. Hic clamat Brentius, nos derogare scripturæ, & certissima oracula Spiritus sancti subijcere incertis & humanis traditionibus: sed vana sunt hæc & præstigia. Traditio Apostolica etiam est oraculum Spiritus sancti, testimonium Ecclesiæ etiam est probatum à Spiritu sancto. Cur, quibus certò & infallibiliter credidimus dantibus nobis sacros libros, non credemus ijsdem nobis exponentibus? Quj scripturæ credimus Apostolorum, quia Ecclesia illam nobis ostendit, & dixit esse Apostolorũ: cur non credemus ipsorum voci & prædicationi, quam eodem modo Ecclesia nobis ostendit, & dicit illorum esse? Eiusdem enim rationis vtrumque est, ab eodem scilicet auctore, eodem testimonio nobis traditũ. Cæterùm traditio multò apertior, quantò vox ipsa & præsentia viua præstat scripturæ. Ita superiùs apertè probauimus ex prędicatione Apostolorum frequentissima quidem atq; plenissima fideles auditores plenè & præter hæsitationem de singulis dogmatibus intellexisse: & Ecclesias ipsas, & præcipuè peculiares discipulos percepisse singula de vnitate & trinitate diuina, de Christi incarnatione, & reliquis mysterijs fidei, de sacrificando & cæteris omnibus ad cultum perti-

pertinentibus. Hæc fuerunt perspicua & lucida in cordibus auditorum. Ab isto consensu, cùm postea de locis scripturæ & sensu eorum quæstio esset, petitum est, quid sentiendum. Inde damnatus est Arius & alij hæretici. Vnde meritò dicimus traditionem esse expositionem lucidissimam scripturæ: non à luce ad tenebras vocamus, sed à scriptura mortua quæ in diuersos sensus trahitur, ad viuam illam legem scriptam cordibus: à literis ad opera. Vt ex his quæ Apostoli fecerunt & instituerunt fieri in Ecclesijs, quæ re ipsa liquidò constãt, vt inquit Irenæus, intelligenda sint quę scripserunt. Cùm in dubium vocantur, docent quandoque Patres verba ipsa Euangelica, ex operibus Christi & Apostolorum exponenda esse: sicut Augustinus facit in illis verbis, Ego autem dico vobis non iurare omnino. Et, Si quis percusserit te in vnam maxillam, præbe illi alteram &c. Quoniam enim vnus est spiritus Dei qui loquebatur & operabatur, & opera apertiora sunt meritò, quia Paulus frequenter iurat Deum in testem vocans, intelligimus non esse prohibitum à Christo in vniuersum iurare: sed iurare absq; necessaria causa ex infirmitate aliorum orta. Et quia Christus Dominus percussus alapa à sacerdotis seruo non alteram offert maxillam: sed potiùs expostulat, Si malè locutus sum, &c. intelligimus illud quod dictum est, Præbe illi alteram, magis ad præparationem animi referendum. Vera enim charitas paratum reddit eum, qui percutitur ad sustinenda maiora etiam pro salute eius, qui percutit. In opere verò sic docet exhibere se, vt fiat quod vtilius creditur infirmis. Eadẽ ratione dicimus, quoniam idem spiritus est in traditionibus Apostolicis sine scriptura & eorũ scriptis: cùm certis testimonijs Ecclesiarum habemus Apostolos obtulisse Sacrificium altaris, orasse pro defunctis, baptizasse paruulos, & hæc facienda docuisse Ecclesias: ex his, inquam, tam manifestis operibus intelligimus, qualiter intelligenda sint verba Pauli de vnico sacrificio Christi, Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: vt scilicet sacrificium altaris non aliud sit ab illo Christi: sed eiusdem commemoratio. Et alia de retributione iudicij, prout quisque gessit in corpore siue bonum siue malum: vt non inde

Lib. 1. de sermone Domini in monte.

Ad Heb. 9.

2. Corint. 2.

suffragia viuentium defunctis non prodesse sequatur. Et illud Euangelij, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ita accipimus, vt paruulos in ipso Sacramento & fide Ecclesiæ intelligamus credere. Negant Brentius & sui duorum illorum priorum locorum sensus, quos Catholici asserimus: tertium verò sensum negant Anabaptistæ: illi confitentur. Quid ergo acturi sumus in diuersitate sententiarum, quàm vt sequentes traditionem ex illa exponamus scripturam? Sed nec illud negamus, quandoque traditiones exponi ex scripturis: vt quicquid horum apertius est, cùm ab eodem sit spiritu, meritò alterum exponat. Traditio Inuocationis Sanctorum exponetur ex verbis Pauli, Vnus est mediator Dei & hominum. Agnoscimus illos inuocari vt intercessores, eorum suffragia peti apud Deum & Christum: non verò eorum meritis & opere remitti nobis peccata, aut salutem conferri: sed intercessores tantùm esse suis orationibus. Exponunt igitur hæc duo seinuicem. Sed nullo modo hoc permittimus Brentio, vt suo sensu scripturam intelligens vel probet, vel reijciat traditiones. Illud etiam agnoscimus, prudenter & necessariò considerandum esse, postquam traditio certo testimonio probata est, vt quo consilio & in quem finem sit constituta, cogitetur. Hoc verò non ex scriptura solùm (quanquam nonnunquam id fieri possit) sed eodem testimonio, quo traditio probatur, agnoscetur: sensus Ecclesiæ & consuetudo id ostendit. Nam abrenunciatio illa Sathanæ à baptizatis, illinitio illorum Chrismate, consecratioque fontis, non vt necessaria ad veritatem Baptismi accipienda esse docet ipsa Ecclesia, quæ probat Baptismum in necessitate sine his peractum cæremonijs. Ad hunc igitur modum in cæteris omnibus sicut traditionem suscipimus Ecclesiæ testimonio: ita & sensum eius finemque & vsum ex eodem vt sumamus necesse est. Quibus in communi de traditionibus propositis, ad specialia cum Brentio descendendum est. Conatus est ille recensere aut omnes quarum meminisse potuit, aut quamplurimas traditiones, easque reijcere quantum valuit: quibus meritò respondendum

dendum est. Primam refert de abstinendo à sanguine & suffocato ex Synodo Apostolorũ: sed hæc magis inter scripta computanda est. Verùm vtcunque sit, conuenit nobis de sensu huius. Cùm enim ex scriptura quę docet legalibus cęremonijs non esse nos astrictos: tum ex opere ipsius Ecclesiæ cõstat, illa non vt necessaria ad salutem nec perpetuò obseruanda imposita esse: sed vt diximus ad concordiam Iudæorum & Gentiũ: quoadusque scilicet coalesceret inter eos amicitia: ne offensi Iudæi cibis quos consuetudine quadam abominabantur, non libenter cohabitarent Gentibus. Obseruatum est aliquanto tempore, nec eodem in omnibus Ecclesijs: sed in omnibus iam ante mille annos cessasse videmus. Secundam refert traditionem de celebratione Paschatis, de qua magna, vt diximus, fuit inter antiquos contentio. Ex hac igitur Brentius suspicatur, aut Apostolos nihil de hac re tradidisse Ecclesijs, vel si tradiderunt, non tanquam legem necessariam, sed vt liberrimam quandam obseruantiam. Putat enim contra libertatem, quam Paulus prædicat cùm inquit, Alius iudicat diem inter diem, id est, discernit vnum diem ab altero: alius iudicat omnẽ diem, id est, nullum diem discernit. Vnusquisque in suo sensu abundet, esse, si præscribatur, certum tempus necessarium celebrandi Paschatis: sed hæc nimia libertate, neque regulis scripturæ moderata dicuntur. Reijciendi igitur dies dominici, omnia festa, & ieiunia Ecclesiæ reijcienda à numero traditionum Apostolicarum contra certum fundamentum superiùs positum. Augustinus quidem affirmat anniuersariam celebrationem Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis, Aduentusque Spiritus sancti, & Ieiunium Quadragesimæ traditionem esse Apostolicam: vel à plenarijs Concilijs haberi. Sed ab Ambrosio & alijs Ieiuniũ Quadragesimæ dicitur traditio Apostolica. Et certè cùm constet hæc omnia omnes Ecclesias perpetuò tenuisse, meritò ab Apostolis tradita esse credimus. Neque his contrarium est, quòd in illis nonnulla fuerit diuersitas. Exempli gratia. Dum alij quarta decima lunę, alij die Dominico Pascha celebrabant, certè in celebrãdo aliquãdo Paschate omnes Ecclesiæ semper conuenerunt: sicut & in Ieiunio, cuius & in literis

Cap. 59. De traditione Apostolorũ, de abstinentia sanguinis etc. Et de die celebrationis Paschæ.

Rom. 14.

Epistola ad Ianuariũ 118. & sequenti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

teris Apostolicis mentio est. Has igitur meritò traditiones Apostolicas dicimus: & habemus huius rei manifestissima testimonia, quæ omnia Brentius suo sensu nobis aufert, quæ tã certa auctoritate confirmata sunt, Patrum scilicet omnium. Et verba Pauli quæ citat de discretione dierum intelligimus de ea discretione, quæ propria voluntate, non communi lege Ecclesiæ assumitur. Vbi nihil est præceptum, verissimum est, Vnusquisque in suo sensu abundet: vbi autem ab Ecclesia definitum est, tunc obedientia debetur, teste ipso Paulo, Obedi-
Ad Colloss. 2. te præpositis vestris. Aliud verò, Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi: peruersissimè ad hæc festa, & obseruantias totius Ecclesiæ refertur à Brentio, cùm apertè Paulus ad ea quæ sunt legis veteris id referat, Quę sunt, inquit, vmbra futurorum. Corpus autem Christi, & libertas Euangelica, de qua tantopere Brentius blanditur sibi & suis, non eximit non solùm ab his quæ tradita sunt ab Apostolis, sed nec ab his quæ à Concilijs & Prælatis legitima ratione constituuntur. De quibus in Confessione catholica manifestissimis Patrum testimonijs egimus. Illud etiam magis est ab omni Christiana modestia alienum, parui faciendam esse dierum designatorum ad recolenda redemptionis nostræ beneficia obseruantiam. Nihil erat in lege veteri magis commendatum, quàm vt memores essent eductionis ab Aegypto, transitus maris, itineris per desertum, ad quod erant certi dies festi deputati summa cum obseruantia celebrandi. Hæc omnia nónne vmbra erant eorum quæ nos habemus? Festum Phasę, Pentecostes, Tabernaculorum, nónne nostra figurabant? Erit ergo ingratior Christianus populus populo Iudæorum, qui tam longè maiora beneficia susceperit? Sed, inquit Brẽtius, Iudæorum sunt hæc, & ad Pædagogiam illam pertinent. Verissimum est, hæc eos celebrasse in mysterio quodam ignoto sibi & absconditò, pueritiæ erat. Cæterùm reuelata facie, & manifestè recordari summorum beneficiorum Dei populi Christiani est. Nam credere tantam esse perfectionem Christianæ fidei, vt his non egeat Christianus, est extra viam iam nos collocare, & æquales facere beatis, qui iam facie ad faciem Deum vident. Nos verò, qui per

per speculum & in ænigmate contemplamur, & obliuiscimur frequenter, & torpemus erga diuina, necesse habemus excitari festiuitatibus, alijsq; externis, quod ipsa nos docet experientia. Nónne Paulus scribit, vt coniugati ipsi ad tempus separentur à matrimonij complexu, vt orationi vacent? Ex quo, & consensu Ecclesiarum agnoscimus à disciplina Apostolica traditas nobis obseruantias, quas tota Ecclesia suscipit in eo gradu, in ea obligatione, quam interpretatur Ecclesia, & consensus Patrum. Quòd verò fuit nonnulla diuersitas, aut contradictio, aut contentio circa hæc, non probat non esse Apostolicam traditionem: sed non tam manifestam, non tam assiduè inculcatam, vt non potuerit à quibusdam minus obseruari, minus commendari memoriæ posteriorũ, vnde oriri potuit diuersitas, vel certè non eodem modo ab Apostolis traditam, quia non ad præcipua capita salutis pertinebat: sicut fuit etiam de nonnullis libris canonicis diuersitas & contradictio. Sed præualet Concilij definitio, quam non dubitamus diligenti inquisitione & testimonijs Ecclesiarũ Apostolicarum factam esse. *Cap. 60.* De his diximus in Assertione catholica, quod satis sit ad confirmandum pios. Nũc satis putamus responsum esse Brentio. *Basilij sententia de traditionibus lib. de Spiritu sancto explicatur, & defenditur à Brecriminationibus.*

Tertio loco refert Brentius Basilij sententiam de traditionibus, & impugnat magno conatu. Loquitur enim Basilius tam aperta, tanta fiducia & certitudine, vt non potuerit ille tantam lucem sustinere. Distinguit eo loco dogmata quæ in Ecclesia prædicantur ex doctrina scripta, & quæ ex Apostolorum traditione in mysterio & in occulto tradita. Et statim inquit, Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem. Hæc ibi Basilius, & multa alia quibus hoc confirmat. Vbi & rationem assignat (quare tradita sint quædam non scripta) factum scilicet esse ad cælanda mysteria atque abscondenda à curiosis & otiosis, maximeque infidelibus. Nam quæ nec intueri, inquit, fas est non initiatis, quî conueniebat horum doctrinam publicitus circunferri scriptam? Quod etiam similitudine legis veteris confirmat, in qua non omnia quæ erant in templo omnibus patebant, sed alia Leuitis omnibus, alia solis Sacerdotibus, denique quædam vni tantùm reseruata erant. Hæc est, *Lib. de Spiritu sanct. cap. 27.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit, ratio, cur citra scriptum quædam sint tradita, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgò veniret in contemptum. Et, vt Brentius inquit, traditiones recenset eo loco
1. sequentes, Signo crucis signare eos qui spem collocarunt in Christo. Quod existimo dictũ esse maximè de Catechumenis, quos constat, cùm primùm ad Ecclesiam venirent, cruce sem-
2. 3. per signatos: quòd ad Orientem versi precamur: Inuocationis verba cùm ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis: & alia etiam, quæ antè & pòst dicimus tanquam mul-
4. tum habentia momenti ad mysterium: consecratio aquæ Baptismatis: & olei Vnctionis, & ipsius etiã qui baptizandus est:
5. 6. 7. oleo inungere: ter immergere baptizatum: renuntiare Sathanæ & Angelis eius, & reliqua quæ in Baptismo fiunt: quòd in
8. prima sabbathi, hoc est, Dominica die ab erectis & stantibus fiat oratio, sicut toto tempore Resurrectionis vsque ad Pente-
9. costen per dies scilicet quinquaginta: genua flectere in oratione, & rursum erigere. Nónne has traditiones externarum cæremoniarum ex eo loco Basilij Brentius retulit? Et mirum est, in quas se vertat formas, vt Basilium reijciat. Modò, inquit, agnoscimus Basilium, & reuereamur magnum & insignem doctrina & pietate: ac dolemus, quòd necessitas nos cogat ab illius sententia in hac parte recedere. En modestiam: sed quæ rogo necessitas? Quoniam, inquit, in re seria & ad salutem pertinenti, diuina magis quàm humana sequenda est auctoritas. Magna certè necessitas, fatemur: præferenda est diuina auctoritas humanæ. Verùm Basilius non contra diuinam auctoritatem, sed ex illa potiùs credidit suam sententiam esse. Vide enim quid ait de non scriptis traditionibus postquam dixerat, quòd parem habent vim ad pietatem cum scripturis, sic loquitur, Nec his quisquam contradicit, qui vel tenuiter expertus est quæ sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam non multum habentes momenti conemur reijcere, imprudentes etiam ea damnabimus quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur: imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Vides itaque quanti momenti traditiones credit esse, sine quibus ipsam

sam prædicationem Euangelij, inquit, ad inane nomen contrahi. Recenset etiam maioris momenti traditiones, quàm eas quas Brentius attulit. Ipsa, inquit, professio fidei, qua credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ex quibus scriptis habetur? Eadem ratione, inquit, gloriam Deo offerimus per hanc vocem, Gloria Patri, & Filio cum Spiritu sancto, siue in Spiritu sancto, nihil ex nobis dicentes, sed velut ex regula Dominicæ doctrinæ, & contra eos qui hoc negant. Nunc, inquit, doceant nos, ne baptizemus quemadmodum accepimus, aut ne glorificemus quemadmodũ credidimus. Igitur ex hoc habemus nõ hic agi vt cõtra scripturã credamus homini: sed an quod Basilius inquit cõtra scripturã sit. In qua quæstione quic quid Brentius loquatur, plus apud nos valet auctoritas Basilij, quàm eius omnia: nam ex scriptura nihil habet nisi suo sensu. Et vide adhuc modestiã, Hanc, inquit, sententiam Basilij, vt honorificentiæ tanti viri parceremus, mallemus silentio obruere quàm exagitare. Et hoc nomine acerrimè in nos inuehitur, & irrisores esse dicit ignominię Patrum, peioresque ipso Cham, qui si non obtexit verenda patris, non tamen tanquam venustissimam & pulcherrimam partem laudauit. Et vide in quæ verba prorumpit hæc modestia, Illi, inquit, de his, qui hunc lo « cum Basilij proferunt, immundi porci, non solùm ipsi denu- « dant verenda Basilij, verùm etiam contendunt ea esse honestis- « simum membrum corporis. Et denique vt liberiùs ei loqui liceat non in Basilium, sed in nos se dicturum protestatur. Sed quicquid simulet, res manifesta est, non est difficile aliena reprehendere. Multò certè difficiliùs est Patrum se exhibere discipulum, pieque de illis sentire & inquirere potiùs verum illorum sensum, quàm facilè superficiem verborum reprehendere. Non nobiscum, sed cum Basilio, Damasceno in hac parte illi agendum est. Siquidem Damascenus libro primo Apologetico pro Veneratione imaginum cum summa veneratione hunc locum Basilianus. Sic inquit eximius ille Basilius xxvij. è triginta capitulis quæ sunt de Spiritu sancto ad Amphilochiũ scribens de dictione, Cum, his verbis, Dogmata & prędicationes quæ hactenus in Ecclesia seruata sunt, nonnulla habemus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex doctrina scripta prodita, quædam ex traditione, &c. Et post illa ita inquit Damascenus, Hæc Basilij magni sunt verba. Et quasdam traditiones recensét ex illis quas Basilius, & nonnullas addit, confirmans demum ex auctoritate Pauli ad Thessalonicenses traditiones sine scripto sequendas. Cum his Patribus age Brenti, imò cũ omnibus alijs antiquissimis. Vide quos appelles immundos porcos qui hunc locum Basilij proferũt, & agnosce in Damascenũ etiã doctrina & sanctitate commendatum Ecclesiæ hoc te dicere. Sed iam tandem quod ad rem attinet audiamus. Profert Brentius primò Basilij verba in laudem & commendationem scripturæ, Omne verbum, inquit ille, oportet confirmari testimonio scripturæ: & inde colligit Basilium hoc velle, vt traditiones omnes ad scripturam exigantur, quod nos non negamus, vt supra expositum est. Nulla traditio scripturæ repugnans recipienda est: sed sensus scripturæ, non quem Brentius, sed quem Patres afferunt agnoscimus. Quod itaque Basilius omnia esse confirmanda scriptura dicit, & ipsam esse commune pharmacopolium aduersus omnẽ indigentiam, ostendit eum optimè de scripturasentire, & admoneri debuit Brentius inde, alia quæ de traditionibus postea dicit, non esse his contraria. Semper hic fuit mos errantium, vt dum nimium in partem vnam feruntur, omnia damnant quæ illi videntur cõtraria. Pelagiani catholicis Patribus peccatum originale agnoscentibus imponebãt, quòd negarent cum Manichæis generationem hominis & nuptias à Deo esse. Sic isti nũc agũt, vt si traditiones non scriptas confiteamur, videamur scripturæ detrahere: sed catholica Ecclesia longè aliud sentit. Patres omnes, satis dictum est, traditiones agnoscunt sine scripto, & scripturam venerantur, quos nos sequentes ex scriptura confirmamus traditiones sine scripto suscipiendas, ratione certissimam probandi traditiones veras esse & Apostolicas. Ostendimus apertè esse consensum Ecclesiarum, idque ex ipsa scriptura, & nõ esse minorem auctoritatem earum quàm scripturæ certa ratio docuit, quoniam vtrumque à Spiritu sancto est per Apostolos, & vtrumque ijsdem testibus probatur Ecclesiarum scilicet consensu. Hæc certissima sunt. Iam igitur sic contra

contra Basilium Brentius agit, hoc est contra hanc eius sententiam, Traditiones illas pueriles & pædagogicas, ait, si Basilius aduertisset, quomodo ausus esset æquare cum auctoritate sacræ scripturæ, aut cũ Sacramentis Christi in scriptura traditis? Hæc est eius ratio, ex qua & ait consignari cruce, rem non necessariam, aut ad pietatẽ aliquid cõferentem magis esse quàm si circulo consignaremur: quare non credendum est ab Apostolis hoc traditum esse, qui disertis verbis, & manifesta doctrina mysterium & imitationem crucis docent, non signaculis digitorum. Quod si tradiderunt, vt pædagogicam quandam hoc est, ad instituendos paruulos, sed liberrimam docuerunt esse. His igitur nobis respondendum & verbum illud Basilij, Quædam non scripta parem vim ad pietatem habere attentè intelligendum. Primùm non inquit Basilius, omnia quæ tradita sunt sine scripto tam necessaria esse ad salutem, vt quæ scripta sunt. Namque in his scriptis vel non scriptis gradus quidam sunt: nec omnia æqualiter aut necessaria aut vtilia haberi oportet. Scriptum est non esse mentiendum: non tamen est æquale quod ad necessitatem attinet cum præcepto, Non occides. Scriptum est in ieiunijs, vigilijs cæterisque afflictionibus corporis seruiendum esse Deo: & tamen de his etiam vera est illa sententia Pauli, Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia. Fateamur igitur gradus esse in his quæ scripta sunt similiter & in non scriptis. Quædam vt necessaria ad salutem, alia vt minus necessaria agnoscimus, & in hac diuersitate tam certa fide credenda sunt parua vt magna, tanta reuerentia discenda & docenda. Hoc Basilius inquit, Parem vim ad pietatem habent: non, inquit, minus credenda sunt, non minori suscipienda reuerentia. Nonne verissimum est omnia verba scripturæ parem vim habere ad pietatem, pari reuerentia credenda esse & honoranda? Iota vnum aut apex non prẽteribit ex lege: sed tamen sunt inter ea maxima: sunt minima: omnia suo loco habenda. Diliges dominum Deum tuum, inquit Christus, est maximum mandatum. De alijs autem inquit, Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur, &c. Vnde & in Euãgelio loquitur Christus Pharisæis, Matth. 23

Universidad de Deusto
Biblioteca

sæis, Decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hęc oportuit facere, & illa non omittere. Sunt igitur in scriptura quædam, quæ facta non multum adiuuant: omissa, maximè contempta, & non credita damnant. Facienda sunt etiam minima: sed non omittenda maiora. Eodem modo in traditionibus dicimus. Absit vt Basilius aliter senserit, quod Brentius siniſtrè certè accipiens eius verba intelligit. Vt ergo exemplo eius vtamur, hoc quod agit non est patris verenda irridere aut detegere: sed non verenda reprehendere & deturpare. Non scripta sed tradita ab Apostolis parem habere vim ad pietatem cum scriptis intelligimus, pari ratione credenda esse & suscipienda: obseruanda verò pro suo gradu.

Cap. 61. De traditione cõsignationis crucis Patrũ fides contra Brent. defenditur. Lib. 2. de pec. meritis & remißione cap. 26. Lib. 4. cap. 13 de orthodo. fide.

Crucis igitur consignatio qua primò in Ecclesia Catechumeni cùm ad discendam & audiendam fidem admittebantur, consignabantur, & secundum quendãm modum, vt Augustinus inquit, per eam, & orationem, atque impositionem manus sanctificabantur: certa fide credenda est, Ab Apostolis tradita, idque omnium Ecclesiarum consensu habenda est vt Christiana cæremonia, non temerè, non incertis aut obscuris auctoritatibus: sed ab ipsis Apostolis inuecta in Ecclesiam ad excitandam in nobis passionis Christi memoriam. Fide tenendum est, signum crucis honorandum & venerandum à nobis, quod signum Filij hominis dicitur in Euangelio: atque ideo siue digitis crux formata in aëre, siue quacunque alia materia expressa adoranda, vt Damascenus inquit, est, nõ ob materiã, sed ob Christum, cuius signum specialiter dicitur: quia per eam triumphauit ille. Hoc Apostoli voluerunt animis venientium ad Christum primò omnium infigi: & ideo eorum fuit traditio, vt Catechumenis primò omnium traderetur & commendaretur cum impositione manus, & orationibus Ecclesiæ, vt Augustinus ait. Atque ideo hoc etiam fide certa tenendum est ex traditione, orationes Ecclesiæ quæ in consignatione fiunt, siue Catechumeni siue cuiuscunq; alterius efficaces esse apud Deum ex persona Ecclesiæ, & verba ipsa, & opus consignandi Deo probari. Et denique ex Passionis Christi virtute de-

fendere ab incursibus Dæmonum, protegere in bonis operandis, & roborare atque confirmare animum ad vitanda omnia mala, & agenda omnia bona credit pietas Christiana: quæ omnia ex hac traditione deriuata sunt. Inter hæc etiam & admonitionem quandam in crucis consignatione agnoscimus, qua ad memoriã Passionis Christi excitamur, ad cogitandam redemptionem nostram, remissionem peccatorum, victoriam de Sathana, adoptionem filiorum Dei, & cælestis hæreditatis promissionem. Quæ omnia in cruce habemus, & in cruce signamur, ad ea cogitanda admonemur. Quod cùm facimus, magnum fructum consequimur: cùm verò vel omittimus, vel negligentiùs perficimus, nõ propterea omni fructu priuamur: sed Catechumeni consecrati & dicati Deo manet, & quasi regio charactere indelebili quidẽ hostibus formidabiles affecti in protectionem suscepit diuinam. Omnes verò alij post hoc, vel post Baptismum se consignantes, atque iliud iteratò & frequenter repetentes, si non suis meritis vel operibus, saltem Ecclesiæ oratione quæ solet coniuncta esse (nec enim sine verbis sacris consignamur) & virtute ipsius Passionis Christi diuinæ protectionis non dubitant se gratiam consequi, quæ nulli non vtilis est, etsi nõ in omnibus æqualis. Alij enim plus, alij minus proteguntur virtute crucis. Hoc igitur Basilius, hoc Augustinus de consignatione Catechumenorum dixerunt, non suum sensum sed Ecclesiæ referentes. De alijs verò consignationibus Tertullianus libro de corona militis hoc ipsum dogma de traditionibus non scriptis suscipiendis confirmans multis exemplis, sic inquit, Ad omnem progressum, ad omnẽ aditum & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque exercet nos conuersatio frontem crucis signaculo terimus. Vide quàm apertè consuetudinem hanc antiquissimam ostendit. Et quia vltimò hoc inter traditiones posuerat, statim sic ait, Harum & aliarum huiusmodi disciplinarum si legem expostulas scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Vide itaque hæc tria, traditionem, consuetudinem & fidem à Tertulliano coniungi. Primò

Universidad de Deusto
Biblioteca

mò vult traditiones ſuſcipi ex conſuetudine, & credi: poſtea docet rationem eſſe inquirendam, vt in cæteris rebus fidei, ſic enim ſtatim inquit, Rationem traditioni, cõſuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit diſces. Interim nonnullam eſſe credes, cui debeatur obſequiũ. Quod vtinam Brentius & ſui cõſideraſſent. Obſequium debemus traditioni, obſequium, inquam, de quo Paulus inquit, Captiuantes intellectum in obſequium fidei. Quod tùm maximè fit, cùm veneramur ea quorum ratio etiam nos latet. Sed crucis conſignationem frequentiſſimam conſuetam eſſe in Eccleſia perpetuò vel altero teſte confirmemus, vt in ore duorum vel triũ ſtet omne verbum. Hieronymus in illa verba Ezech. Signa Thau ſuper frõtes, &c. ita ait, Thau litera crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus impingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignat. Nullus eſt antiquorum qui cùm occurrit de hoc non manifeſtè, tãquam de re certiſſima loquatur. Quòd igitur Brentius inquit, ſuperſtitionem & magiam confirmari ex frequenti conſignatione crucis, & diaboliceæ fraudi tribuere, quòd de Iuliano legitur fit gatos ab eo, alioqui impio, Dæmones ſigno crucis, quod Brẽtius agit omnino impium eſt, & totius Eccleſiæ ſenſui repugnãs. Non putamus hoc eſſe tam neceſſarium vt Baptiſmum, vt fidem & cætera interne pietatis opera: ſed certa fide dicimus, cæremoniam eſſe cultumque externum pietatis Chriſtianæ. Quod in catechiſmo omittere ex propoſito, vel vbi ex Eccleſiæ ordinatione fieri debet, ſacrilegium & tranſgreſſionem Apoſtolicæ traditionis aſſerimus. In alijs verò vbi conſueuit fieri, ſi quidem ex obliuione aut leui quadã negligentia omittatur, non grauius aſſerimus peccatum: ſed interim admonemus omnes, vt tantæ tamque antiquæ traditionis non obliuiſcantur. Contra hæc credere aut docere, recedere eſt ab Eccleſia vera & antiqua, ab omnium Patrum conſenſu, quod adeò manifeſtum eſt antiqua legentibus, vt ſuperfluum ſit plura addere. Illud vltimò de hac & cæteris traditionibus quas Baſilius recenſuit eſt addendum, quò criminationibus Brẽtij ſatis fiat. Quod cùm manifeſtiſſimis teſtimonijs Patrum Baſilij ſcilicet, Tertul-

Cap. 9.

Tertulliani, Damaſceni, & denique reliquorum omnium quos de his loqui contigit, & conſuetudine omnium Eccleſiarum conſtet, externas illas cæremonias etiam minimas, & non magni momenti, quod attinet ad externam ipſam ſpeciem, ſtantes orare, quandoque genua flectere, ad Orientem ſe conuertere, ab Apoſtolis traditas Eccleſijs maximè inde admonemur, & inſtruimur. Primò ad ſuſcipienda magna cum reuerentia, & multi facienda quæcunque in cultu Dei tota obſeruat Eccleſia, etiam ſi minima videantur, quę non dubitamus ex ſpeciali Dei cura & magiſterio Spiritus ſancti ab Apoſtolis commendata fuiſſe Eccleſijs. Deinde etiam admonemur nihil temerè & facilè in cultu Dei admittendum eſſe, quandoquidem etiam minima quæque ab Apoſtolis tradita ſunt. Quicquid ſanè cum hac diſciplina Apoſtolica non conſentit, meritò reijciendum eſt. Denique vltimò etiam admonemur, quòd qui homines ſumus natura ſociales, & ſecundum fidem Chriſtianam magis conſociari debemus, oportere nos non tantùm interiora curare ſed externa etiam, præcipuè in Eccleſia: vt ſicut Paulus inquit, Omnia ſecundum ordinem & honeſtè fiant in ea. Et propterea Apoſtolos hoc curaſſe, vt Paulus ipſe de modo adminiſtrationis Euchariſtiæ dixit, Cætera cùm venero ipſe diſponã. Ex quo Auguſtinus collegit, vt ſuprà diximus, ab Apoſtolo traditum Eccleſijs, quod in celebratione huius Sacramenti ſeruatur ab omnibus. Et ſicut non dubitamus plurimùm valere Sacramentorum vim, quanquam ſint externa, & vt Auguſtinus inquit, contempta ſacrilegos faciunt, ſic etiam & obſeruantiarum harum quas ab Apoſtolis accepimus circa Sacramenta, vim non dubitamus non minimam eſſe, vt dictum eſt: & eadem ratione ea contemnere grauiſſimum ſacrilegium eſſe. Hæc igitur de minoribus his cæremonijs, quas ex traditione Apoſtolica Baſilius recenſet. Sunt quidem traditiones aliæ maiores, de quibus poſtea. Propter quas Baſilius eodẽ loco dixit, Quòd ſi traditiones omnes reiecerimus, etiam illa dãnabimus quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt in Euangelio, & ad inane nomen contrahemus Euangelicam prędicationem. Hęc dicta ſunt propter grauiorũ rerum traditiones, ſcilicet Sacramento-

1. Cor. 14.

Eiuſdem. 11.

Cap. 62. De maioribus et minoribus aliis traditionibus iuxta Baſilij ſententiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mẽtorum multorum,vt Confirmationis, & Ordinis,& Pœnitentiæ atque Confessionis peccatorũ.Hæc si reijciantur, nónne reijcitur quod necessarium est ad salutem?Similiter traditio ipsa sacrorum librorum,&,vt inquit Basilius,professionis qua in Baptismo Patrẽ,& Filium,& Spiritum sanctum profitemur ad ipsam substantiam religionis pertinet : cùm tamen non ita hanc trinitatis professionem necessariò in Baptismo exigendam tam apertum sit in scriptura,vt si non adesset traditio certissima,in dubium vocari non posset.Hæc sunt grauiorum rerum traditiones,de quibus postea: nunc interim cæteras,quas recensuit Basilius,fatemur minores esse,& quidem non ita necessarias,vt vel ex ratione aliqua mutari non possint, vel præter contemptum omissa damnent,reumque faciant grauis peccati.Sic respondemus Brentio,Ad Orientem conuerti non est tam necessarium , quàm in spiritu & veritate adorare : sed reprehendere hoc, & ad veteris Testamenti obseruantias referre,est impium. Ter mergere in Baptismate non est ad substantiam eius necessarium,mutari etiam potest ob aliquam necessitatem, vt in decreto Concilij Toletani habetur: sed propria auctoritate mutare consuetudinem cuiusque Ecclesiæ illicitũ dicimus.Quod verò contra hoc dicitur,Apostolos in die Pentecostes non potuisse ter vngere , cùm tantam multitudinem baptizarent,ridiculum est,nec eo die credimus eos benedixisse aquam,aut alias adhibuisse cæremonias, de quibus Dionysius & antiquissimi Patres mentionem faciunt: sed hæc omnia humano more paulatim commendata sunt Ecclesijs.

Cap.63. De traditione voti cœlibatus de qua Epiphanius. Cõtra hæres. 61. Apostolicorum.

Meminit & Brentius tertio loco Epiphanij,& refert quod ille inter alia quæ de traditionibus Apostolicis loquitur , Tradiderunt,inquit,sancti Dei Apostoli peccatum esse post decretã virginitatem ad nuptias conuerti. Quod confirmat etiam verbo illo Pauli , Postquam luxuriatæ fuerunt in Christo volunt nubere.Hoc igitur Brentius impugnat:primò quia verbũ illud Pauli non putat dictum esse propter votum virginitatis, aut cœlibatus:quasi illud irritum fecerit:sed accipiendum potiùs ideo esse dictum , quia saginatæ Ecclesiarum facultatibus à Christianissimo omnino ad gentilitatem deficiebant nec si nu

berent

berẽt inter Christianos,inferiori loco haberẽtur: itaq; primam fidem irritam facere , de Christiana fide , quam susceperant, intelligit. Non est nunc latiùs de his disputandum cõtra Brentium , nos priorem sensum magis conuenire literæ credimus fidem viduitatis , & cœlibatus , quam dederant cùm susciperentur alendæ in Ecclesia,dicit eas Paulus irritam fecisse . Sed quod deinde dicit contra virginitatis votum , quòd scilicet sit nouus laqueus conscientiæ contra libertatem Euangelicam, imò,inquit,contra obedientiam legis naturalis , vnde meritò, propter hoc votum prohiberi coniugiũ , non aliud esse,quàm præterire mandatum Dei , propter traditionem humanam, quod,inquit,non fuit Apostolorum officium:nihil horum illi fecerunt , non opus habet in hoc loco longa tractatione: his omnibus non est opus aliter respondere, quàm vt librum Augustini legat de sancta virginitate, & de bono matrimonij : & Hieronymum aduersus Iouinianum.Certè si hunc iniquiorem dicit in matrimonium , Aug.recipiat modestissimè loquẽtem, vtriusque tamen Catholica & manifesta ex scripturis sententia est,cœlibatum gratissimum esse Deo,ciusque gratia seruari,ideoque Deo illud promittere non minus est acceptum obsequium, & cultus Christianus , quod implendum esse docet, Vouete,& reddite domino Deo vestro,&c.Hoc apertè Paulus docet,Bonum est homini mulierem non tangere . Hoc etiam Christus tam apertè vt meritò irridendus sit conatus Brentij, & omnium suorum.Post tam manifestas scripturæ auctoritates & definitiones Ecclesiæ,sufficiat Gangrense Concilium citasse,vbi inter cætera,Nos,inquiunt, virginitatem cum humilitate admiramur,& continentiam,quæ cum castitate , & religione suscipitur: approbamus & nuptiarum castum vinculum honoramus.Deniq; quod tertio loco adfert Brẽt.quo probet, non esse matrimonium rescindendum quod post votum hoc contrahitur ex Epiphanio ipso,&ex Concilio Ancyritano,Cy priano quoque & Augustino,non est,quod nos teneat,qui primò agnoscimus matrimonium post votum, quod simplex vocamus,contractum validum esse: post professionem verò Religionis,aut sacri Ordinis susceptionem , in quibus solenne vo- *Cap.8.*

 tum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum castitatis & fieri & acceptari ab Ecclesia ipsa definit, nullum esse matrimonium iustissima ratione agnoscimus: idque ex lege certissima Ecclesiæ, quę potest iusta causa ineptos reddere aliquos ad matrimonium contrahendum. Nulla sunt matrimonia inter consanguineos etiam eos quos diuina iura contrahere permittunt: sic Ecclesia declarauit matrimonia ab eis qui castitatem solenniter, & explicauimus, professi sunt, contracta nulla esse. Hoc nouerunt antequam voueant, nō coguntur ad promittendum aliqui: cùm verò sponte promittunt certi legis Ecclesiæ, nulla eis iniuria fit si obseruare cogātur. Quid vult Brentius, sacrilegia monachorum, & sacerdotum sancta probare? Nam & quod hanc legem Ecclesiæ conatur reprehendere, quasi laqueum inijcientem conscientijs, & contra sententias illas Cypriani, & Aug. quibus asserunt melius esse post votum nubere, quàm libidini se dedere, vt omittamus diligentiorem huius rei tractatū in proprium locum, facilè reijcitur. Non negamus antiquiori tempore fortè non fuisse rescissa matrimonia: sed mutari potuit hæc lex ab Ecclesia multis & necessarijs rationibus, vt iam videmus mutata, cui mutationi nō dubitamus Cyprianum, & Augustinum cessuros, etiam si quid fortè aliter eis videretur, & expectaturos Ecclesiæ iudicium, si id retractandum videretur. Expectet igitur Brentius, non facilè definiat rem, in qua in vtramque partem non desunt & rationes & pericula: sed de hoc satis etiam in assertione Catholica diximus. Refert ex eodem traditiones alias, quas visus est sibi facilè posse reijcere, quòd quarta & pro sabbatho ieiunandum sit, & sex diebus Paschatis nihil omnino accipiendum quàm panem, & salem, & aquam. Sed Brentius sic contra hoc inquit, nec probari posse Apostolos hoc tradidisse, & Aug. illud de quartæ & pro sabbathi ieiunio negare. De his fatemur Apostolos fortè hoc seruasse, & in principio Ecclesiæ in nonnullis locis fortè seruatum. Sed illud est certum tempore Aug. diuersas fuisse consuetudines. Hoc igitur inter traditiones dubias computamus, & quæ pro tempore in Ecclesia mutantur. Vide Aug. ad Ianuarium, & ad Casulanum. Minutiora verò alia quæ refert de annis Lazari, & de genere Heliæ, & aliorū quorundam

Contra hær. Arij. 75.

Epist. 89. Cōtra hæres. Manichæi

rundam maiorum traditiones dicit Epiphanius non Apostolorum. Refert etiam ex Cypriano, quod dixerit aquā miscendam esse vino in calice ex præcepto Christi & Apostolorum, & contra illum ait, primò Cyprianum nimium esse in suis asserendis opinionibus: nec credēdum esse Christum hoc præcepisse, etsi fortè in cœna vinum aqua mistum pro patriæ more, & sumpserit, & dederit suis. Sed nos hoc omnium Ecclesiarum consensū recipimus, & quia agitur de probatione facti huius, an scilicet Christus & Apostoli hoc tradiderint multum deferimus antiquitati Cypriani, & Ecclesiarum sui tēporis, non ausus fuisset ille tam certò hoc affirmare, nisi Ecclesiarum consensu. Nec moratur nos etiam si fuerit diuersitas aliqua. Iam hoc in Ecclesia certò cōstitutū est, sit ab Apostolis, sit à plenarijs Concilijs non admodum curamus: hoc certum ex hac auctoritate Ecclesiarum habemus, sacrilegium esse, hoc omittere. Nam quod B. contra rationem Cypriani adfert adeò ridiculum est, vt id etiā agnouerit ipsemet. Cyprianus inquit, Si solum vinum offeratur, sanguis Christi incipit esse sine plebe, si sola aqua plebs sine Christo. Contra quod vide quid ait, Nunc tam fragili vinculo alligauit sibi Christus Ecclesiā, vt si minister solo vino vtatur, statim Christus sit sine Ecclesia: & cōcludit de his verbis Cypriāni nihil aliud iudicari posse, quàm quòd incogitanti exciderint. Ego verò magis dixerim, quòd garrulanti exciderint hæc omnia Brentio: atque vtinam non sint blasphemię in sanctos, voluit etiam verum sensum Cypriani referre, quem ille manifestissimè præ se fert, significat enim, non separari Christum ab Ecclesia re, quia vinum sine aqua offertur: sed significatione tantùm: hoc est, non significatur coniunctio Christi & Ecclesiæ ad quod hoc institutum est. Et quia in Sacramentis significatio necessaria est, magnopere curari id debet, vt sicut in Ecclesia recepta est, circa Sacramenta compleatur. Verè vidit Brentius sensum horum verborum, & ne non intellexisse diceretur, apposuit. Cur ergo vel priora illa tā indigna Cypriano non abstulit? Aut quid aliud est hæc tāta libido reprehendēdi, quàm meritò contemptibilē se reddere?

Non omisit vltimum contra Augustinum dicere, quoniam ille

Contra hæres. 55. Cap. 64. De traditione miscendi aquam vino in calice iuxta Cyprianū. Ad Cæciliū de Sacramento Dominici calicis lib. 2. epist. 3.

Epist. 118. Cap. 65. De traditione celebrationis Paschæ iuxta Augustī.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ille annuam celebrationem resurrectionis Dominicæ, Ascensionis, Aduentus Spiritus sancti Apostolicam dicit traditionẽ. Asserit enim hoc esse contra Paulum, Nemo nos iudicet in parte diei festi. Et contra id, quod dictum est in Historia Eccle siastica, Apostolis non fuisse curam festos dies constituendi. Sed his respondimus in principio: plures quidem dies festos instituere credimus nõ fuisse curæ Apostolorum: sed hos præcipuos testimonio omnium Ecclesiarum & temporum, meritò ab eis probamus traditos. Paulum verò non obseruantiam dierum ab Apostolis institutorum, sed Iudaicorum ostendimus reprehendere. Frustrà itaque hæc omnia dicuntur à Brentio.

Cap. 66. Brentiũ sibi cõtradicere in negandis traditionibus, et eò eas maximè confirmare.

Audiamus iam perorationem huius loci: sic igitur inquit, Cùm hæc ita se habeant de traditionibus, manifestum est, quòd cùm asseritur veritatẽ Euangelij non tantùm in scriptura, sed in traditionibus sine scripto contineri, sacram scripturam per eas interpretandam esse, quod certissimum fundamentum fidei. Sathan meditatur abolitionem vel saltem extremum cõtemptum scripturæ sacræ & Ecclesiæ internecionem: Cogitat enim, inquit, Ecclesiam abducere à certissimis ad incertissima: à cœlestibus ad elementa huius mundi: à diuinis ad humana: Denique ab oraculis Spiritus sancti ad somnia & deliria profanæ carnis. Quod deinde precatur, ne Deus permittat Ecclesiæ suæ venire, hoc est dignum tali patella operculum. Sic oportebat à Brentio claudi locum in quo de tota causa sibi ita contradicit, vt quòd à veritatẽ coactus fuerit concedere instituta scilicet ab Apostolis nonnulla, quę nõ sunt scripta, & suscipiẽdas traditiones quæ sufficienti testimonio probantur, eam præcipuè quæ de libris canonicis est: eadem negauerit apertè docens & in hoc & in præcedenti loco, de scriptura traditiones quas Paulus commendat solas esse, quæ testimonio scripturæ confirmatæ sunt, & nihil ad salutem pertinens extra scripturam esse. Cùm igitur nunc ait in sua peroratione, Cùm hæc de traditionibus ita se habeant: ad quæ rogo ista referemus? Ad ea quę dicis negari nõ posse, instituta aliqua ab Apostolis quæ non sunt scripta, Scripturæ sacræ traditionẽ suscipiendam sine vllo testimonio scripturæ? An ad contraria potiùs

potiùs, vbi nullam traditionem, nisi testimonio scripturæ confirmatam, vis suscipi: quò fit, vt libros omnes canonicos incertos reddas: & asseras nihil institutum ab Apostolis, quod non sit scriptum? Vide tuam apertam contradictionem. Instituerũt aliquid Apostoli quod non scripserunt, ad salutem veram illud pertinere non est dubitandum, nec enim aliud agebant. Et omnem doctrinam ad salutem necessariã scriptam ab Apostolis, quod postea capite de scriptura dicit, quæ igitur dicemus ita esse? dicamus potiùs, quæ cùm ita non sint, quæ cùm sibi contradicant, ea scilicet, quæ Brentius de traditionibus dicit, nihil illi credendum est. Sed scio ad proxima hæc, quæ dixerat, esse referenda. quæ cùm ita sint, inquit, cùm ea scilicet, quę Basilius de traditionibus dicit libro de Spiritu sancto, non sint credenda: sed credendum magis illum ea reuocaturum, si seriò admonitus fuisset. Similiter quæ Epiphanius refert de traditione voti, virginitatis seruandi aliena esse ab Apostolica doctrina, quę de ieiunio quartæ, & pro sabbathi incerta, quæ ab alijs negantur: & quæ Cyprianus dixit de necessitate miscendæ aquæ vino in calice, & ratione eius incogitanti excidisse, & ex vehementiori affectu sua asserendi. Denique quod Augustinus de anniuersaria celebritate festiuitatũ quarundam contraria Paulo. Cùm hæc ita sint, inquit, B. Quod Basilius, Epiphanius, Cyprianus & Aug. errauerint alius incogitanter, alius non seriò admonitus loquuti fuerint, meritò inde inferet, quicquid volet: hoc est incertissima esse, & deliria, atque somnia, & ad elementa mundi huius pertinentia quæcunque de traditionibus dicuntur: & per ora horum patrum meditari Sathanam vltimum excidiũ scripturæ & Ecclesiæ. Quid enim aliud poterat sequi ex tantorum patrum tanto contemptu? meritò itaque nos contrariũ dicemus, cùm omnia à B. dicta in hos patres immodestè & superbè dicta sint: cùm in eis sensum suum & non scripturæ, sed quem ille vult, sensui tantorum Patrum B. præferat, cùm intolerabilis blasphemia sit, per verba illorũ Patrum, quos Deus Ecclesiæ suæ & miraculis, & doctrina atque sanctitate commendauit, Sathanam meditatum fuisse destructionem scripturæ & Ecclesiæ: cùm denique falsa sunt contra verum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum scripturæ sensum nimio & inconsiderato contradicendi affectu dicta, meritò sequitur traditiones Apostolorũ nõ scriptas certissimè recipiendas esse, ab eodem fonte illustrationis scilicet Spiritus sancti, & prædicatione Apostolica, à quo scriptura, profectas, sine quibus nec scripturę auctoritatem habẽt, nec explicari possunt: & quod Brentius inquit traditiones has incertissimas esse, deliria & somnia, verissimum esse Sathanæ commentum & conatum ad destruendam, euertendamque Ecclesiæ & scripturæ auctoritatem. Claudamus igitur hunc de traditionibus locum auctoritate sanctorum Patrum, atque cõsensu omniũ, qui Ecclesias docuerũt ab Apostolis, vt videat Brentius, quos vocat traditores, & per quos dicit Diabolum meditari ruinam Ecclesiæ & scripturæ: videat inquam & confundatur, videant etiam omnes qui verè salutem suam quærũt an Brentio & suis se committere possunt. Attingamus igitur non integrè, & à principio omnes repetentes Patrum sententias, de quibus & in hoc loco, & in Assertione catholica loquuti sumus: sed tantùm eas, & nonnullas alias vel primis labris degustantes ostendamus grauissimorum Patrum cõsensum, vt tantæ auctoritati cedat omnis proteruia: & in primis ab ipsis Apostolorum discipulis incipiamus. Ignatius Ioannis discipulus & Antiochenus episcopus, martyrque probatissimus apud Eusebium docet, omnes Asiæ populos, vt tenaciùs & diligentiùs Apostolicis traditionibus inhærent, quò hæreses deuitari possint, has asserit scriptas se reliquisse.

Polycarpus Ioãnis auditor Smyrnensis episcopus, martyrq; sanctissimus apud Irenæum Romam veniens hæreticos in Ecclesiam conuertit, traditionem Apostolorum prædicans, & quod ab eis ipse susceperat Ecclesiæ tradens. Dionysius Areopagita, & ipse Pauli Apostoli discipulus, & Parisijs gloriosus martyr, substantiam sacerdotij Christiani eloquia diuinitùs tradita esse dicit. Hæc verò inquit illa sunt quæ in sanctis Theologicis libris commendantur ab Apostolis, similiter & quæ sine literis transfusa sunt ex animo in animum verbo corporali intercurrente. Hos proximè sequuntur eorum discipuli, & qui ab his edocti sunt: quasi filij & nepotes. Irenæus tradi-

Cap. 67. Auctoritates Patrũ certissimæ de traditionibus Apostolicis.

Ignatius.

Eccles. Hist. lib. 3. cap. 26.

Polycar. lib. 3. cap. 3.

Dionysius lib. de eccle. hierar. cap. 1.

Irenæus vbi supra.

traditionem Apostolorum obseruandã esse omnibus, & eam testimonio Ecclesiarum ab Apostolis fundatarum docet probari. Clemens ille Alexandrinus apud Eusebium in primo libro Stromaton, quæ tradita sibi fuerant à doctoribus sanctis, & beatis viris Pantæno præcipuè scripsisse se refert: & de hoc Pantæno & reliquis præceptoribus suis ita inquit, illi quidem diuinæ doctrinæ veritatem mihi, quæ sibi ab ipsis statim primis auctoribus Petro, Iacobo ac Ioanne, & Paulo sanctis Apostolis tradita fuerat, tanquam patres filio cõmendarunt. Apud eundem Eusebium confitetur hic Clemens extorqueri sibi à fratribus, vt ea quæ à presbyteris, id est, successoribus Apostolorum voce sibi sola tradita sunt describeret in libris ac posteris traderet. Egesippus, & ipse temporibus Apostolorum vicinus & probatus in Ecclesia ac celeberrimus, vt Eusebius inquit, doctor, teste eodem Eusebio integerrimam traditionem Apostolicæ prædicationis simplici sermone conscriptam in quinque libris memoriæ tradidit: & eodem testante, Ecclesiastici doctores aduersus Menandrum, Basilidem & alios hæreticos pro Apostolica & Ecclesiastica traditione scriptis certant. Hæc igitur de prima Ecclesiæ ætate: sequenti tempore non potuit tam necessaria doctrina deleri. Origenes in diuersitate sententiarum seruandam, inquit, esse ecclesiasticam prædicationem per successionis ordinem ab Apostolis traditam, & solam illam veritatem esse credendam, quæ in nullo ab ecclesiastica discordat traditione. Tertullianus hinc dirigit præscriptionem aduersus hæreticos, quid Christus docuit Apostolos: quid illi prædicarunt probandum esse per illas Ecclesias, quas Apostoli condiderunt: & omnem doctrinam quæ cum eis non concordat de mendacio præiudicandam esse docet: neque cũ hæreticis de scripturis disputandum.

Epiphanius aduersus hæreses frequentissimè ad traditiones cõfugit: oportet, inquit, traditione vti: non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt: aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt: de hoc exponit verba Pauli sicut tradidi vobis. Traditione confirmat orationes pro defunctis, necessariò inquiens hoc perficit Ecclesia traditione

Clemẽs Alex. lib. 5. eccles. Hist. cap. 11.

Lib. 6. ca. 11.

Egesippus Eccles. Hist. lib. 4. cap. 8.

Orig. in prol. Periarchon.

Tertul. lib. de præscrip. hæret.

Epipha. contra hæres. 61.

Contra Ariũ 75. hæres.

Universidad de Deusto
Biblioteca

à Patribus accepta. Quis autem poterit ſtatutum matris diſſoluere? Baſilius parem vim habere ad pietatem, quæ non ſcripto tradita ſunt ab Apoſtolis cum his quæ ſcripta ſunt: & qui ea negauerit, ad inane nomen Euangelij prædicationem deducere, negareque quæ neceſſaria ad ſalutem aſſerit, vt ſuprà vidimus. Chryſoſtomus manifeſtè verba Pauli: Tenete traditiones quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam exponens, hinc inquit patet, quòd multa ſine literis tradiderunt, eadem verò fide digna ſunt, tam illa quàm iſta: itaque traditionem quoque Eccleſiæ fide dignã putamus. Traditio eſt, nihil quæras amplius. Auguſtinus ea quæ per totum orbem ſeruat Eccleſia, ab Apoſtolis vel plenarijs Cõcilijs tradita eſſe non dubitat, & de his ſicut de ſcriptis non dubitandum eſſe: ſed inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe de his diſputare manifeſtiſſimè docet. Theophylactus in eundem locum Pauli ad Theſſalonicenſes Chryſoſtomo conſentiens manifeſtiùs etiam Paulũ ſine ſcriptis ſermone tantùm, & viua voce pleraque tradidiſſe affirmat: & inquit non ſecus illa, atque hæc fide ſunt digna.

Baſilius lib. de Spiritu ſancto.

Chryſ. Hom. 4. in 2. ad Theſſal.

Aug. epiſt. 108.

Cap. 1. & 5.

Theoph. 2. Theſſal. 2.

Damaſcenus, & Baſilij verba, ex libro de Spiritu ſancto veneratur, & pro defunctis orandum traditionem Apoſtolicam eſſe dicit: Apoſtolos in tradendis Sacramentis memoriam feciſſe defunctorum, & à tempore hoc Eccleſiam ſine contradictione ſeruaſſe. Denique & adorationem imaginum traditione Apoſtolica confirmans Pauli verbis, Tenete traditiones, &c. Plurima, inquit, Apoſtolos ſine ſcripto tradidiſſe: eſt inquit hæc traditio non ſcripta. De adoratione crucis, ſicut de adoratione ad orientem. His Vincentius ille Lirinenſis presbyter meritò eſt nobis adiungẽdus in tractatu illo aduerſus profanas hæreſeon nouitates: vbi vt diximus oſtenditur, quantæ & pietatis, & eruditionis ille fuerit: quanquam enim non abſolutus ſit hic liber, dignus tamen eſt, quem omnes legant, & quo tanquam antidoto vtantur aduerſus hæreſes, ibi inquit duplici modo munire debere fidem ſuam illum, qui decipi nõ vult. Primò diuinæ legis auctoritate, tum deinde Eccleſiæ catholicæ traditione, vbi mox ſibi ipſi opponens cùm canon ſcripturarum ſit perfectus, & ad omnia ſatis, ſuperque ſufficiat, quid

Damaſ. lib. 1. de veneratione imaginum. Sermo. de defunctis.

Lib. 4. de orth. fide cap. 17. & 13.

quid opus eſt vt adiungatur illi Eccleſiæ intelligentiæ auctoritas, & reſpondet quia ſacram Scripturam nõ omnes eodem ſenſu accipiunt: ſed alius aliter. Vide apertè quod ſuperiùs de traditione diximus, quæ non ſolùm neceſſaria eſt propter non ſcripta: ſed etiam propter ea, quæ ſcripta ſunt. De his veriſſimè dicam, quę cùm ita ſint. Cùm Ignatius, Dionyſius, Policarpus, Apoſtolorum diſcipuli, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Pantænus, Egeſippus, qui primos illos, vel eorum diſcipulos habuerunt magiſtros: Origenes, Tertullianus, Epiphanius, Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, maxima Eccleſię lumina. Denique Theophylactus, Damaſcenus, & Vincentius Lirinenſis, horum fideliſſimi diſcipuli. Cùm ſedecim hi probatiſſimi patres teſtes ſint huius Eccleſiæ ſenſus, quo ſine ſcripto tradita eſſe quamplurima ab Apoſtolis, quæ ad ſalutẽ neceſſaria ſunt, & in ipſis, quæ ſcripta ſunt ex eadem traditione verum ſenſum accipiendum, cùm à nullo altero orthodoxorum patrum negetur: conſtat quòd negantes, hoc eſt, nihil recipientes niſi quod ſcriptum eſt in ſacris libris, hoſtes ſunt veræ Eccleſiæ, & per eos Sathan meditatur omnia ſchiſmata, & quęſtionum interminabilium, atque ſine diſciplina confuſionem: atque ita & ſcripturæ ipſius, verique ſenſus eius euerſionem. Hæc manifeſtiſſima ſunt: nolunt vel iudicium aliquod, vel rationem finiendi controuerſias de dogmatibus fidei, & ſenſu ſcripturæ: quod illis videtur, volunt manifeſtum eſſe, etiam ſi omnes Eccleſiæ aliter ſentiant. Quid ergo fieri poteſt cum illis, qui ſoli ſenſui ſuo ſunt addicti? illis omiſſis non agnoſcimus traditiones certiſſimas, & totius fidei noſtræ fundamenta. Et ne diutius Brentius incertas, & dubias omnes traditiones efficiat, oſtendimus illi manifeſtiſſimas, & certiſſimas non minoris momenti, quàm quæ ſcripta ſunt: ſed reuera eorum fundamentum, & explicatio. Prima eſt traditio librorum ſacrorum etiam conſentiente Brentio, ex qua, vt oſtenſum eſt, manifeſtè aliæ probantur etiam ſuſcipiendæ, quod ipſe non vult. Poſt hanc eſt traditio ſymboli tam ipſius Apoſtolici, quod à Patribus in Eccleſia ſemper conſtat ſuſceptum: de quo & Baſilium putamus locutum cùm dicit, profeſſionem baptiſmatis eſſe ex traditio-

Cap. 68. Recenſentur grauiſſimæ & magni momenti traditiones non paucæ.

ne, quam etiam alterius symboli Patrũ, à Nicæna & Constantinopolitana synodis maximè explicatum: & iuxta hæc symbola, circa dogmata, atque fidem, traditionem non scriptã agnoscimus: perpetuam virginitatem Mariæ, Romanæ Ecclesiæ, atque pontificis primatum, & quod ad alia mysteria attinet explicatissima & præter ambiguitatem omnem æqualitas personarum diuinarum, duę naturæ, duæque operationes, & voluntates in vna persona Christi, ex traditione Apostolorum habita semper sunt in Ecclesia, & ex ea in Concilijs postea contra hæreticos definita, cùm quod ad scripturam attinet in diuersos sensus trahi posset, & ab hæreticis traheretur perperam quidem, sed interim imponebant imperitis. Hæc quidem circa dogmata exempli causa sint satis: circa cultum verò & Sacramenta agnoscimus multò plures traditiones Apostolicas. Circa Baptismum, in primis Consecrationem aquæ, Aduncționé Chrismatis, Abrenunciationem Sathanæ ex traditione habemus tam certa fide, vt eis grauissima dogmata aduersus hæreticos, Pelagianos præcipuè, Patres confirmarint. Habemus totum Sacramentum Confirmationis atque Ordinis, & Matrimonij, & Extremæ Vnctionis, eorum & elementa, & verba atque effectus ex traditione Apostolica. Non quòd negemus in scriptura esse nonnulla de ijs Sacramentis, sed omnia quæ ad integritatem eorum certa fide necessaria tenemus, cùm in scriptura non sint, necesse est Apostolicæ traditionis esse. Circa reliqua verò duo Eucharistiam, & Pœnitentiam, habemus etiam certissima traditione sacrificij altaris oblationẽ, lectionum, psalmorũ, & cãticorũ vsum, inuocationem Sanctorum, pro defunctis orationes. Et circa Pœnitentiam, peccatorum enumerationem sacerdoti faciendam, necessitatem satisfactionis ex Apostolica similiter habemus. Hæc non parua sunt, non incerta, sed talia sine quibus magna pars religionis perit, & quòd Basilius dixit. Ad inane nomen Euangelium redit. De quibus non est opus plura dicere, quàm quòd de his habemus certissima Patrum testimonia, in quibus meritò Ecclesiæ filij quiescunt.

Cap. 69. *Patrũ testimonia.*

Iam de Patribus dicendum est nobis, Quoniam frequenter Brentius calumniatur quod ad Patres mittã, ad

ad patres, inquam, veteres & iam mortuos. Et ne calumnietur nos quòd confusè & inordinatè modò ad traditiones, modò ad Patres confugiamus, primò hoc obseruandũ iuxta ea quæ superiùs dicta sunt, nos testimonijs veterum Patrum propriè vti ad probandam traditionem & consensum Ecclesiæ. Cùm enim, vt ex superioribus cõstat, fieri nõ possit, vt ex Apostolica prædicatione & doctrina non certus sensus & perspicuus dogmatum fidei fuerit relictus & inscriptus quodammodo in cordibus Ecclesiarum quas fundarunt, & maximè discipulorum quos ipsis præfecerunt Ecclesijs, & ex istorum doctrina idem fuerit cognitum & susceptum ab his quos docuerunt: & tandem hoc ordine perpetuò id permansurum stabilitas promissa à Christo Ecclesiæ ostendit: non opus erat si rectè ab omnibus ageretur Christianis, alio testimonio quàm euidentia ipsa rerum, vt agnosceremus omnes quod quicquid circa dogmata fidei nouum & inauditum post Apostolos incipit esse, necesse est alienum sit à traditione. Quia tamen exurrectura ingenia proterua nimium sibiipsis placentia nouerat Deus, & hoc etiam Ecclesiæ suæ prouidit, vt monumenta manerent & testimonia antiquæ fidei, ex quibus, cùm nouum aliquod circa fidem oriretur, probari posset etiam proteruis antiqua fides & sensus prioris Ecclesiæ, in qua sine contradictione, siue vel mentione quidem vllius nouitatis fides catholica, hoc est, ab Apostolis tradita syncerè seruabatur. Igitur duplici ratione testimonia illorũ Patrũ, quos certissimè constat in vnione Ecclesiæ absque vlla schismatis vel hæreseos nota permansisse, sunt nobis necessaria, & ad ea nobis confugiendum est. Primò propter ipsorum auctoritatem, qui quanquam homines sint & errare possint, atque decipi siue decipere: tamen quia non solùm cùm viuerent probati sunt fide dignis testimonijs, sed etiã post mortem ab omnibus sequentibus agniti sunt digni fide, & frequentissimè etiam miraculis commendati Ecclesijs, tanta vitæ suæ sanctitate, tanta doctrinæ veritate vt sequentium temporum consensu meritò auctoritatem consecuti sint tantam, vt nullus sine præsumptionis nota illis ausit contradicere, in his præcipuè in quibus non singulariter quisque suum

monia qualiter necessaria & efficacia sint ad eõ firmandam fidem.

sen-

sensum alienum ab alijs sequitur,sed consonũ & communem cum reliquis.Deinde etiam asserit: quoniam illorum testimonia ostendunt sensum Ecclesiæ,quæ est columna & firmamentum veritatis,quo fit vt sensus Ecclesiæ circa fidei dogmata nõ possit esse alienus à veritate fidei.Cùm ergo is ostenditur,non potest efficaciùs veritas fidei probari. Ecclesia verò non aliud est,quàm congregatio omniũ fidelium, cuius præcipua membra illi sunt quos Deus dedit doctores & pastores, quos reliqui sequi tenentur, vt ostensum est. Ergo necesse est eam talẽ fidem secutam fuisse antiquis temporibus, qualem sui doctores & pastores docebant. Nouerant Ecclesiæ illud Christi. Qui vos audit,me audit, Et Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis,seruate & facite,&c. Sequebatur igitur eos Ecclesia,cuius sensus certus nobis esse debet. Atque his rationibus illud etiam ostenditur, cùm Patres appellamus & ad eos confugimus, non vnum aut alterum,siue quosdam ex eis,sed omnes communiter,& eorũ consensum atque confessionem nos appellare. Non itaque cùm suas illi sententias proprias quidẽ & alijs contrarias referunt(quod in nonnullis rebus dubijs factũ esse cognoscimus) eorum testimonia tantæ auctoritatis nobis sunt,vt eis fidem confirmemus.Cùm enim contrarij sunt,constat alterius falsam esse sententiam. Et constat aliquorum Patrum sententias postea re magis discussa, à tota Ecclesia reiectas esse. Sed tunc demùm testimonia Patrum nobis maximæ sunt auctoritatis, & quidem tantæ,vt siue hæresios & schismatis nota contemni non possint,cùm certa & communia dogmata proferunt,cùm aliquã affirmant non vt suas sententias, sed vt quæ in Ecclesia præter omnem contentionem doceantur & teneantur.Quod tunc maximè ostenditur quando in expositione scripturæ aliquem sensum afferunt non dubitantes de dogmate, quamuis scriptura illa alium sensum nonnunquam habet. Sicut verbi gratia cùm Hieronymus interpretatur locum Ioëlis Prophetæ,Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus,de dubio remissionis peccatorum, fidem Lutheri, quòd remissa sint peccata, ostendit nouellam esse: vel cùm ad confirmanda dubia vel incerta

certa, alia afferunt quasi certa, Sicut Augustinus ex Cypriano notat,qui ad probandum baptizãdos pueros,neque expectãdum diem aliquem, rationem adfert ex peccato originali. Quod,inquit Aug.tam certum erat,vt neque cogitauerit quidem Cyprianus illud probare: sed ex eo tanquam certissimo alia confirmaret.Cùm itaque ostendimus omnium ætatum Patres idẽ sine vlla contradictionis suspicione vel metu,sed securitate illa qua certissima docent,asserentes, tunc sensum Ecclesiæ manifestiùs ostendimus.Et quoniam non semper omnium de qualibet re monumenta habemus, cùm duos aut tres siue plures dogma aliquod,vt diximus,consonè & vt certum asserentes adducimus, satis factum credimus, vt probetur etiam consensus Ecclesiæ duorum vel trium testimonio,cùm alij nõ contradicunt:siue quia de ea re non loquuntur,siue quia obiter aut obscuriùs.Sed & illud etiam non omittendum,quòd et si nonnulli sint quos vel Ecclesia apertè damnauit, vt Origenẽ & Tertullianum:alios quorum opera suspecta haberi volunt, vt Lactantij, Arnobij, Cassiani & similium: cùm tamen & hi consensui Ecclesiæ attestantur, & ea referunt quæ in Ecclesia catholica certa habebantur sua ætate,recipiuntur ab omnibus vt fide digna testimonia horum. Hinc est, vt nullus Origenis auctoritate non vtatur, & Tertulliani maximè cùm non suas sententias referunt priuatim, sed catholicæ Ecclesiæ sensum, cùm in ea perseuerabant.Sic scripta Tertulliani antequam deficeret ad Montanum multæ sunt vtilitatis & auctoritatis, quorum assidua lectione vsus est Cyprianus, ipsumque magistrum vocabat. Et sunt in eo magna aduersus hæreses,& quidem contra seipsum,testimonia.Vt illud Christi in eo impleatur.Ex verbis tuis condemnaberis. Et sic de cæteris,quos diximus suspectos haberi,censendum est. Quare cùm de auctoritate antiquorum Patrũ agitur, duas has classes distinguamus. Alteram scilicet probatissimorum & orthodoxorum, qui, vt Gelasius inquit,in nullo à sanctæ Ecclesiæ Romanæ consortio deuiarunt, neque ab eius fide vel prædicatione seiuncti sunt: sed vsque ad vltimum vitæ suæ diem communionis eius participes fuerunt.Inter quos idem pontifex Cyprianum, Gregorium

In Concilio 70. Episcoporũ de apocryphis scripturis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rium Nazianzenum, Basilium, Athanasium, Cyrillum, Chrysostomum, Theophilum, Alexãdrinum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, & Hieronymum, & Prosperum recenset: Orosiũ etiam, Sedulium, & Iuuẽcum. Altera verò classis sit aliorũ, quorum auctoritas non omnino certa est, nec in omnibus, nec tamen omnino ab Ecclesiæ sensu dissentiens, quæ apocrypha eodem loco à Gelasio dicuntur. Inter hos Origenes & Eusebius ipse Cæsariensis in Historia Ecclesiastica collocatur. Qui reprehenduntur in quibusdam, sed non in omnibus. Origenis (inquit Gelasius) opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat legenda, recepimus. Et de Eusebio libriſque historiarum eius inquit, Propter rerum notitiam singularem vsquequaque non dicimus renuendos: quamuis in primo libro repuerit, & in laudem Origenis schismatici vnum librum conscripserit. Iam verò illa, quæ hæreticorum sunt constat omnino reijcienda. Vbi etiam hoc obseruandũ, quòd inter hos Gelasius eo loco Tertullianum, Lactantium, Arnobium, Cassianũ, Faustũ Regiensem recenset: quamuis, vt diximus, quædam etiã in his sunt vtilia & ad antiquitatis maximè cognitionẽ pertinentia, quare à multis leguntur, & in multis cõmendantur. Sed opus est in eorũ lectione regula Apostoli vti, Omnia probata, &c. Hæc igitur quæ de auctoritate Patrũ, necessitate; & ratione ea vtẽdi diximus, tã manifesta sunt, & ex his quæ superiùs diximus ita cõfirmata, vt pluribus nõ sit opus. Refert Socrates in Historia Ecclesiastica, optimam rationem reuincendi hæreticos à Nectario Theodosio Imperatori propositam hanc fuisse, vt testimonia veterum adhiberet antiquorum scilicet Ecclesiæ doctorum, qui ante diuisionem floruerunt. Quid hoc aliud, quàm nõ solùm illos adhibere testes, qui sine affectu partium locuti sunt, quo nomine non parum eorum testimonia auctoritatis habent: sed etiam traditionẽ & sensum consonum Ecclesiarum eo tempore cùm nulla erat dissensio, fide dignis testimonijs agnoscere? Qua ratione vt perpetuus vsus ostendit, sequentes omnes doctores præcedentium auctoritatibus vsi sint. Et quidem August. quem constat summa cum libertate, sed modestia, de omnium hominũ scriptis post

Cap. 70. Antiquorum Patrũ auctoritatibus sequentes Patres semper vsos fuisse in confirmanda fide.

sacras literas sensisse, Scripturam, inquit, sacram quis nesciat omnibus posterioribus Episcoporum literis ita pręponi, vt de illa dubitari vel disceptari non possit, vtrum verum vel rectum sit quicquid in ea constiterit scriptum esse: episcoporum autem literas, & per sermonem sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem & doctiorum prudentiam, & per concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est: Ipse, inquam, Augustinus aduersus hæreticos auctoritate vtitur Patrũ præcedentium. Vnde in quodam loco aduersus Pelagianos sic ait, Post allata testimonia Patrum hæc non ideo commemoraui, quòd disputatorum quorumlibet sententijs tanquam canonica auctoritate nitamur: sed vt appareat ab initio vsque ad præsens tẽpus quo ista nouitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem tanta constãtia custoditum: vt ab eis qui Dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quàm id tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur. Vbi vides manifestè, quòd dictum est, consensu Patrũ probari sensum Ecclesiæ, & eundem necessarium ad scripturã intelligendam. Alibi etiam contra eosdem, Quia, inquit, scripturas sacras secundum sensum suum legunt, in illis nec aperta contuentur, vtinam ergo saltem in catholicorum virorum scriptis à quibus eas rectè intellectas non dubitãt, quid sit sẽtiendum de adiutorio diuinæ gratiæ non negligenter attenderent. Idque frequenter in ijsdem libris aduersus Pelagianos subinde repetit, maximeque in libris contra Iulianũ. In quibus postquam primo libro multorũ Patrum sententias citauit, & in ij. rursum & iij. eorundẽ sententijs refellit eius calumnias, inter alia sic inquit contra illum, Ipse dixisti quòd omnes iudices ab odio, amicitia, ira & inimicitia vacuos esse deceat, pauci verò tales potuerunt inueniri: sed Ambrosium aliosque collegas quos cum illo commemoraui, tales fuisse, credendum est. Verùm si tales non fuerunt cùm hîc viuerent in causis, &c. ad hanc tamen causam tales erant, quando de illa sententias protulerunt, nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt, nec nobis nec vobis

Lib. 2. de bapt. contra Donatist. cap. 2.

Lib. 3. de peccatorũ meritis et re. cap. 7.

Lib. 1. contra Pelag. et Celest. de gratia Christi cap. 42.

Lib. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis irati sunt, nec nos nec vos miserati sunt: quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerũt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderũt. Quid his, rogo, apertiùs dici potest de Patrum auctoritate, de ratione agendi aduersus profanas vocum nouitates, & certissimè confirmandi fidei dogmata? Vnde & alibi etiam ita inquit, Ad curam nostram existimo pertinere, non solùm scripturas sanctas canonicas aduersus eos testes adhibere: sed etiam de sanctorum literis, qui eas ante nos fama celeberrima & ingenti gloria tractauerunt, aliqua documenta proferre: non quò canonicis libris à nobis vllius disputatoris æquetur auctoritas, sed vt admoneantur qui putant istos aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante noua istorũ vaniloquia Catholici antistites eloquia diuina sequuti sunt: & sciant à nobis rectam & antiquitus fundatam catholicam fidem, aduersus recentem Pelagianorum hæreticorum præsumptionem pernitiemque, defendi. Hoc etiam ipsum magnæ auctoritatis Concilia apertè testantur, & quidem, vt superiùs diximus, omnia hanc rationem sequuti sunt, vt sensus scripturæ nouos ab hæreticis adinuentos ex certissima traditione in scripturis Patrum agnita refutarent. Vide in Concilio illo Ephesino primo à Cyrillo Romani Pontificis locũ tenente aduersus Nestorium celebrato (vt habes in Actione prima Chalcedonensis Concilij) post recitatam fidem Nicænæ Synodi sic inquiunt catholici Patres, Quoniam præ manibus habentes libros Sanctorum & beatissimorum Patrum, Episcoporum & diuersorum Martyrum, elegimus ex his pauca capitula quæ recitamus, & confestim Petri Alexandrini, Athanasij, Iulij & Felicis Romanorum Episcoporum, Theophili Alexandrini Episcopi, Cypriani, Ambrosij, Gregorij Nazianzeni, Basilij, Gregorij Nysseni lucidissimis testimonijs Christum verum natura Deum & non gratia adoptatum contra Nestorium ostendunt. Et quinta Chalcedonensis Concilij Actione post definitam fidem aduersus Eutychetem hæc est Episcoporum acclamatio, hæc fides Patrum, hæc fides Apostolorum, huic omnes consentimus, omnes ita sapimus. hæc nos docent quæ fuerit Conciliorum verè catholicorum cura & so-

Lib. 1. contra 2. epist. Pelag. cap. 8.

Cap. 71. Qualiter probatißima Concilia auctoritatibus Patrum vsa sunt.

& solicitudo: certè nõ alia, quàm vt antiquam fidem Patrum, hæreticorum conatibus obscuratam, in lucẽ educerent. Quod etiam epistolæ illæ Agathonis & omnium Occidẽtalium Episcoporum ad Constantinum maiorem in sexta Synodo plenissimè ostendunt. Cùm enim destinatos à se atque Concilio suo Imperatori proponit Pontifex Agatho, quibus, inquit, testimonia aliquorum sanctorum Patrum quos hæc Ecclesia Apostolica susscipit, cùm eorum libris tradidimus: vt facultatem suggerendi consecuti ex his duntaxat satisfacere studeãt, quid hæc spiritualis mater eorum Apostolica Christi Ecclesia credat & prædicet, non per eloquentiam secularem, sed per synceritatem Apostolicæ fidei, in qua & ab incunabulis edocti vsque in finem cæli Domino omnes nobiscum deprecamur seruire atque obedire. Et statim præscribit illis vt non aliter agant, nisi quantum, inquit, eis iniunctum est, vt nihil præsumant augere, minuere vel mutare: sed traditionem huius Apostolicæ sedis, vt à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, syncerìter enarrare. Et post nonnulla de Petro inquit, Cuius auctoritatem vtpote Apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia & vniuersales Synodi fideliter amplectẽtes sequutæ sunt: omnesq; venerabiles Patres Apostolicã eius doctrinã amplexi, per quã & probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerũt. Et post pauca, Hæc est Apostolorũ Christi viua traditio quã vbiq; eius tenet Ecclesia, quæ præcipuè diligenda atque fouenda & fiduciali-ter prædicanda est. Vtitur verò in ea epistola auctoritatibus Ambrosij, Athanasij, Augustini, Leonis, Gregorij Nazianzeni, Cyrilli, Gregorij Nysseni, Hilarij & Conciliorum Chalcedonensis atque Constantinopolitani. Denique non est obscurũm, in hac sexta Synodo actum esse & à catholicis & ab hæreticis Patrum auctoritatibus, & diligenter inuestigatum verum illorum sensum collatione exemplarium, conuictosque hæreticos falsitatis & mendacij, veritatemque fidei, aduersus quàmplurimos hæreticos vnã volũtatem & vnã operationem in Christo dogmatizantes, in eo manifestè definitam. Patet igitur ex his, quàm vanè & reuera minus syncerè quàm deceat virum

Act. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum grauem, Brentius reprehendit quod ad Patres remittam in dubijs de sensu scripturæ & dogmatibus fidei. Nunquid Augustinus, Cyrillus cum tota Synodo Ephesina tertia ex quatuor illis probatissimis ab Ecclesia, & sexta Synodus submittunt scripturam sacram sensui hominum? Aut moliuntur eius destructionem tam diligenter aduersus hæreticos testimonijs Patrum vtentes? Sed ait Brentius in capite de scriptura, 'Si ad veteres iam mortuos mittimur, nominentur ergo, vt sciamus, quorum interpretatio sacrosancta & inuiolata haberi debet. Cui nos dicimus iam eos nominatos esse ab Ecclesia, orthodoxos scilicet omnes qui perpetuò in vnione Ecclesiæ perseuerarunt (vt Gelasius inquit) nec vnum aut alterum sufficere dicimus, nec interpretationes proprias singulorum aut sensum proprium in eis quærimus, sed Ecclesiæ: atque ita cum Vincentio illo Lirinensi, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, id tenemus: quod propriè & verè catholicum est, hoc facimus, sequentes vniuersitatem, antiquitatem & consentionem (vt ille & sanctè & eloquenter docet) quid per totum orbem terrarum confiteatur Ecclesia sanctorum ac maiorum & Patrum, vel omnium, vel penè omnium auctoritate confirmamus. Nunquid hoc est à luce ad tenebras ire à scripturæ splendore ad humani sensus tenebras & non potiùs ab hæreticorum, quas offundunt Scripturæ sacræ & fidei, tenebris, ad lucem illã de qua Christus inquit, q̃ abscondi nõ potest super candelabra posita: vt qui ingrediuntur lumen, videant: & à literis & scriptura externa ad scriptam ab ipso Spiritu sancto in cordibus viuam & certam conuerti: quod constat hos omnes Patres egisse? Vide, rogo, quam prouinciam assumpsit Brentius, quàm difficilem, cùm singulos Patres suspectos reddere & priuare auctoritate conatus est.

Cap. 72. Quæ B. *aduersus patrũ auctoritatẽ loquitur, reijciuntur.*

" Habuit, inquit, Ecclesia Græca suos Patres, Origenem, Chrysostomum, Basilium, Nazianzenum & alios: habuit Latina suos, " Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Hieronymum, Augu- " stinum & alios, atque his recensitis, vt alios omittamus, Nega- " ri, inquit, non potest quin in Patribus sui sint errores & alie- " næ à sensu scripturæ interpretationes. Origenes, inquit, habet quæ-

" dam dogmata quæ non sunt Scripturæ sacræ consentanea: Tertullianus Montanizat: Cyprianus baptizat: Hieronymus Origenizat & digamizat: Augustinus scribit libros Retractationum, & communicat infantes corpore & sanguine Christi. Hæc verò aduersus veteres Patres se dixisse inquit, nõ hoc animo quòd censeat eos abijciendos: sed quem animum habeat, nos vero iudici relinquimus. Cæterùm næuos quosdã siue species potiùs errorum in Patribus quærere, siniſtrè interpretari, & ex eis offendiculum infirmis obijcere quæ candidè accepta etiam ædificare possunt, quid aliud est quàm calumniari, cùm maximè nihil ad causam id pertineat? Nos ad consensum Patrum mittimus, non quòd ab vno aut altero, sed quod ab omnibus constanter, vnanimiter, & perseueranter docetur, illud tenendum dicimus: non eorum duntaxat auctoritate, sed magisterio Spiritus sancti in Apostolorum prædicatione & Ecclesiæ sensu lucente. Quid igitur ad nos, quòd vnus aut alter in hac aut illa disputatione etiam errauerit à veritate scripturæ: illud certò scimus catholicos non propterea ab Ecclesiæ sensu recessisse, quanquam interim ignorauerint. De Origine igitur & Tertulliano quòd errauerint, nõ nos moratur, damnati sunt ab Ecclesia. De Cypriano iam omnibus notum est, in causa illa Baptismi hæreticorum eum erasse, vt Augustinus inquit, prædecessoris sui exemplo deceptum, dum quod ab eo statutum vidit, putauit traditionem esse maiorũ: sed paratissimum se semper exhibuit, ad sequendum Ecclesiæ sensum, obseruantissimus etiam in hac parte Ecclesiasticæ vnitatis. De Hieronymo verò, primò illud certum est, quòd Origenem de grauissimis erroribus arguit, libros præcipuè Peri archon: & in Rufinum inuehitur, quòd eos Latinè reddiderit. In quibusdam fatetur eruditionem eius sibi placere, hoc nõ est turpiter, vt ita dicamus, & perperam Origenizare. De digamia verò illud constat, in quamplurimis epistolis, in illa maximè ad Gerontiam vehementiorem fuisse in dehortando à secundis nuptijs, sed salua fide. Et si enim aliquando conferat illas scortationi, sed apertè dicit se nõ eas damnare: quanquam & hoc videatur nonnihil postea attemperare, vt non sine re-

Lib. 2. & 3. de bap. cõtra Donatistas.

prehenſione illas relinquat. In his tamen omnibus nouerunt omnes fidem & ingenium Hieronymi: certè nec in his nec in alijs vnquam diſceſſit ab Eccleſia, nec pertinaciter imò nec vllo modo aſſeruit dogma contrarium fidei. Dum verò ſeuerior in moribus & diſtrictioris diſciplinæ tenaciſſimus, & verborũ pondere efficaciſſimus eſt, dum ad meliora hortatur, dum hęreſes impugnat, videtur non ſatis attentè conſiderantibus ad extrema deflectere. Sic contra Iouinianum etiam vnico matrimonio iniquior videtur, & in cauſa digamiæ multò magis ſecundis nuptijs videtur detrahere. Iam de Auguſtino illud primùm mirandum in Brentio, quòd putauerit derogari Auguſtini auctoritati quòd Retractationes ſcripſerit, in quibus maximum exemplũ modeſtiæ & diligentiæ atque circunſpectionis circa doctrinam nobis reliquit. Quibus quanta auctoritas ſcriptoribus accreſcat, quis non videt? Certè vel nomen ipſum Retractationum apud rectè conſiderantẽ Aug. auctoritatem conciliat erga ea, quæ non retractauit: apud introſpicientem verò hos libros multò maiorem ex diligentiſſima cenſura & eccleſiaſtici ſenſus tenaciſſima conſtantia, quas in omnibus illis præ ſe fert, ex quibus nec minimis quidem verbis ſuis parcit. Si Aug. edidit libros Retractationum, quæ non retractauit, bis ab eo cõfirmata ſunt, quare majoris ſunt auctoritatis. Quod verò de communione infantium loquitur Brentius, ſatis oſtendit eum magis quęrere in Patribus quid reprehendat quàm quid ſequatur. Ex Auguſtino non habetur, quòd huius rei ille ſit auctor. Apparet nonnunquam ſuo tempore fuiſſe actum ita in Eccleſijs, & ex hac conſuetudine illum accepiſſe argumentum aduerſus Pelagianos. quanquam ſi rectè omnia Auguſtini in hac parte penſentur verba illa, Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, ad ſpiritualem manducationem magis refert, quod apertè in ipſum locum Ioannis dicit: hæc verò manducatio ſpiritualis & vnio ad Chriſtum in ſolo baptiſmate fit, ſine quo Aug. non eſſe vitam infantibus probare voluit, & nihil præterea. Vnde & quod ſecundo loco Brentius aſſumpſit, quòd in Patribus ſint pugnantes interpretationes ſcripturæ, & ſi fortè nonnunquam verum eſt, nec id quicquam nobis officit

officit qui conſenſum Patrum ſequimur, non tamen eſt probatum ab eo. Nam exemplum quod attulit huius loci, Niſi manducaueritis carnem, &c. nihil probat: ſed facilitatem Brentij, & pruritum quendam reprehendendi Patres manifeſtat. Nam quod alij Patres de ſpirituali manducatione intelligunt, id etiam conſtat Auguſtinum aliquando intellexiſſe: ſed quòd de Sacramentali etiam intelligendum ſit multi alij Patres ſenſerunt. Et demus etiam Auguſtinum alibi ſenſiſſe, non tamen hoc contrarium eſt priori expoſitioni, nec enim vnius tantùm ſenſus capax eſt ille locus, ſicut multi alij ſcripturæ loci, de quo ſupra ſatis dictum eſt. Illud omnino negamus Brentio, Auguſtinum paruulorum communionem neceſſariam putaſſe, quaſi baptiſmus non ſufficiat: ſed hæc ad neceſſitatem Baptiſmi probandam attulit contra Pelagianos, qui non baptizatis paruulis ſalutem & vitam non negabant, & ſi extra regnum cælorum, propter verbum Chriſti, Niſi quis renatus fuerit, non poteſt intrare in regnum Dei. Propter hoc igitur Auguſtinus vtitur aduerſus eos hoc loco, Niſi manducaueritis, &c. non habebitis vitam, referens illa ad Sacramentum Euchariſtiæ, atque intelligens in Baptiſmate ſpiritualiter vel voto ſaltem & ordinatione Chriſti atque virtute Baptiſmatis iam fieri paruulos participes eius, quia vnitatis Eccleſiæ ſunt participes. Sed de hoc aliàs. Nũc ſatis nobis ſtabilita eſt Patrũ auctoritas: ſatis oſtenſum eſt, quæ ſit neceſſitas, quæ vtilitas, & vſus illius.

Cap. 73. Neceſſitas & vtilitas conciliorum.

Iam igitur ad Concilia, hoc eſt, ad Patres viuos: ad hos enim, velit nolit Brentius, remittimus in dubijs ſcripturæ & fidei. Hos ponimus vltimò, tanquam nobis propinquiores & manifeſtiores, vt ſcilicet habeamus ſemper viuum & præſens iudicium, cuius vide manifeſtiſſimam neceſſitatem ex præmiſſis. Quis enim dubitat, ſcripta Patrum id etiam ab hæreticis pati poſſe quod ſcriptura ipſa ſacra. Trahũtur etiam eorum verba in diuerſos ſenſus: nec deſunt hæreticis in ſcripturis Patrum, vnde ſua videantur confirmare: oſtendit hoc res ipſa. Pelagius ad integritatem humanæ naturæ & liberi arbitrij ſine gratia Chriſti aſſerendam teſtimonijs vtebatur mortuorum iam Patrum Cypriani, Ambroſij & aliorum, atque Auguſtini ipſius

adhuc viuentis. Si ergo dubius est sensus scripturę, ex traditione iudicandus est, ex qua maximè certa dogmata fidei habentur: traditio verò ex scripturis Patrum agnoscitur. Cùm de sensu Patrum quæstio est, necesse est, vt certum iudiciũ habeatur in Ecclesia vbi id definiri possit: alioqui semper manebit dubitatio, & liberũ erit cuilibet sentire quodlibet: dicet quisque, Hunc esse sensum scripturæ, hanc esse traditionem Apostolicam & sententiam Ecclesiæ, & hoc à Patribus affirmari. Ita de multis inquit Lutherus, & nos circa noua eius hæc dogmata econtrariò: hæc ipsa exponimus Patrum testimonia, sensum Ecclesiæ & traditionem Apostolicam. Constat igitur in Ecclesia vnam fidem & vnã confessionẽ seruari non posse, nisi iudicium vnum sit & præsens, in quo certa feratur sententia, cui omnes sint subditi. De quo quia satis superiùs, & in Assertione catholica proprio capite de Concilijs & scholijs confessionis Vvirtenbergensium egimus, non est cur nunc pluribus dicamus. Originem Conciliorum ab ipsis Apostolis deriuatam esse, auctoritatem illorũ in Ecclesia semper agnitam ostendimus manifestissimis auctoritatibus, vtilitatem eorum ex tota historia Ecclesiæ manifestauimus, & sine contentione, quãta potuimus modestia, certitudinem illorum ostendimus, & qualiter non errare posse intelligendum sit, satis indicauimus. Post hæc omnia non opus est multa addere. Sed quia respondendum est iniquissimis certè criminationibus Brentij aduersus sacrosancta Concilia, huius duntaxat in hoc loco rursum admonendos esse lectores credimus, quòd cùm hæc Conciliorum auctoritas à Christi promissionibus & potestate quam tribuit Apostolis atque eorum successoribus sit, quia illos magistros Ecclesiæ constituit, & audiri ab ea præcepit, nõ pendet ex humana virtute, non ex meritis hominum: sed ex ipsa diuina veritate. Atq; ideo etiam si illa desint quæ ex hominibus sunt, & ab eis exi-

Cap. 74. *Calũniæ Brẽtij aduersus auctoritatẽ Conciliorum reijciuntur.*

guntur, sanctitas scilicet vitę & puritas, non propterea erit ineficax eorum ministerium. Hæc certissima sunt, etiam ab aduersarijs nostris concessa, ex quibus clamores omnes, quibus contra mores & vitam Prælatorum Brentius clamat, constat reiectos esse; & id tantùm in Concilijs considerandum, an legi-

legitimi Prælati (sine quibus probatum est Ecclesiam esse non posse) legitima etiam auctoritate, eius scilicet, qui omnibus superior est, conueniant ad implenda ministeria sua & quod eis à Christo commissum est. Hoc, inquam, satis nobis esse debet, vt nullus priuatus, nullus minoris auctoritatis possit de eorum sententia aut dubitare, aut censere. Deo necesse esse illam relinqui, quem non dubitamus vel ità adfuturum Prelatis, vt per eos tanquam per instrumenta & organa quędam doceat Ecclesiam suam veram fidem, vel si occulto suo iudicio permiserit eos, dum non quantũ debent ad inquirendam veritatem agũt, errare, non permittet diu hoc latere Ecclesiam: sed aget vt per sequens aliud Concilium corrigatur antequam receptum sit in Ecclesia. Quod ostendimus exemplo secundæ Ephesinæ Synodi numerosissimę quidem & multorum Episcoporum, in qua error Eutychetis de cõfusione naturarum in Christo post vnionem probatus est: sed mox cùm non deessent, qui fraude & dolo id actum esse quærerentur, congregata est Chalcedonensis Synodus, & veritas explicata priùs quàm definitio altera nocere potuisset in vniuersa Ecclesia. Itaque hunc putamus sobrium & sanum sensum esse illius quod à pluribus asseritur, Concilia errare non posse. Intelligunt enim legitimè congregata, & legitimè absq; fraude & dolo agentia. Talia certè sunt quibus promittit Christus, Vbicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Quòd cùm non de Concilio tantùm vniuersali, sed de quocunque legitimo & in vnione Ecclesiæ perseuerante accipiendum sit, non dubitamus à Christo impleri quod promissum est sic cõgregatis: aut si eorum culpa hoc eis negauerit, Ecclesiæ suæ non est negaturus quod promisit, Portę inferi, &c. Et si igitur hominum potestas non sit superior diuina voluntate, nec (quod Brentius non tantùm calumniosè, sed blasphemè etiam nobis tribuit) Spiritus sanctus vllis sit alligatus hominibus, tamen congregatio legitima probat præsentiam Christi, atque ostendit promissionem eius ei non defuturam, modò vt diximus, non dolo & fraude agatur. Atque hac ratione non Spiritus sanctus alligatus est hominibus vel obligatus: sed quia fidelis est Deus &

mentiri non potest, alligat homines sibi, si non per veram charitatem, saltem per illam operationem qua impleat eorum ministeria. Non est cur Brentius clamet, nullum nisi à Spiritu sancto præditum scripturam posse intelligere quæ ab ipso Spiritu sancto est. Cui paucis postea respondebimus. Nunc apertè dicimus per malos & alienos à Spiritu sancto homines facilè esse Deo etiam prophetare. Nec dicimus, vt Brentius imponit, quod quia quandoque fecit, semper teneatur facere: sed dicimus, quòd ipse fatetur ministerio peccatorum perficere Spiritum sanctum id, ad quod ordinati sunt. Hæc est Conciliorum & auctoritas & certitudo: quæ duo nunquam aduersarij integrè confiteri volunt. Si enim non errare fatentur, quod nonnunquam faciunt coacti testimonijs scripturæ, mox nullũ Concilium posse certò cognosci legitimum esse dicũt: quod si admittant, mox dicunt, errare posse quodcunque hominũ Concilium sit. Sed vera fides vtrumque horum certissimè confitetur, & illis verbis à Christo promissum agnoscit, Vobiscũ sum omnibus diebus. Et, Vbicunque sunt duo vel tres in nomine meo. Et rursum, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Vbi non omittendum, quòd auctoritate Nicolai de Lyra me premit Brentius, & arguit, quòd vulgatissimum & notissimum auctorem in Ecclesia non inspexerim, à quo didicissem, quantum errarem in asserenda hac auctoritate Episcoporũ & Conciliorum. Sic enim Brentius ait, Hæc verba, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, exponens Lyra inquit, Ex quo patet, quòd Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticæ vel secularis, quia multi Principes & summi Pontifices & alij inferiores inuenti sunt apostatasse à fide, propter quod Ecclesia consistit in illis personis in quibus est notitia, & vera confessio fidei & veritatis. Hæc sunt quæ ex Lyra contra me adducit, & irridens ait inuenturum me fortè aliquam expositionem. Ego verò dico nullam me velle quærere: sed fateri ingenuè verissimum esse quod Lyra inquit & manifestissimum: primò in Ecclesia non esse hæreticos & apostatas, quod nunquam negauimus: professione enim fidei & Sacramentis ostendimus superiùs Ecclesiam congregari.

Et

Et nunc Lyra inquit, Ecclesiam consistere in illis in quibus est notitia & vera confessio fidei: solos ergo hæreticos reijcit ab Ecclesia, qui scilicet neque credunt neque confitentur veram fidem: isti non solùm non sunt viua membra Ecclesiæ (quod de alijs peccatoribus diximus) sed etiam propria volũtate omnino reliquerunt Ecclesiam. Eos verò qui agnoscunt & confitẽtur fidẽ, negat Lyra pertinere ad Ecclesiam? Imò certè apertè confitetur. Quod si illud torqueat in me Brentius, quòd ait Ecclesiam consistere in aliquo nõ ratione dignitatis Ecclesiasticæ vel secularis, videat Lyram non negare in illis consistere Ecclesiã, nisi quia à fide, inquit, inuenti sunt apostatasse. Quod verum esse fatemur quando à fide discedunt. Quis enim Iudam neget fuisse Apostolum quamdiu adhæsit Christo, & in eo fuisse Ecclesiam: sed postea cùm discessit in locum suum, non amplius fuit in Ecclesia. Sic de cæteris dicimus: nec dubitamus Lyram catholicum virum hoc sentire, non tantùm eos qui perpetuò permansuri sunt in Ecclesia, sed etiã eos qui ad tempus permanent, pro eo tempore quo tenent & profitentur fidem, ad Ecclesiam pertinere, & veros esse Episcopos: nec putauit ille sine Episcopis & ministris Christi integram esse Ecclesiam. Hoc nos de illo credimus: quòd si aliter Brentius putet eum sensisse, nihil nos moratur. Nec enim ex illis primæ auctoritatis Patribus Lyra est, quos magistros suscipit Ecclesia, neque ipse testis esse potest sufficiens Apostolicæ traditionis, nec illo loco hoc agitur vt attestetur illi: satis igitur hæc nobis de Lyra dicta. Cætera verò omnia loca conatur Brentius peruertere, sed frustrà, nihil aliud habens quod dicat, quàm quòd omnes homines errare possunt, & decipi atque decipere: cùm catholica fides non hominum virtuti innitatur, sed promissioni diuinæ quam experientia ipsa agnoscimus impleſſe Deum Ecclesiæ suæ totis mille quingentis annis. Stat Ecclesia, stat fides, stat prima illa traditio: nusquam deleri potuit vsque ad hanc diem ab Ecclesia, etsi nullas omiserit Sathanas fraudis suæ machinas in eam admouere. Quare nec dubitamus permansuram vsque ad finem & fidem ipsam, & hanc Conciliorũ viuentiumque Patrum auctoritatem & certitudinem quam fi

des vera nos docet: cuius in Patribus manifestissima sunt testimonia. Confitentur enim Catholici omnes (vt in assertione catholica ostendimus) non solùm quatuor illorũ Conciliorum primorum & reliquorum sequentiũ veritatem: sed etiam eorũ auctoritate constare nobis fidem catholicam asserunt. Quare non est opus diutiùs his immorari. Vnius tantùm Augustini, in omnibus ferè quæ aduersus Donatistas scripsit, frequẽtissimæ sententiæ quàm certa fuerit hæc auctoritas Conciliorum satis ostendunt, dum definitionem de non rebaptizandis hæreticis vniuersalis Concilij certã esse quæ priùs dubia erat, incunctanter asserit: nec dubitat Cyprianum illi statim obtemperaturum, si eo viuente facta esset. Sic igitur inter multa alia libro primo aduersus Crescomum Grammaticum loquitur: Sequimur sanè nos in hac re auctoritatem certissimam scripturarum: nec enim parui momenti est, quòd cùm inter Episcopos anterioris ætatis ista quæstio fluctuaret, & varias haberet inter se collegarum salua vnitate sententias, hoc per vniuersam catholicam, quæ toto orbe diffunditur, obseruari placuit, quod tenemus. Et post pauca ita ait, Proinde quamuis huius rei de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas: cùm hoc facimus quod vniuersæ nunc placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas. Quid hìc Brentius dicet? Derogatur ne auctoritati scripturæ quando in dubijs eius ad Ecclesiam mittimus? Imò inquit Augustinus quàm maximè cõfirmatur, quoniam in scriptura Ecclesiæ auctoritas commendatur. Nunquid sententiam Ecclesiæ quam in re prius ambigua & quæ certum non habebat in scriptura exemplum, oportet rursum exigere, vt Brentius inquit, ad scripturam? Certè in hac materia, quod Augustinus fatetur, ex scriptura certum exemplum non habetur, neque quid Apostoli egerint ac docuerint in scriptura constat: sed, inquit Aug. constat Ecclesiæ auctoritas, quę hoc post longam disceptationem definiuit. Vnde post verba quæ citauimus statim sic loquitur, Et quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, in huius obscuritate

Cap. 75. Aug. testimonia de Conciliorũ auctoritate, & potestate.

Cap. 32. & 33.

te quæstionis eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate Scriptura sancta demonstrat. Vides itaque in re obscura nec habente in scriptura exemplum, quanti Augustinus definitionem Ecclesiæ facit, non ad aliam illam exigens scripturam quæ certè aperta non est: sed ad illam tantùm in qua auctoritas Ecclesiæ prædicatur. Et eodem loco Ecclesiam hanc certam & toto orbe diffusam non agnoscere erroris donatistarum dicit esse. Hanc, inquã, Ecclesiam, cuius auctoritas commendatur in scriptura, certam esse & manifestam asserit, quæ tunc Aug. tempore Donatistas damnabat. Ne mihi dicat Brentius aut Caluinus, Ecclesia vera & stabilis prædestinatorũ est congregatio, quæ inuisibilis est & incerta: illa verò congregatio baptizatorum & profitentium fidem, non est vera Ecclesia quę errare nõ potest. Contra hoc Augustinus, imò per eum veritas ipsa ostendit, illam Ecclesiam stabilem & firmam, certam esse & manifestam, quæ scilicet in communione catholica Patrum permanet. Et ne calumnientur nos aduersarij, quòd Ecclesiam pro suo arbitrio fidem nobis tradere dicamus. Quia sine certo testimonio scripturæ, non repetendum Baptismum hæreticorum Aug. dicit definiuisse, non est omittendũ quod idem non dubitat, & huius contentionis historia satis ostendit hoc ex traditione Apostolorum fuisse: quia consuetudinem Ecclesiæ totius, etiam ante Cyprianum, fuisse res ipsa ostendit. Hanc autem, inquit Aug. fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ postea multis discussa ambagibus perspecta veritate plenario Concilio confirmata est, satis ostenditur ex ipsis verbis Cypriani: namque Cyprianus fatetur consuetudinem contrariam fuisse suæ sententiæ. De qua rursus inquit Aug. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in eorum literis nec in Concilijs posteriorum: & tamen, quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam non nisi ab ipsis tradita & commendata traduntur. Vbi vides quàm intrepidè, quàm manifestè traditionem præter scripturas agnoscit Aug. & vniuersalis Ecclesiæ consuetudinẽ testimonium esse certissimum eius docet. Vides denique Ecclesiæ & Conciliorum auctoritatem, & rationem definiendi

Lib. 2. cõtra Donatistas cap. 4.

Eodem lib. cap. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex traditionibus. Hæc omnia lucidissima sunt reipsa ostensa ab Aug. Quæ si negentur, necesse est nõ tantùm Donatistarũ hæresim, sed in vniuersum omnes simul exuscitari, cùm auctoritas Ecclesię & Conciliorum aut certitudo eorum in dubium vocatur. Hoc igitur quod asserimus non est meditari destructionem Ecclesiæ vel scripturæ, sed ædificationem potiùs. Nõ est hoc Asoticum, aut Talmudicum, sed verè catholicum.

Cap. 76. Episcoporũ etiã sine concilio auctoritas in dãnandis hæresibus ex August. ostenditur.

Sed illud etiam in hoc loco non est omittendum, vt ea quæ dicimus de auctoritate Conciliorum & Episcoporum manifestiora fiant, quòd non tantùm concilij plenarij consensum, sed Episcoporum etiam in suis proprijs sedibus per literas vel quacunque alia ratione conspirationem consonam prædecessorum doctrinæ Aug. ipse ad confutandas hæreses & finienda dubia fidei abundè sufficere credidit. Clamabant Pelagiani, quòd sine plenarij Concilij congregatione damnarentur, extorta scilicet ab Episcopis in suis locis sedẽtibus subscriptione. Contra quos ita inquit Aug. Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, cùm potiùs rarissimæ inueniantur propter quas damnandas necessitas talis extiterit: multoque ac sine comparatione plures sint, quæ vbi extiterũt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras deuitandæ innotescere potuerunt. Habes igitur auctoritatem damnandi hæreses Episcopis ipsis conuenire, nec congregatione Concilij, semper opus esse, cùm etiam illud Christi, Vbicunque sunt duo vel tres in nomine meo spirituali vnione impleri possit. De qua Paulus dicit, Congregatis vobis & meo spiritu cum virtute domini nostri Iesu Christi. Consensus igitur Episcoporum perpetuus & mortuorum & viuentium iste est, quo confutantur hæreses: nec concilijs, teste Augustino, opus fuit, nisi quàm rarissimè. Quod etiam hic ideo admonemus, vt quàm superbè Concilium generale ab initio huius dissensionis ortæ Lutherus & sui petierint. Quibus meritò illud eiusdem loci Augustinus dici potest, Istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur, & nos dicamus omniũ Ecclesiarũ catholicarum Synodum eos voluisse

Lib. 4. cõtra 2. epist. Pelag. cap. 12.

se cõgregari. Orbẽ, inquit Aug. catholicũ quoniam Domino eis resistente peruertere nequeunt, saltem commouere conantur. Sed quid tandem illa Concilij appellatione voluerint nũc satis apertũ est, maximè agente Brẽtio cùm nõ Episcopi tantùm alicuius aut pluriũ, sed nec totius Concilij vniuersalis, denique nec alterius alicuius sententię quàm Christi vniuersalis omniũ iudicis stare se velle manifestè testatur, vt superiùs vidimus.

Cap. 77. Quãta ignorantia et iniquitate B. dicat Concilium Nicænũ errasse circare deuntes post baptismũ ad militiam.

Et vt intelligas tantæ huius præsumptionis qui sint fructus, quid scilicet ex tam pertinaci animo necesse sit sequi, non satis fuit Brentio errasse nõnunquam Concilia asserere: sed Concilio illi sanctissimo & à tota Ecclesia, vt vnũ ex quatuor Euangelij libris, susceptо, Nicæno scilicet imponit. Primò quòd errauerit contra Euangelicam doctrinam: sic enim (vt eius verba referamus) inquit primo illo loco de officio Principum, Cùm Patres Nicæni Concilij post definitam æqualitatem Filij, iudicarent eos, qui Christum professi ad militiam redirent, damnatione dignos, certè humani aliquid passi sunt, quòd damnauerint legitimam militiam, quam Ioannes approbauerat, nec Christus reiecerat. Hæc ausus est Brentius in Concilium Nicænum dicere, quòd definierit aliquid contra veritatẽ Euangelicam. Et quidem certissimum est, militiam licitam esse Christianis: quin & illud constat, primis illis temporibus, & ante & post Concilium Nicænum sanctissimos Martyres & probatissimos Christianos, etiam sub Iuliano illo apostata militasse, atque tam Christiano animo, vt non solùm militiæ honores, sed & vitam etiam potiùs amittere, quàm aliquid contra professionem Christianam facere parati essent. Crassa certè ignorantia & nimium reprehensibilis in religione Christiana est militiam damnare. Quæ si Concilio Nicæno tribuatur, quis non videat quantum eius auctoritati detractum sit? Sed absit hoc, vt tantum Concilium contra veritatem fidei errauerit, quo necesse est fieri, vt omnium Conciliorũ auctoritas pereat. Quare falsissimè omnino Brentius hoc tribuit Nicæno Concilio, & sine vlla auctoritate, imò contra veritatem omnem. Certè inter capitula Nicæni concilij quæ habemus à Rufino hoc est 13. de causa hac. Qui verò propter confessionem militiam abierant,

Lib. 10. eccle. hist. cap. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cerant,& rursum ad hanc abierũt,hos tredecim annis pœniten tiã agere,& postea susciꝑi,&c. Quanquã huius capitis aliter in alijs habentur verba. Certè quæ habemus in Concilijs magna ex parte ab Isodoro collectis, & in libris Conciliorum qui circumferuntur viginti tantùm capita continentur,inter quæ decimum sic habet. Quicunque vocati per gratiam,primò quidem impetum monstrauerunt deponentes militiæ cingulum, postmodum verò ad proprium vomitum sunt relapsi, vt quidam etiam pecunias tribuerent & beneficijs militiam repeterent,hi decem annis post triennij tempus,quó inter audientes erunt,in afflictione permaneant.Hęc iuxta editionem primam habemus in Concilijs, à quibus parum secunda distat. Quæ verba cùm intueor, miror vnde Brentius collegerit damnasse militiam Patres Nicæni Concilij. Iudicarunt (inquit ille) eos, qui professi Christũ ad militiam redirent,damnatione dignos. Si enim intellexit quid Concilium & qua ratione circa militiam statuerit, & tum quid aliud egit quàm vt volens simplices deciperet,& seipsum irrisioni exponeret. Adeóne putabat omnes ignaros esse rerum omnium Ecclesiasticarum,vt nullus aduerteret malè eum & siniſtrè interpretatum tanti Concilij definitionem? Aut si non intellexit, magna certè est historiæ antiquitatis & disciplinæ Ecclesiasticæ in Brentio ignorantia. Discant igitur & aduertant omnes, quid Nicænũ Concilium in hoc statuerit,imò videant eius manifesta verba. Primò non Christianos qui militauerint, subijcit pœnitẽtię: sed qui deposita militia ad primum,inquit,vomitum sunt relapsi.Iam aliud est militare, vel retinere quam prius habueras vel quam nunquã habueras acquirere(de quibus nihil Concilium loquitur) aliud est, quam reliqueras, quam propter Christũ & religionẽ cõtempseris militiam rursum assumere, & pecunijs atq; beneficijs quærere. Hoc damnauit Concilium, & vocauit reditũ ad vomitũ:qua phrasi in scriptura reditus ad peccata significatur. Quid ergo intelligemus reditũ hũc ad militiam prius abiectã significare, nisi id quod manifestissimum est?Et Rufinus in sua translatione apertè dicit, Qui propter cõfessionem, inquiens, militiam abiecerat, propter confessionem,inquam,fidei. Est enim

enim compertum tyrannos frequenter fidem persequentes iussisse,vt Christiani cingulum militiæ deponerent: erat enim gradus ille in Romana Republica nõ parui honoris & gloriæ: nec nisi ingenui locũ in militia habuerũt,quod cingulo militari significabatur:ad omnes enim dignitates vsq; ad imperatoriam constat eos habuisse aditum: hic erat magnus honor in Republica: hoc igitur tyranni imperatores lege publica priuabant Christianos.Hinc factum,vt lege illa tyrannica manente, multi non expectauerint eijci à militia: sed nondum interrogati cingulum deponebant. Hoc est ob confessionem fidei abiecisse militiam. Qui verò postea eam resumebant, & ambiebant ad eam, hoc ipso opere fidem negabant, quam prius confessi erant.Si abijcere cingulum erat confiteri fidem, resumere erat negare:igitur Concilium Nicænum non militiã, sed fidei abnegationem damnauit. Sufficere debuerat Brentio ad hoc intelligendum contextus ipse eorum quę precedunt in eo Concilio. Imponitur pœnitentia his qui fidem abnegauerant, absque vlla coactione: similiter & his qui timore amissionis facultatum eam negarant:quod factum,inquit, est sub tyranni de Licinij. Et mox etiam in eodem capite iuxta secundam editionem quam nos habemus, hoc additur de cingulo militiæ his verbis,Si qui verò per gratiam Dei vocati primò quidem ostenderunt fidem suam depositio militiæ cingulo,post hęc autem ad vomitum reuersi,&c. Vbi multò maior his pœnitentia imponitur quàm his, qui vel sine vlla coactione vel metu tantùm priuationis facultatum fidem negarunt: maius itaque peccatum illud,quàm hoc. Quare? nisi quia aliud est ignauiter & obscurè à fide recedere, quod punitur leuiori pœnitẽtia: aliud verò post fortissimam confessionem & post insignem quãdam victoriam,postquam etiam inimicis factus es formidabilis,turpiter deficere animo & succumbere ei, quem prostratum habueras.Debuitne Nicænum Concilium maiori pœnitentia punire militãtes Christianos, etiam si in eis cogitasset aliquid delicti esse,quàm negantes fidem citra periculum, mortis maximè? Et denique vt hanc absoluamus causam, nec coniecturis agamus:Nónne manifestè Ecclesiastica Historia auctore Eusebio, Lib.9.ca.10.

bio, Licinij odium & tyrannidem in Christianos describens sic loquitur? Tyrannidis suæ prima sacrilegia nostrorum cruore delibat. Primò namque omnium de palatio suo, si quis Christianus esset exire iubet: tum & de omni militia. Propter hoc igitur Concilij Nicæni edictũ meritò credimus emanasse, quo tyrannidis huius vulnera, si qua inflicta erat, sanarentur. Quæ omnia cùm certissima sint, & tam aperta vt nunquam aliter ea intellexerim Cõcilij verba (quanquam frequenter viderim) sed nec suspicari potuerim alium sensum posse tribui illis verbis, nónne meritò intolerabilis est tanta in Brentio impostura aut ignorantia? Audet Concilio Nicæno tribuere errorem cõtra scripturam ex verbulo vno: quod non intellexisse summæ ignorantiæ vel inconsiderationis est: intellexisse verò & voluisse corrumpere, grauissimi delicti. Nónne vel ex hoc vno Brentius dignus est (vt non dicam quæ ille contra me) qui suspectus in omnibus sententijs suis habeatur à Christianis omnibus, & temerarius iudex eorum quibus oportebat esse subiectum, & quibus nullus vnquam catholicorum non fuit subditus? Et hæc quidem de prima causa quam contra Nicænũ Concilium suscepit, Audiamus iam secundã multò indigniorẽ & grauiorem: est enim de tota causa eius, certè de præcipua parte (inquit enim contra me capite de traditionibus) quòd existimem Concilijs acceptum ferendum esse, quòd habeamus nomen homusij, quod ostendere ait quàm ofcitanter doctrinam veræ Ecclesiæ expendam. Doctrinam de vera & æterna diuinitate Christi illustratam esse à Concilio Nicæno fatetur: sed dicit, Num ergo Ecclesia amisisset huius necessariæ rei cognitionem, nisi nouum homusij vocabulum fuisset excogitatum? Fortassis omnia fuissent tranquilliora, si maiores, vt veterem scripturæ doctrinam, ita etiam vetera rerum vocabula retinuissent. Hæc sunt verba Brentij, in quibus vides quanta reuerẽtia suscipiat Concilij Nicæni auctoritatem in præcipua ipsa causa ob quam congregatum est: imò quàm apertè detrahat tantæ Patrum antiquitati. Fuissent, inquit, fortassis omnia tranquilliora, si retinuissent vetera vocabula. Itaque in dubium reuocat Concilium tantorum Patrum: de quo semper Ecclesia credidit

Cap. 78. Reijcitur et alia detractio Brentij in Concilio Nicæno contra nomẽ Homusij.

dit quòd à Spiritu sancto fuerit. Audes tu Brenti cogitare Patres illos nõ curasse trãquillitatẽ Ecclesiæ, & propter vocabulum tantùm non necessarium causas dedisse tantæ dissensionis Ecclesiarum? Sic dixit alter, indignam illam causam fuisse propter quam Oriens ab Occidente dissiderent. Sic loquuntur qui de omnibus se putant posse censere: sed aliter vera pietas Christiana credit. Concilium Nicænum rem grauissimam egit, & pro qua asserenda & illustranda in Ecclesia dignissimum iudicarunt omnes subeundos fore labores sanctissimi illi Patres, vt scilicet innotesceret omnibus veritas naturæ diuinæ in filio Dei: vt non æquaretur creaturis: rem, inquam, hanc perneccssariam egit Concilium Nicænum: Nam hoc negabatur ab Ario. Hoc acceptum ferimus Concilio Nicæno, quòd diuinitatem filij Dei in dubium vocatam, imò negatam ab Ario, nobis illustrauit. De re agebatur inter Arianos & catholicos, res hæc explicata est illo nomine proprio ad id significandum: & quanquam opposuerunt hæretici, quòd hoc vocabulum Consubstantialis non esset in scripturis, non propter vocabulum hoc agebant, sed propter rem: vt scilicet negarent æqualitatem Filij cum Patre, vt creaturam illum dicerent, etsi omniũ nobilissimam. Itaque nihil vocabulum tranquillitati Ecclesiæ obfuit: sed dogma ipsum & res multas peperit dissensiones in Ecclesia & longo tempore turbauit Christianos. Falsè igitur inquit Brentius, omnia fortè tranquilliora futura. Non solùm vana est hæc eius suspicio, sed apertè falsa, cùm constet dissensionem illam totam ideo fuisse, quia Ariani filium Dei creaturam esse dicebant: cui non contradixisse, & contra eos vsque ad mortem non decertasse nullo modo licebat Ecclesiæ, plusquam negare Patris ipsius diuinitatem: de hac re agebatur, nõ de vocabulo. Sed nos diximus Consubstantialis vocabulum in Concilio Nicæno explicatum, vt scilicet ostenderemus res dubias fidei etiam nouis vocabulis, sed proprijs & manifestis explicatas esse in Concilijs. Qui huic vocabulo detrahit, qui sibi permittit vel dubitare saltem, an melius fuisset Ecclesiæ illud omitti, conuincitur velle quæstionem hanc de diuinitate Filij non esse explicatam in Ecclesia: sed obscuram relinqui. Quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim aliud in hoc nomine consubstãtialis laudamus, quàm rei huius explicationem? Aut quid tantopere Ariani laborarunt in Concilio Ariminensi de hoc nomine delendo, nisi vt suam hæresim faciliùs propagarent? Non est igitur vlla ratione impia hæc detractio audienda contra Patres Nicæni Concilij: id fecerunt in hac fidei causa quod Spiritu sancto placuit, quod Ecclesiæ profuit. Non est hic religionis zelus, vt vetera etiam nomina retineamus in Ecclesia: sed potiùs est contradicere cõsilio Spiritus sancti & verbis illis sacræ Scripturæ, Qui elucidãt me, vitã æternam habebunt. Dogmata vt res ipsæ non nisi nominibus elucidantur. Si vetera vocabula retinenda sunt, nec noua subinde, sed propria & certissima & fidei consona excogitanda, non magis res explicabuntur. Itaque satis patet, quàm oscitanter ista cogitauerit Brentius, & quàm temerè dixerit. Quæ nobis dicta sint in defensionem Concilij Nicæni, contra quod nullus vnquam sine manifesta nota schismatis & hæreseos locutus est. Quæ hac maximè ratione diximus: quoniam si huic vni auctoritas auferatur, & tribuatur aut falsitas, aut nimius & indiscretus zelus circa ea quę definit, vt Brentius dicit, in altero scilicet errasse, & in altero rem non necessariam tradidisse & Ecclesiæ tranquillitatem impedientem, omnibus certè ablata erit auctoritas. Constat enim nullum vnquam habitũ esse magis sacrosanctum. Non permittet Deus aditum aperiri ad piorum aures & fidelium, vt patiantur summæ Ecclesiæ auctoritati ab aliquo priuato maximè contradici, vel iudicari de eius definitione circa dogmata religionis & fidei. Illud non est omittendum, quòd Brentius epistolam nobis citat Gregorij Nazianzeni ad Procopium, vt vnico verbo omnibus Concilijs omnem auctoritatem auferat: inquit enim Gregorius. Statui omnem Episcoporum Synodum fugere, propterea quòd non viderim hactenus vllius Synodi vtilem finem: aut in qua res malè se habentes non magis exacerbatæ quàm curatæ fuerint. Ea est enim libido contendendi & ambitio dominandi. Hæc inquit Gregorius manifesta & sancta quadã libertate, taxans praua studia Episcoporũ. Ex hoc ait Brentius, Quis ergo tali hominum cœtui adesse Spiritum sanctum, aut doctrinæ

Cap. 79. Gregorius Nazianzenus ostẽditur, nõ refugisse legitima concilia, nec illis detraxisse, vt Brentius imponit.

ce
trinæ veritatem in eo quærendam iudicaret? Cui breuiter hoc respondemus, prauorum & ambitiosorum, & quidem hæreticorum etiã Episcoporum Gregoriũ declinasse Concilia: non legitima & canonica: talia enim eius temporibus sub Iuliani apostatæ imperio, quem scimus primò hæreticis omnibus pro testatem fecisse redeundi in suas Ecclesias, & Episcoporum schismaticorum relaxasse exilia. Vnde patet quanta conuenticula & Concilia Episcoporum iniquissimè celebrata sunt, sicut sub Valentis etiam tyrannide similiter constat factum esse. Et denique à morte Constantini magni fieri iniqua Concilia cœperũt, quorum principium Ariminense illud fuit celebratũ: & multa alia in Oriente & Occidente, certè sine vlla disciplina sine vlla Ecclesiasticæ regulæ moderatione: quod omnes produnt historiæ. Hæc Concilia meritò Gregorius Nazianzenus damnat. Nam & patrem suum sanctissimum alioqui Episcopum constat deceptum etiam subscripsisse falsis dogmatibus, quam ob causam monachis se ab eius communione subtrahentibus plebs adhæsit. Cui malo mox Gregorius remediũ attulit, persuaso patre, vt eius rei pœnitentiam ageret reuocaretque errorem. Scimus tempora illa quàm fuerint turbulenta, & quanta hæreticorum Episcoporũ apud impios Imperatores auctoritas. Gregorius ergo sanctissimus, absit, vt credatur omnia Concilia reiecisse: sed manifestè iniqua & illegitima. Nunquid Nicæno Concilio non obediuit Gregorius, quem scimus Constantinopoli Theodosij Christianissimi tempore vocatum, vt populum hæreticorum erroribus infectum reuocaret ad veram fidem: vbi tantùm profecit, vt, Rufino teste, tũc primùm viderentur sibi Christiani fieri, & nouam lucem veritatis videre: atque adeò, vt, teste etiam Sozomeno, cùm priùs in paruo oratorio sacra celebraret intra vrbem, postea basilica magna à principibus eodem loco construeretur: quam basilicam, inquit idem auctor, ideo anastasiam vocant, sicuti reor, inquit ille, eò quòd dogma Nicæni Concilij in Constantinopoli velut iam mortuum, eo loco expositionibus Gregorij resurrexit? Ecce igitur Gregorium Nazianzenum resuscitatorem dogmatis Nicæni Concilij. Non ergo legitima & sancta,

Lib. 10. eccl. hist. cap. 27. & sequentibus.

Lib. 5. hist. eccles. tripar. cap. 20.

Lib. 11. hist. eccles. ca. 9. Eccles. hist. Trip. lib. 9. cap. 9.

cta,sed iniquà concilia & hæreticorum reijcit, qualia nos multa fatemur fuisse. Legitima verò qualia sint, satis ostensum est, atque pro captu nostro hoc loco explicatum quod ad rationem pertinet definiendi dubia fidei & ambiguos sensus scripturæ,à quibus scilicet & qua ratione fieri debeat.

Cap.80. *Modus Scripturæ intelligendæ nõ solùm collatione eius, & illustratione Spiritus sancti: sed etiam lectione Patrum, & definitione conciliorũ necessarius ostenditur.*

Sed vt his vltimam apponamus manum,illud tantùm refellendum est , quod à Brentio nobis obijcitur , ait enim verum modum scripturam exponendi non alium esse , quàm Spiritu sancto docente & illustrante scripturam scripturæ conferre, & ex apertiore obscuriorem illustrare. Me verò, inquit, nõ ad Spiritum sanctum mittere , quin potius ab impijs & immũdis corde scripturam posse intelligi dicere, cùm etiam si impij sint & immundi Episcopi iudices illos constituam definiendi fidei dubia: Non denique ad scripturam,sed hominum commenta, traditiones scilicet,patres & Concilia pro intellectu scripturę recurram. Audiat igitur quàm verè hæc dicat. Modus hìc intelligendi scripturam collatione eiusdem & illustratione Spiritus sancti,absit,vt vnquam reijciatur à nobis : id tantùm dicimus hæreticis & proprio adhærentibus sensui non hoc sufficere: quoniam non desunt eis diuersę rationes in hac scripturæ collatione,quibus vel apparenter sua defendant: illustrationem verò Spiritus sancti,quoniam interior,& occulta est,certè quò quisque pertinacior est & superbior, eò certiùs iudicat & cõstantiùs affirmat sibi adesse. Igitur vt in his nõ facilè decipiamur,vt non pueriliter rixemur in re tam graui,dum quisque dicit se sequi Spiritum sanctũ , & optimè ex scriptura scripturam exponere in patribus quos vera fuisse Spiritus sancti templa,Ecclesiæ persuasum est , vt diligentissimè scripturam scripturæ contulisse , & prædecessorum suorum tenuisse doctrinam non dubitamus. Hæc quærimus, & vbi non satis inuenimus,iudicio Ecclesiæ subijcimur. Quoniam,vt ex Augustino ostendimus,Ecclesia in ipsa scriptura nobis commendatur,& quidem in magistram nobis à Deo datur. Conferatur scriptura scripturæ:sed ita , vt quod ipsa docet Ecclesia audiatur , & traditio seruetur. Inuocetur Spiritus sanctus ab omnibus qui cupiunt Dei voluntatem agnoscere,Sensum enim tuum,meri-

Sap.9.

tò

tò inquit Sapiens,Quis intelliget,nisi tu dederis sapientiam & miseris Spiritum sanctum tuum? Certissimè scimus nullum rectè quidem & salubriter scripturæ sensum tenere,qui charitatem Dei & proximi nõ seruat: hanc neminem habere,nisi fuerit per Spiritum sanctum diffusa in cordibus nostris. Scimus spiritu illo sapientiæ , intellectus , scientiæ atque consilij fieri, vt scripturam salubriter intelligamus: quod fit, cùm secũdum eam & consilia & actiones nostras instituimus : hæc verò non nisi à spiritu esse , quo qui aguntur filij Dei sunt. Certum est igitur vt sancta scriptura intelligatur,vt non in reprobum sensum tradamur,vt deniq; ex impuritate cordis & vitæ non mereamur exæcari à Deo , & in crassissimos errores labi. Inuocandum docemus humilimè Spiritum sanctum, maximè cùm scriptura sacra legenda est & dubia fidei tractanda : sed ita inuocandus vt semper timeamus , & non audeamus nobis promittere nos certò illum habere. Quia igitur nõ audemus præsumere nobis adesse Spiritum sanctum: semper illum magis & magis inuocamus , & eius ordinationem sequentes patres audimus & Ecclesiam. Hoc itaque interest inter nos & Brentiũ: ille gloriatur Spiritus sancti lumine se illustrari : gloriatur hoc lumine , & attenta collatione scripturæ se verum sensum eius habere. Nos agnoscimus infirmitatem nostram ,& inuocantes Spiritum sanctum legimus diligenter scripturam, legimus Patres: & cùm eorum cõsensum habemus,sequimur: quanquam post hæc omnia nõdum iustificatos nos credamus. Episcoporum verò & viuentium Patrum legitima Concilia suscipimus, nec infirmitate eorum deterremur, sciẽtes quòd scriptum est, Quæ dixerint vobis facite , secundum opera eorum nolite facere: si impuro corde & vita minus Christiana fuerint,sibi nocebunt: nec ad salutem suam scripturam intelligent: interim tamen cùm in ministerio permanent, cùm ab vnitate non discedunt,speramus Deum per illos non defuturum nobis. Vbi illud vltimò cupimus à Brentio percunctari, an cum tanta clamat de imbecillitate humana , quam non aufert Spiritus sanctus ab hominibus in hac vita: cùm inquit Petrum & Barnabam humanum aliquid passos,& errasse nimium condescen-

Cap.81. *Nimia arrogantia illorũ,qui errare posse omnes homines,& errare dicentes suæ sentẽtiæ nimium inhærent ostenditur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gal. 2. dentes Iudæis. Quando Paulus de Petro inquit, quòd verè reprehẽsibilis erat: & de Barnaba, quòd duceretur ab eis in illam simulationem: cùm Patres errassent & Concilia, etiam Nicænum damnasse quod Euangelium probat, asserit, inferens inde nihil recipiendum, nisi prius exactum ad regulam certam scripturæ, cùm hæc, inquam, omnia dicit, respondeat nobis, an inter ea meminerit se etiam hominem esse, & quidem vnum duntaxat non plures? An meminerit fieri posse vt ille etiam erret: quòd si errauerit, non posse à seipso corrigi, nisi adsit superior virtus. Si horum meminit, cur quod sibi videtur putat manifestum & certum esse omnibus? Cur vel non dubitat ne & ipse labatur in scriptura diuina interpretãda, in qua lapsos esse Patres & Concilia tam intrepidè affirmat? Quòd si hoc timet, cur non putat melius sibi esse aut sententiam suspendere, aut hominem tanquam aliorum cedere sententijs: cùm non aliud agatur ab omnibus, quàm vt scriptura intelligatur? Certè aut necesse est illum nihil horum cogitare: & cùm alios dicit homines, ita sui amore elatum esse, vt se non cogitet hominẽ: qua nescio quæ maior esse possit obliuio sui, aut si hæc cogitet, præsumptuosè nimium sibi promittere quod nulli putet esse concessum: & quidem neque Aug. nec Hieronymo, nec Basilio, nec Cypriano, nec denique toti Concilio Nicæno. Quę maior, rogo, præsumptio, quàm sibi occulta cogitatione & reipsa manifestè tribuere, quòd tantæ sanctitatis & eruditionis Patribus putat non esse concessum? Igitur vel suo testimonio discat hominem se credere, & humanum nihil à se alienũ ducere. Quòd si persistat in tanta suæ sententiæ pertinacia, non dicat nos monachos omnia agere, vt religio omnis ad caputium & cingulum deducatur, vt omnia ad arbitrium nostrum fiant. Sic enim inquit, quòd ideo Episcopis tribuimus auctoritatem definiendi, quia nouimus illos & alijs intentos, & scripturæ sacræ minus studiosos omnia ad arbitrium nostrum facturos. Hoc est eius de nobis, de occultis cordium nostrorum intẽtionibus iudicium: cuius, si ita est, nos Deo rationem reddemus. Interim quod de me dicere possim & fide dignis testimonijs astruere, hoc est quod & defenderauerim, & pro virili egerim

egerim apud quoscunque potui Episcopos, vt doctrinæ scripturæ & Patrum vacent: vt non mihi & meis similibus, aut maioris quantumuis eruditionis credant: sed vt ex officio tenentur, ipsi scripturas consulant: Patres atque Concilia legant, & secundum eos iudicent, quibus conatibus satis puto ab hac Brentij criminatione me purgari, & multos longè virtute & eruditione meliores hoc etiam agere scio. Brentius verò ex suis operibus hoc velle apertè conuincitur, vt scilicet ad eum, ad suum sensum & iudicium omnis summa religionis deuoluatur. Cùm enim apertè solius Christi iudicio se velle parere affirmet, cum Principibus secularibus aduletur, & eorum magis quàm Episcoporum iudicio causas religionis agendas dicat: quid aliud agit, quàm vt ab eis definiatur cõtrouersia hęc, quorum ipse magistrum se putat, & quos à suo ore pendere nouit? Quid enim si illustrissimus dux Vvirtenbergensis aliud sentiat quàm ipse, parebit ne illi qui dicit soli Christo se velle submittere? aut non illi apertè dicet se esse doctorem, & ab eo discendam esse veritatẽ? Illius reuerà est hoc consilium, quod nobis imponit: ille manifestè in religionis causa sua sententia vult omnia agi, & ad se omnia deuolui, cui vtinam saniora & humaniora saltem consilia inspiret Dominus, vel saltem suis det oculos ad cauendos tam manifestos laqueos & vitanda præcipitia tam grandia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

L. 3. De vtilitate & necessitate aliorum iudicio sine suo proprio credendi.

Cap. 1. Quæ dicta sunt superioribus locis. Quid hoc loco agendum.

QVanquam ex his quæ dicta sunt, responsum sit satis Brentio suisque quatuor locis: in his enim duobus de Ecclesia scilicet & de eius circa dubia fidei iudicio, & de Principũ secularium & Episcoporum auctoritate & gradu, de scriptura, de traditionibus, de Patribus & Concilijs de quibus Brentius agit, dictum est quantum prò captu nostro & ad confirmandos pios, & refellenda quæ ille contra venerandam antiquitatem Patrum atque consuetudinem antiquitus fundatam in Ecclesia loquitur sufficere possint. Quia tamen cupimus, quãtum nobis concedit Dominus, laqueos errorum simplicioribus detegere, & aduersus illos fidei cautissimam prudentiam opponere, de eius solùm gratia, & misericordia hisr, qui syncerum hoc desiderium nobis dedit, aggrediemur ostendere quomodo sub specie quadam pietatis & Scripturæ sacræ, non pietatem sed superbissimam libertatem Lutherus & sui maximeque & apertiùs Brentius nunc docet, & qualiter sint cauendi.

Cap. 2. Libertatis spẽ maximè homines trahi ad peccatũ.

Igitur quoniam inter cætera quæ hominibus naturali quadam propensione charissima sunt, non minimum est libertas illa & ab omni subiectione immunitas (pro hac enim aut seruanda aut recuperanda insitum esse hominibus vsque ad mortem etiam decertare, totius seculi & nationum omnium historia docet) hinc fit, vt fallax & deceptorius spiritus, qui præ se ferre semper conatur pulchrum aliquod & nimium amabile homini vt decipiat, frequentissimè aut certè semper libertatis speciem præsentet, & offerat: vt à Deo atque obedientia eius abstrahat. Nouit enim quàm sit homini amabilis libertas, quantum cupiat nulli subditus esse, id quod etiã agit, quoniam vitium hoc cognatum est eius naturæ, sed maximè eius superbiæ, nec potest quæ sibi maximè grata sunt non cupere hominibus persuadere. Hoc primùm ille voluit, Super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero altissimo, quod

Esa. 14.

non

non aliud est, quàm subiectionem aspernari. Hoc primis hominibus persuasit, vt meritò toti humanæ naturæ propter illos dicatur, A seculo confregisti iugum, rupisti vincula & dixisti, non seruiam. Denique impiorum omnium & iniquorum & certè ipsius qui omnium ipsorum est caput vox illa est aduersus Dominum & aduersus Christum eius: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Libertas porrò aut omnino, aut magna ex parte in ratione atq; cognitione est, quæ facultas est inter corporeas omnes creaturas homini propria, per quam cæteris præstat animantibus, & Deo ipsi similis est, eique naturæ huius ingenuitate subditus, non ipsis Angelis, multoque minus alicui alteri creaturæ: sed ei soli, à quo solo & conditus est & beatus esse potest: tota itaque humanæ naturæ ingenuitas à ratione est. Vnde rationis libertatem & ab omni subiectione exemptionem, inter cætera quæ volumus, cõuincimur omnes homines nõ postremo loco ducere. Et sanè, si rectè expẽdamus ingeniũ, mores & studia humana, nos docet nihil esse homini durius, q̃ vt rationem ipsam iugo subdat seruitutis. Corpus eiusque membra, manus & crura ligari, & teneri, atque impediri eius exteriora opera, & ad alia trahi durum quidem & difficile est homini: sed adeò minus graue hoc illi est, quàm rationem ligari aut teneri, si id vllo modo fieri potest, vt si illa libera dimittatur, omnia alia facilimè sit passurus, imò iam non passurus, sed libenter & gratãter sibi ipsi imposturus. Si enim cum eo, quem vi cogis, ratione agas: si hoc quod vinculis & compedibus obtinere vis ostendaris vel ei vtile esse vel honestum, vel denique necessariũ si monstraueris ratione, quòd hoc sit officium ab eo debitum, vel lege aliqua iusta, vel quòd in ea iam conditione est, in qua necesse sit ei hoc pati: ipse hac ratione constrictus imponit sibi, si rationalis est & honestate tenetur, sine vinculis hæc ipsa quæ vinculis conabaris illi imponere. Et denique quo plus cũ aliquo ratione ages, magis liberaliter & vt dignum est cum homine ages: eoque ille libentiùs operatur, & liberior sibi videtur. Vsque adeò nulla est captiuitas hominis ratione libera manente, vt hoc proprium seruitutis esse Christus ostendat, agi moueriq̃ue

Hierem. 2.

Psalm. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rique ab alio cuius ignores consilia atque rationem. Seruus, inquit, nescit quid faciat dominus eius: & ideo ait, Vos non dicam iam seruos, sed amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Hæc est itaque magna libertas quæ omnem aufert seruitutem: cognitio earum rerum, quæ agis, atque rationis & finis propter quæ aguntur. Qui enim ita agit ingenuè, certè & liberaliter agit, & quanquam conditione sit seruus, si tamen aut beneuolentia domini consiliorũ eius rationisque particeps fiat, vel virtute propria atque prudẽtia, ratione vigeat, animoq; nõ deijceatur, liber est. Sicut Hieron. de Platone inquit, quòd captiuus, vinctus, & seruus atq; crudelissimo tyranno parens: tamẽ quia philosophus, maior emente se fuit.

Ioan. 15.

Epist. ad Paulinum.

Cap. 3. Quantũ Deus ànobis subiectionẽ intellectus requirat, & quantũ Diabolus conetur cõtrariũ persuadere, ex primordijs humani generis ostẽditur.

Quæ omnia eò dicta sunt vt nouerimus, quòd cũ nulla alia specie magis blandiatur spiritus erroris, quàm libertatis: maximè verò hoc agit, cùm specie scientiæ atque cognitionis rationali homini blanditur. Scientiam enim largiri homini, hoc verè est intellectum in libertatem asserere. Meritò itaque, vt hanc esse grauissimam tentationem homini nos doceret scriptura apertè ostendit, quòd hoc primùm Sathan promiserit nostris parentibus, atque hac ratione eis persuasit defectionẽ à Deo, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Vides apertè sciendi appetitum, libertatem scilicet intellectus, primũ fuisse aditum Sathanæ ad hominem. Vides curiositatem & immoderatæ scientiæ immoderatum appetitum, initiũ esse omnis peccati hominis. Contrà verò Deus qui condito à se homini bene consulere decreuit, hoc ei maximè expedire videns, vt quando creatura est, atque ex nihilo producta, & in nihilum tendens: quando ex se tenebra est, obscuritas & ignorantia, soliusque participatione eius, à quo est & bonus & sapiens esse potest: illi sit semper coniunctus, illi subditus: id primùm ab homine requirit, vt intellectum atque rationem, quod primum in eo est, Deo subijciat, atque in seruitutem redigat, firmissimè credens quæ vel promittuntur, vel mandantur, aut solùm reuelantur à Deo absque vlla ratione, absque vlla inquisitione maiori certa, optima, verissima esse. Hæc est fides gratissima Deo, sine qua, inquit Paulus, impossibile est ei placere. Accedẽtem enim ad

Heb. 11.

ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est. Hęc est fides illa tam frequenter commendata in Abraham ab ipso principio vocationis Dei vsque ad eius consummationem. Quod Paulus specialiter annotauit, Exijt, inquiens, nesciens quò iret. Vides intellectus captiuitatem: si sciret quò ibat, nulla esset rationis seruitus: parum tribueret Abraham Deo: sed nescientem quò iret Deum sequi vocantem, hoc est credere Deoque rationem subijcere. Hoc igitur Deus requirit, hoc primò ab homine exigit, quod in primis ipsis nostris parentibus etiam ostendit, interdicens eis à ligni esu mortemque comminatus: quod hac etiam ratione hoc eum fecisse constat, vt integra ei adhiberetur fides, cùm à re non natura sua mala, non aliam deterrendi rationem habẽte, imò verò maximam vim alliciendi ad tantam suam pulchritudinem, quàm quia à Deo prohibebatur, interdixerat illi. Meritò igitur Sathanas ipse aduersarius diuinorum operum, necessaria malitiæ suæ ratione inde exorsus est, quod minimè hominem cogitare decebat: rationem ab eo exigens, & ad libertatẽ quandam intellectus eos vocãs. Cur, inquit, præcepit vobis Dominus ne comederetis, &c. Quem aditum si vera fide, nullaque vel minima verborum Dei dubitatione, imò deliberatione certissima de verbis Dei nihil in dubium vocandi, nullam rationem inquirendi excluissent parentes nostri, statim in ipso principio superatus esset aduersarius. Sed dum extorsit incautis hominibus vt de præcepto Dei dubium mouẽtem audirent, cùm cœpisset eis arridere illa rationis inquisitio libertasque à seruitute, facilè in curiositatem & superbiam traxit. Vt horum itaque duorum tam contrariorum operum consideratione, & bonum fidei captiuitatisque intellectus in eius obsequium, & malum curiositatis & inquisitionis superfluæ vltrà quàm scili cet ordinationis diuinæ regula constituit, agnoscamus: Deus primò omnium hanc fidem exigit ab homine: Diabolus hanc primò curiositatem inuexit illi. Qua tentationis specie non tunc solùm lubricus ille serpens vsus est: sed frequentissimè etiam deinceps vtitur, & propterea semper nobis timendus à Paulo dicitur: admonemurque omnes id cauere non solùm verbis

Cap. 4. Quòd Sathanas ipse per hæreticos frequẽter cognitionis, & scientiæ spẽ decipiat, & ad curiositatem ducat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Cor. 2.

verbis, sed exemplo etiam. Inquit enim, Timeo ne sicut serpēs Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Hic est zelus ille Apostolicus, hæc est diligens illa custodia, qua fidelis seruus sponsam domini sui zelat & obseruat. Aemulor enim vos, dixerat priùs, Dei æmulatione: despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Hæc est ergo Christianæ animæ castitas, hæc, quam Christo seruare tenetur, fides, vt à simplicitate non excidat, quam si Eua seruasset, nequaquam fornicata esset à Deo: nec semen illud quod à Diabolo concepit, peccati & damnationis in nos trāstudisset. Quare meritò nos admonet Paulus, vt vel saltem illius malo nobis caueamus, ne excidamus à simplicitate quæ est in Christo Iesu: à qua sanè simplicitate excidere non video quid iuxta contextum literæ meliùs possimus intelligere, quàm diuinarum rerum vltra regulam ab eo præfixam perscrutationem, & scientiæ non veræ sed inflantis desiderium. Hac itaque tentatione Pseudoapostolos vsos esse, satis eo loco Paulus indicat, atque ea auertisse Corinthiorum animos à se. Et quidem semper hæretici splendorem scientiæ ostentare conati sunt, eamque promittentes à fidei illa simplicitate, quam Deus exigit, incautos auerterūt. Ex scholis philosophorum, ex vana illa curiositate constat priores hæreses ortas esse, dum rationem creationis rerum non ex scriptura, sed ex his quæ apud Philosophos legerant, superba ingenia discere maluerunt: aut certè vtrumque confusa quadam ratione commiscere. Hinc Valentini Marcionis & aliorum fabulosas ἀιῶνας fuisse constat: hinc Menandri & priùs Simonis error, Creatum mundum ab Angelis: Hinc innumeri illi cæli, & creatio hominis ab illis conficta à Basilide: & denique Manichæi inter hos omnes mendacissimi. Hac specie scientiæ, vt Augustinus oculatus testis manifestat, conabantur decipere, dum promittebant omnibus rerum omnium liquidissimam rationem: nec quicquam credendum esse hominibus asserebant, quod priùs certa ratione non ostenderetur. Fatetur Aug. & deplorat in quantas tenebras & crassissimos errores spe hac scientiæ lapsus fuerit, & quàm longo tempore ab eis detentus.

Lib. de vtil. credendi.

Huic

Cap. 5. Ostenditur quantū huic Sathanæ tētationi accedat sententia B. quæ asserit nulli licitum in causa æternæ salutis alterius sententiam sequi sine proprio iudicio.

Huic igitur errori specie quidem dissimillimum videtur, quod nunc Lutherus & sui agunt: sed si attentè cogitetur est reuera quàm simillimum. Deterrent illi à philosophia & humanis rationibus, puritatem scripturæ iactant: sed sub his omnibus proprium sensum ingerunt, contemptis Patribus, & rebus omnibus quæ ad verum scripturæ sensum agnoscendum nos adiuuant. De quibus satis iam dictum est. Sed hoc loco aperire conamur errorem grauissimum, quò omnis eorum conatus iam olim & ab ipso initio satis à prudētibus agnoscebatur tendere, & eidem inniti: sed nunc à Brentio, sicut alia quæ diximus, manifestè detectus est. Vociferatur enim & apertè docet, quòd non solùm ad vnumquemuis priuatum hominem pertineat de doctrina religionis iudicare, & veram à falsa internoscere (hæc enim sunt eius verba quæ superiùs citauimus) sed hoc etiam addit, nullo modo licitum esse in causa ęternæ salutis alienæ sententiæ ita hærere, vt eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur: sunt enim & hæc propria eius verba. Itaque non solùm iudicium de rebus religionis & fidei, & quidē de omnibus, maximè verò dubijs & controuersijs (de his enim loquitur) permittit omnibus: sed etiam imponit, & sub dispendio salutis omnibus necessarium asserit, non solùm iudicare, sed iudicare ex suo proprio iudicio, nec sequi alterius sententiam. Vbi vide, rogo, quò peruenit species illa modestiæ noui huius Euangelij, cuius prædicatores nihil magis clamāt, quàm renunciandum esse humanæ rationi, solam diuinam auctoritatem sequendam: quæ rogo maior species modestiæ? sed econtrà quæ immodestia maior, quàm de ipsa scriptura, de ipsa fide iudicium tam integrum cuilibet permittere: imò imponere, vt nulli sit licitum alterius iudicium sequi, & renūciare proprio? Non, inquit, licitum est alienam sententiam sine nostro ipsorū iudicio amplecti. Verbum certè nouum, verbum inauditum & mirabile. Nullo modo, inquit, licitum est, hoc est, nulli homini cuiusuis ingenij aut conditionis, nulli idiotæ, nulli vetulæ licitum est, alienam sententiam sine suo iudicio sequi in causa salutis æternæ. Ex quo fit, vt nec licitum illis sit non inuestigare diligenter scripturas, earum sensus de his rebus, quæ

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad æternam salutem pertinēt, & eousque inuestigare & disqui rere quousque proprium habeant iudicium, & non ex alterius sententia, nec quod alter, quisquis ille sit, siue quotquot & qua lescunque sint, docent aut sentiunt, sequatur: nisi propriā sententiam habere possit.

Cap. 6. Declaratur sentētia Brētij, & rationes eius proponuntur.

Et ne puerilia agamus, nouimus quidem nihil ab homine, qua homo est, nihil, inquā, humanè fieri sine proprio iudicio & sensu: maximeque quod ad credendū pertinet: quicquid ab homine fit, non aliter fit, nisi quia iudicat id ita sibi faciendum esse. Hoc proprium iudicium est, sine quo nulla humana actio esse potest. Non credit homo, nisi vt Augustinus inquit, volēs: quod si volens & iudicans ita sibi volendum esse: atque eadem ratione de rebus cunctis hoc est iudicium, quod humana ratio necessarium docet: hoc, inquam, iudicium quod ex quacunq;, aut vera, aut falsa, aut à se, aut aliò cognita ratione haberi potest, non opus erat in rebus fidei, & in causa æternæ salutis à Brentio doceri, quod in omni re certum est esse. Sed quoniam est etiam iudicium de non iudicando, de relinquendo iudicio superiori sententiæ sine Deo, nihil ipsi iudicantes, sed alterius sententiam sequentes, non aliud his verbis à Brentio agitur, quàm vt persuadeat in causa salutis æternæ hoc illicitum esse: quod, vt verbi gratia dicamus, inquit Apostolus contra eos, qui temerè opera fratrum damnant. Non ergo amplius inuicē iudicemus: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculū fratri vel scandalum. Ecce iudicium de non iudicando fratrem. Simili ratione à Brentio quæram, an licebit mihi dicere simplici mulierculæ, vel idiotæ rustico, denique cuicunque alteri, cui vel non conuenit ex officio quo in Ecclesia fungitur, vel non vacat lectioni & studio rerum difficilium intendere. Noli iudicare de his, quæ controuersa sunt circa fidem: noli audire rationes nouatorum: quia non satis exercitatos habes sensus ad discretionem boni & mali: noli ergo aliter iudicare: sed hoc iudica tantùm, vt offendicula, & scandala, quibus eorum verba plena sunt, caueas: sequaris verò catholicorum iudicium, hoc est eorum, qui in antiqua religione, sine vlla innouatione permanent. Huic certè quæstioni respondet Brentius, & hoc agit

Rom. 14.

agit omnibus neruis, vt nulli hoc licitum esse affirmet. Iubet Christus, inquit, ille, vniuersæ Ecclesiæ, & singulis eius membris: Attendite à falsis prophetis, &c. Quicunque ergo, cuiuscunque sit ordinis, tenetur cauere sibi, quocunque modo potest, à falsis prophetis. Quomodo autem cauebunt, nisi priùs iudicauerint ac cognouerint qui sint Pseudoprophetæ & impij doctores? Paulus exigit, vt si ipse, aut Angelus de cælo prædicauerit præter id quod priùs docuerat, anathema habeatur. Ergo ait Brentius, eo ipso exigit, vt diligenti studio expendat, vtrum, quæ prædicatur doctrina, etiam ab Angelo consentiat, vel pugnet cum Euangelio quod diuinitùs confirmatum est in Ecclesia. Ioānes maioribus & minoribus natu dicit, Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, an ex Deo sint: Quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. Ad singulos ergo ait, pertinet hoc præceptum, vt cognoscant, & iudicent quam doctrinam probare, quā refutare debent: etiam si sit concilij, etiam si omnium hominū, quandoquidem etiam si Angelorum sit, probanda est. Ad hæc, Christus inquit, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum. Nemo verò ait Brentius potest ex vera & certa fide Christum & Euangelium eius confiteri etiam cum periculo omnium facultatum, vt verba illa obligant, nisi ante cognouerit, & certò statuerit certum esse Euangelium, & verum, quod sequitur. Denique lex iubet patres, inquit Brentius, vt doceant filios suos, vt verba legis meditentur. hoc ad omnes pertinet, non ad solos filios Aaron. Quomodo verò docere possunt legem nisi priùs cognouerint, & iudicauerint illa esse verba legis? Hæc sunt rationes Brentij, quibus proprium iudicium omnibus necessarium esse circa omnia fidei mysteria docet, omnibus, inquam, quando ad omnes pertinet confiteri Euāgelium, cauere à falsis prophetis, docere suos. Vide itaque apertè qualiter proprium iudicium erga singula dogmata fidei cuilibet tribuit: vide, vt non permittit in causa æternæ salutis (vt inquit) alterius iudicium sequi, & iudicare sibi non esse iudicandum.

Cap. 7. Quod B. sententia imposfibilē reddat salutē simplicibus et ideotis, deniq; maxipartiem Christianorū

Et quidem præcedenti loco satis ostensum est, quantum hæc sententia schismatis & dissensionis interminabilis gignat in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Ecclesia : vt si in ea hæc ratio credendi seruetur, q̃ verissimè impleatur illud, quod scriptum frequenter legimus in libro Iudicum: Non erat Rex in Israël, sed vnusquisque, quod sibi videbatur rectũ, in Israël id faciebat: nec possit, aut debeat alius de alterius fide curare: cùm quilibet possit, & debeat suum iudicium sequi. Nunc autem, quàm sit saluti omnium perniciosum, quàm alienum ab omni fide, ad hoc omnes astringere, vt sine proprio iudicio nihil erga religionem, & fidem amplectantur, est nobis attentè considerandum, & detegendum quanta lateat hîc Sathanæ fraus. Certè necesse est, vt qui hæc loquitur, vel ipse sic deceptus sit, vt eo iam tanquam instrumento aptissimo vtatur Sathanas, ad alios decipiendum: aut quod multò est grauius fallere tãtùm velit, & quod falsum nouit, alijs persuadere. Nos verò nolimus tantum facinus Brentio tribuere, sed affectu quo tenetur, loqui credimus: ideoque ferat patienter si fraudes has Sathanæ, quibus nescius tenetur, detegamus. Primò igitur intueamur in quanta pericula inducat maiorem Christianorum partem, in quæ discrimina & præcipitia trahat: quàm difficilia imponat, quàm ardua & excedentia vires plurimorum exigat hęc sententia. Illud certum est fidem omnibus esse necessariam ad salutem: sine illa nec paruuli, nec magni, placere possunt Deo. Si igitur nullus licitè potest in causa æternæ salutis, ad quam certum est pertinere fidem, sine proprio iudicio alterius sententiæ inhærere: necesse est omnem, qui verè credit, proprium iudicium circa singula etiam habere, non aliunde, vt manifestum est, eum docere, quàm ex ipsa scriptura sacra, veroque eius intellectu: non ex alterius solùm sententia, sed proprio suo concepto. At verò & sententia omnium Patrum, & certa experientia constat, scripturam non posse verè intelligi in quamplurimis, nisi ab exercitatis, & diu, multumq; in ea versatis: nec in ea tantùm, sed in lectione etiam antiquorum, & fide dignorum Patrum, quos constat cum magna laude scripturas tractasse. Nullus dubitat eũ, qui ad scripturas intelligendas accedit, nihil posse, nisi multo studio, diligentiq; diuersorum locorum & scripturæ, & Patrum circa dubia & difficilia agnoscere. Nullus igitur potest licitè quicquam credere

dere, nisi priùs tam sufficiens & diligens studium scripturæ sacræ, patrumq; doctrinis adhibuerit: vt proprium circa omnia dogmata fidei, scripturæq; sacræ difficilia loca possit habere iudicium. Nec enim temerarium iudicium, quod scilicet sine sufficienti causæ examinatione cõcipitur, credimus Brentium docere, in rebus, quæ ad salutem æternam pertinent, ex proprio ergo iudicio, maturo, graui, & digna tantæ rei consideratione habita, vult omnes de omnibus iudicare, quæ ad religionem & fidem pertinẽt. Meritò igitur exclamabimus. Quis poterit saluus fieri? quis inquam paruulorum præcipuè, ideotarum & simplicium est, qui possit hoc studium scripturæ sacræ adhibere? inter quos quanti sunt, qui nec linguam ipsam scripturæ, aut Latinam, aut Græcam intelligere possint, nec etiam in vulgarem suam linguam translatam legere. Denique et si vtrumque possint, tamen sine longo studio, sine multa lectione, & sapientium atque exercitatorum doctrina à nullo valet sacra scriptura plenè, perfecteque agnosci: quod satis proximo loco probauimus: quod Hieronymus & Augustinus, & denique omnes Patres & verbis, & operibus fatentur. Mittendi sunt igitur omnes, qui salui esse volunt, ad scholas, ad assiduum studium scripturę, & iubendi sunt totam vitam huic studio insumere, vt videlicet non ex alterius sententia: sed ex proprio ipsorum iudicio, quicquid credunt, agnouerint. Verum esse Euangelium, veroque sensui scripturæ conuenire: quis rogo vnquam tam difficilem reddidit salutem hominibus? quis idiotis, & simplicibus vsqueadeo vnquam clausit viam salutis? vt manifestè hæc sententia claudit, quod vt magis explicetur, quæramus à Brentio, quando ad hoc, qui credunt, tenentur; quando non licitum est alienæ sententiæ sine proprio iudicio inhærere. Num cùm aliqua res fidei in dubium verti cœperit, hoc enim & si non parũ difficile, vtcunque tamen rationabile, & quod tolerari possit videbitur forsan alicui, vt scilicet, cùm de re aliqua fidei in Ecclesia cœperit dubitari, & controuerti, teneantur omnes diligenti studio proprium iudicium non ex aliorum sententia formare: quod tamen non parum cõstat multorum saluti esse contrarium, qui de his iudicare non possunt. At verò Brentius neque hoc contentus est, sed omnes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui tenentur ad confitendam fidē, ad cauendos falsos prophetas, ad quæ sanè constat omnes omni tēpore teneri, & ad id paratos esse deberi, obligat, vt sinè proprio iudicio alienā sententiā non sequātur: nempe quia agitur de æterna salute. Mox igitur à principio fidei suscipiendæ, mox vt cuique credendū est, proprium iudicium non ex aliorum sententia quisque tenetur habere, alioqui Brentius dicet, eum non satis facere his præceptis diuinis de confitenda fide, & cauendis falsis prophetis.

Cap. 8. Quod hæc Brētij sententia Manichæorū errori de necessaria scientia ad credendū similis eodē modo, quo illa superbos, & aliorū cōtemptores efficiat suos, & in præcipitia deducat.

Vide itaque quàm proximè hoc accedit ad Manichæorum errorem, illi enim nullum volebant credere nisi priùs rationē agnosceret, & apertè intelligeret: hinc fiebat, vt minus capaces, rudesque omnes, primò quidem auerterent à credendis his, quæ in scriptura sacra veteris Testamenti, vel secundū aliquā metaphorā & similitudinē de Deo dicebantur: quę reuera illi cōuenire non possunt: vt illud, Iratus est furor meus: Pœnitet me fecisse hominem: Leuabo ad cælum manum meam, & huiusmodi alia: vel quæ secundum dispensationem illorū temporum, & rationem propheticæ vitæ in gestis sanctorum patrum leguntur, minus conuenientia tempori Euangelicæ gratiæ reuelatæ: vt de quatuor vxoribus Iacob, de Agar, Abrahæ tradita à Sara, & similibus alijs. Deinde verò eosdē hac ratione qua docuerant eos illa reijcere, & confutare, quod Augustinus inquit facilimum quidem erat, licet id ipse, cùm eo errore laboraret, nondum agnosceret: hac inquam ratione suos præsumptuosos iam, & aliorum contemptores effectos, nec tamē rerum spiritualium capaces: cùm ad Dei naturam cogitandam transferrent in crassissimos errores, & fabulas portentissimas deducebant, quod necesse erat ita fieri: vt qui nondum capaces erant cogitandi diuinam naturam, quò maiori præsumptione, atque conatu hoc aggrediebantur, eò magis tantæ lucis splendore excæcarentur: & à tam alto loco ruentes, in infima lapsi hoc ipso præcipitio superbientium animarum vires confringerentur. Sic factum, vt qui tumore scientiæ inflati simplices, & humiles, & ipsam Scripturæ sacræ maiestatem propter humilitatis speciem contemnebant, in tam crassos errores incíderent: vt ab omnibus meritò contemnerentur. Hoc dicent nouatores nostri se non agere, qui omnes ad credendum primò omnium admoneant. Sed vide, quàm aliter sit: & quàm verè in hoc proprio iudicio circa fidem omnibus permittendo imò & imponendo Manichæorum errori appropinquent: & demum ad illorum præcipitia, & pericula deducant sibi credētes. Credere admonent omnes: sed soli Scripturæ sacræ soli inquam ita, vt eidem dubiè, obscurè, & in diuersos sensus à diuersis interpretatæ, non credant, nisi ex illa declaretur, denique vt in hoc nullius sententiam sequi possint, nisi quam suo ipsorum iudicio probauerint. Cogita ergo nunc, qualis sit hæc fides, nempe proprio iudicio inhærens: nam alienæ sentētiæ inhærere prohibent, suo verò proprio iudicio omnino præcipiunt. Non exigūt quod Manichæi à suis, vt prius quàm credant, sciant, & agnoscant rationem: sed iubent, vt prius quàm credant, scripturam scrutentur. Hoc enim ex exemplo Actuum Apostolorum confirmat Brentius. Thessalonicenses nobiliss. suscepisse verbum Pauli, & Silæ cum omni auiditate, quotidiè scrutantes scripturas: si hæc ita se haberent, ecce inquit Brentius, Pauli spiritū, atque doctrinam exigunt ad scripturas: omnes igitur ad hoc agendum horum exemplo admonet: itaque iuxta hæc, & quæ superiùs diximus, siue cùm in dubium aliquod ad fidem pertinens venire inceperit: siue mox à principio cùm suscipitur fides, diligenter discutienda est scriptura: & proprium iudicium de ea habendum. Quis autem, vt dictum est, non rideat, hoc non minus supra captum simplicium esse, supra vires, & facultatem, supra otium, & tempus populorum, & turbarum, quibus nec magis est facultas scripturam legendi, quàm certam scientiam, & cognitionem eorū quæ credenda sunt, quam Manichæi docebant, attingere. Certè si dicerem omnibus, Nisi scripturam legeritis, & quidem ita legeritis, vt ad eam possitis exigere omnem fidem vestram, & proprium formare iudicium, non potestis præceptis Euangelicis satisfacere, quis eos non desereret? quis non videret vix vllum relinqui, qui posset saluus fieri: sed imponi omnibus importabile iugum? non certè minus quàm Manichæi imponebant, cùm scientiam liquidissimam naturę diuinæ necessariam

Act. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus antequam crederent affirmarent: putáſne minus difficile eſt linguam ſcripturæ familiarem habere, phraſes eius perſpectas, & agnitas tenere, diuerſa loca & in faciem pugnantia poſſe conferre, & denique in diuerſitate ſenſuum, & ſcripturæ proprium habere iudicium quàm ſciẽtia illa Manichæorum? Certè nõ minus hoc impoſſibile ſimplicioribus, & idioris: quare in primis illos à ſalute deterret, & quidem omninò excludit hæc ſententia. Sed audi, quid deinceps agunt, dum enim hoc ſpecie quadam nimium blandientis cognitionis, atque ſcientiæ ſimplicioribus cœperint perſuadere: mox aggrediuntur docere eos ſcripturas, idque ex ſuo ſenſu. Docent eos Hieronymum erraſſe, atque alios, & in ſcripturis exponendis ſibijpſis contradicere: moxque ea lota proponunt, quæ prima facie, & vt illi dicunt, ſimplicisſimè acceptа ſuis ſenſibus fauent: quod non eſſe difficile exercitatis in ſcriptura ſatis eſt manifeſtum: atque ita doctos eos in ſcriptura, aut ſe facturos, aut magna ex parte iam feciſſe perſuadent. Hoc nónne ſimilimum eſt Manichæis, qui, ſpecie ſcientię oblata ſuorum oculis, docebant eos, quæ iuxta corticem in ſcriptura erant, non intelligere: ſed reijcere. Ipſiſſimum eſt, quod noſtri faciunt aduerſarij: ſcripturæ ſcientiam promittunt, & neceſſariam docent: & mox ſuperficiem eius vocantes ſimplicitatem, & germanum ſenſum, docent patrum ſenſum reijcere: vnde & eorum etiam, ſicut Manichæorum, diſcipuli inflati cognitione ſcripturæ, quam ſibi tribuunt, neceſſe eſt vt excæcentur, & quotidie cæcitate ipſa magis ſuperbiant, & in maiores ducantur errores: ſic neceſſe eſt, & ſic nos docet omnis hiſtoria & ſcripturæ, & eccleſiæ factum eſſe, atque hac ratione. Vides igitur vt noſtri nouatores noſtri cognitionem offerant, ad hanc alliciant omnes: ſed conferant non aliud, quàm proprium ſenſum: hoc eſt ignorantiam oportuit ſpecie quadam, & apparentia ſcripturæ. Oſtendamus hoc exemplo aliquo. Cur, inquit Paulus, conuertimini ad egena, & infirma elementa, quibus denuo ſeruire vultis: dies obſeruatis, & menſes, & tempora & annos: hoc omnium oculis Lutherani præſentant: inde quicquid in lege veteri fiebat ſacrificiorum, & cæremoniarum, oblationum,

Cap. 9. Exemplis manifeſtatur, q. ſub ſpecie ſcientiæ ſcripturarum Lutherani in errores, & ignorantiã ſuos inducant.

tionum, vnctionum, & reliquarum obſeruationum religionis & cultus Dei illicitũ dicunt Chriſtianis: ſicut præſcriptionem feſtorum dierum. Nam verba hæc Pauli inquiunt, manifeſtè hoc ſignificant, cùm eorum diſcipuli hoc crediderint verborum hac ſpecie illecti, mox & dies feſtos Eccleſiæ, & chriſma ſacrum, & ieiunia reijciẽda credunt: contemnuntque omnem antiquitatem Eccleſiæ, & ſenſus certiſſimos Patrum. Inde facile eſt in alia, & alia trahere: vt reijciatur peccatorum confeſſio, contritio, & pœnitentia poſthabeatur, & fidei ſolius iuſtificantis ſplendore quodam craſſiſſimæ tenebræ in eorum cordibus generentur: ex quibus demum eò venitur, vt nulla agnoſcatur Eccleſia firma, & ſtabilis: nec deferatur laus vlla, vel locus detur Deo, ſacratæ virginitati, cœlibatui, atque omnimodæ continentiæ, imitatio paupertatis Chriſti, abiectioque temporaliũ omnium diuitiarum ſuperſtitioſa, & quidem ſacrilega habeatur. Vnde rogo, niſi quia priùs aſſueuerunt ſequi propriam ſentẽtiam, & quod prima facie offert ſcriptura. Certum eſt enim illud facilius eſſe, & applauſibilius imperitorum, & ſuperbientium maximè auribus. Mox vt audieris verba illa Pauli reprehendentis obſeruatores dierum, intelligere in vniuerſum hoc prohiberi ab Apoſtolo: vel cùm legeris illa alia, adoleſcentiores viduas volo nubere, illud accipere, quaſi prohibeat Paulus eas in cœlibatu viuere. Hoc agunt, qui proprium ſenſum in ſcripturis ſequi volunt: in ſcriptura inquam nondum primis labijs vel degũſtata, imò nec ſalutata à limine: ſed à nouis his doctoribus dilaniata, & diſcerpta, ſimul cũ doctrina Patrum.

Cap. 10. Quàm temerè iudicẽt de ſenſu ſcripturæ Lutheri diſcipuli.

Quorum auditoribus ſi ego dixero, nolite hæc ita intelligere, longè aliter locum hunc dies obſeruatis, &c. interpretatur Aug. & alium, volo adoleſcentiores viduas nubere, longè aliter intelligit Chryſoſtomus, Hieronymus, & eodem modo de cæteris omnibus locis: legite ergo potiùs illos, ſequimini illos, quibus nulla ratione veſtri comparari poſſunt. Certè quid reſponſuri ſunt nõ video, niſi hoc tantùm, quod ſibi melior videtur ſuorũ ſenſus, quòd non poſſint ſequi alterius ſententiã niſi ſuo ipſorum iudicio, quòd in his omnibus conſentit cum hoc, quem ſui magiſtri eos docent, ſenſu. Quibus ſi rurſum di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

xero,& cur vos iudicium vestrum tam breui momento conceptum,tam sine studio,& labore in voluenda scriptura, cuius paucissimas nostis sententias: quare inquam hunc tam leuiter inuectum cordibus vestris sensum præferre vultis sensui Augustini,& Hieronymi: quibus multò manifestius est, vos non esse comparabiles, quorum labor & assidua lectio: continua oratio,& puritas(quibus scriptura sacra intelligitur) manifestissima sunt in Ecclesia: Cur inquam non prudentiùs, non tutiùs horum sequimini iudicium: nisi quia sine causæ perfecta cognitione,sine lectione doctrinæ horum patrum, ex affectu in vestros doctores, ex falsis eorum vel criminationibus patrum,vel interpretationibus iudicatis:atq; ideo,temere? Nonne ergo melius est iudicare, non esse vobis iudicandum: non posse vos in his scripturæ dubijs proprium habere iudicium, quas nec legere vacat: multò verò minus omnem patrum doctrinam,quæ ad cognoscendam causam necessaria est? Quid rogo respondere possunt?nunquid,quia prõprium iudiciũ habere debent, licet quòd libuerit iudicare. Quòd si non licet, quod nullus negat:videant quàm temere iudicent sine vllo labore,sine vlla vera scientia scripturæ, cẽsentes de his,circa quæ audiunt errasse doctissimos, & sanctissimos quosque. Agnoscant ergo quàm graue onus ipsis imponant,& in quanta præcipitia deducant,qui volunt eos proprium iudicium habere.

Cap.11. Modestia catholicæ Ecclesiæ,quã suos docet in intelligẽda scriptura,et mysterijs eius proponitur.

Longè certè aliter Catholicæ fidei modestia docet, multò suauiùs,& tutiùs,salutique omnium conuenientiùs: admonet omnes,quod ad cognitionem attinet,quemque sua sorte, suo gradu,atque dono contentum esse: nec quicquam quærere, quod captum suum excedat:sed simplicissima fide cõtentum, ex manifestissimis morum præceptis ad puritatem cordis, ad Dei & proximi charitatem magis, magisque indies accedere: atque ita diuinæ charitatis,& beneficiorum eius assidua meditatione,& humilima consideratione familiariorem Deo fieri, & his impetrare earum rerum,quæ ad salutem suam pertinent, iudicium, & cognitionem quantum satis sibi esse possit. Hæc est Christianæ animæ præparatio: hoc verum studiũ sacræ scripturæ,quod non solùm imperitis non est impossibile, sed facilimum

limum,etiam & magis his peruium, quàm sapientioribus, & doctioribus:propter quod clamat Christus, Abscondisti hæc à sapientibus,& prudentibus,& reuelasti ea paruulis: nec verba hæc sola Christi,sed multò mãgis res,ob quam dicebantur, hoc manifestiùs ostendit. Messiam desideratum tam diu à Iudæis non agnouerunt sapientes,& scribæ, sed idiotæ piscatores. Hoc vnum ex maximis gratiæ mysterijs,de quo Paulus dicit,Infirma mundi elegit Deus,& ignobilia,& contemptibilia, & ea quæ non sunt. Nonne manifestissimè nos docet humilibus,& idiotis non solùm locum esse apud Deum: sed etiã primum?Ipsis etiam exercitatis, & doctis tantò melior, & Deo propinquior locus patet: quò humiliores sunt, & minus sibi ipsis fidunt:iuxta illud saluberrimum consilium: Ne imitaris prudentiæ tuæ,& ne sis sapiens apud temetipsum: quæ si rectè pensemus,ostendunt maximè expedire omnibus; sed simplicioribus ampliùs,aliorum inhærere sententiæ,in causa salutis æternæ,sine proprio iudicio:hoc est enim contrariũ sententiæ huic Brentij. Nec enim vnquã catholicæ fidei sanitas permittit credere,necessariam esse scripturæ scientiam omnibus: ideoque nec omnes teneri ad exigendam fidem suam ad scripturæ regulam,quam nec legere,nec scire tenentur,manifestè dicit:atque ideo sine proprio iudicio alienam sequendam esse sententiã: sed neque his,quibus necessaria est scripturæ scientia, qui ad eam discendam,& legendam tenentur, expedire, vt alios sine proprio iudicio non sequantur,eiusdem fidei modestia manifestat. Quare temerè & inconsideratè Brentius necessariũ ait, quod non solùm necessarium non esse omnibus:sed nec alicui quidem,quin potiùs cõtrarium omnibus conducibile, & multis etiam necessarium constitit. Maiores etiam doctissimi, & summi sequi possunt aliorum sententiã in religione,sine proprio iudicio:quantò rectiùs simplices,& idiotæ,& illis quidem consultum est,& tutum ita agere:sed in multis non erit necessarium. Possunt enim proprium habere iudicium nõnunquã, istis autem & necessarium, supradicta manifestè ostendunt. *Matth.11.* *1.Cor.1.*

Cap.12. Vnde in Ecclesia diuersitas sit graduũ ex gradiuina cognoscẽdi,et quantũ periculũ sit, hoc transgredi.

Sed iam hæc,quæ proposita sunt,suo ordine explicemus & confirmemus.horum igitur primum illud est, neminem vltra

Universidad de Deusto
Biblioteca

vires ingenij, doni & gradus, quem in Ecclesia habet tentare debere quod ad cognitionem attinet. Quod sic manifestatur. Primùm quidem non obscurè, aut rarò docet nos scriptura in Ecclesia diuersos gradus esse hominum, etiam sanctorum & iustorum secundum intellectus, rationisque perspicuitatem, & vires: alios scilicet alijs aptiores, & capaciores ad intelligenda altiora, maximè & obscuriora: id quod siue ex ipsa naturæ dispositione aut educatione, & exercitatione, siue ex dono Dei contingat, non ad hanc rem multùm pertinet: scimus vtrumq; contingere. Propterea Paulus apertè loquitur, perfectorũ est solidus cibus eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni & mali. Vide itaque consuetudinem, & exercitium quosdam efficere capaces & aptos ad solida percipienda, & discernendum bonum à malo: & eodem loco inquit de alijs, Imbecilles facti estis ad audiendum, &c. facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ. Paruulus enim siue infans est. Vbi iam vides apertè hanc distinctionem intellectus etiam infidelibus, etiam in bonis. Alij sunt paruuli incapaces perfectæ doctrinæ, egentes lactis, alij perfecti, quorum est solidus cibus: nec tamen propterea Paulus à salute aut Ecclesia alienos ducit, sed potius suscipit educandos. Nónne & Corinthijs apertè inquit, Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis, & secundum hominem ambulatis. Itaque carnales eos dicit, & secundum hominem ambulare, quos tamen non propterea reijcit: sed suscipit potius lactandos vberibus, quousq; adolescant: imò eosdem in principio epistolæ sanctificatos in Christo Iesu, vocatos sanctos salutat. Christus ipse dominus Apostolis inquit, Multa habeo vobis dicere, sed nõ potestis portare modò. Cùm autem venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatẽ. Non est opus plura referre ex scriptura: ex his abundè ostensum est, non solùm discrimẽ hoc esse paruulorum & perfectorum: sed hunc maximè attendẽdum esse in doctrina ab eo, qui docet,

Heb.5.

1.Corint.13.

Ioan.6.

docet, & cauendum ne supra captum quenquam doceat, non minus, quàm cauendum medico, ne infirmo stomacho ingerat duriorem cibum: aut nutrici, ne infanti edentulo durissimos cibos præbeat. Sic inquit Christus Apostolis, Non potestis portare modò: sic Paulus, Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, &c. Quod si hoc obseruandum doctoribus, cur nõ etiam, imò multò magis auditoribus ipsis: vt scilicet non supra vires, & captum mentis suæ aut cupiant, aut inuestigẽt abstrusarum rerum cognitionem? Et quidem est hoc familiare vitium puerorũ, & peruersi stomachi vltra necessitatem, imò vltra vires, & virtutem cibos appetere: quos, qui eis tradũt, meritò interfectores pernicioßissimi hominum dicendi sunt. Qui verò alliciunt etiam, & excitant, tanquam inimici humanæ naturæ habendi. Quantò ergo magis hoc in spiritualibus seruandum: puerilis est sensus, læguoris est animæ supra vires cognitionem etiam sacrarum rerum, lectionem & inquisitionem earundem quærere, & minus curare charitatem: quod non aliud est quàm turbescere, & inflari non concoctis scilicet alimentis spiritualibus animæ. Hæc reuera est scientia illa, de qua Paulus inquit, quod inflat. Hoc igitur vitium, quod eò cuiq; familiarius, quò insipientior ille est, esse cognoscitur: miserandum certè, & dolendum in his, qui inconsideratè eo laborant, qui id non agnoscunt: & sanandum medicina illa Pauli & Christi: Cùm nõdum potestis, adhuc carnales estis: non solùm dicitur ipsis, sed ostenditur etiam, & vt tales se agnoscant conuincuntur. Sed hoc ipsum infirmitatis vitium ex industria augere, & excitare ad non cogitandum imbecillitatem propriam, non ignorantiam, & ruditatem sensus proprij: sed omnibus his posthabitis irruere in scripturæ maiestatem, quid dixerim esse, quàm bathanicum animarum homicidium. Quis verò hoc magis agit, quàm qui omnes cogit, vt omnia fidei dogmata, omnia dubia & controuersa quisque exigat ad regulam scripturę, & nemo quicquam credat, nisi ex proprio iudicio, & sententia. Meritò igitur dixerim pestilentius hoc esse promissione illa scientiæ, qua Manichæi alliciebant omnes: meritò dixerim, quod Augustinus de illis ait, Quod cùm omnibus proprium iudicium permittunt, &

Lib. de vtili. credendi c. 9.

docere se omnes scripturã promittũt: non hoc robore aliquo præditi faciunt sed vt aliquã cõcilient multitudinẽ huius scientiæ scripturę promissione, qua naturaliter humana gaudet anima: nec vires suas valetudinemq; cõsiderans sanorum escas appetẽdo quæ malè cõmittuntur, nisi valentibus, irruit in venena fallaciarũ. Hęc Aug. quibus quid potest propriùs dici, & verbis illis Christi & Pauli cõuenientiùs, irruit in venena fallaciarũ infirmus escas sanorũ appetẽdo: incurrit superbiã, incurrit tumorẽ animi, incurrit denique cæcitatem sensus. Sed vt ad id, quod propositũ est, reuertamur. Vides in Ecclesia diuersos gradus in cognitione diuinorum, siue ex ingenio & exercitatione, siue ex
1. Corint. 12. dono Dei. Sed adhuc apertiùs audiamus Paulum loquentem, Alij, ait, datur sermo sapientiæ per spiritum, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hęc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Vides apertè diuersitatem donorũ, propter quam toto eo loco Paulus non aliud agit, quàm vt similitudine membrorum corporis doceat, quàm sit omnibus curandum, vt suo loco, quem illis Deus in Ecclesia contulit, se contineant, & aliorum gradũ non ambiant: sed hoc ordine, sicuti membra corporis se inuicem ament. Vos autem inquit, estis corpus Christi, & membra de membro: moxque se transfert ad ostendendum diuersitatem graduum, & ministeriorum in Ecclesia: quosdam inquiens posuit Deus in Ecclesia: Primò Apostolos, secundò prophetas, tertiò doctores, &c. Nunquid omnes Apostoli? omnes prophetæ? ostendit itaque his omnibus Apostolus ministeriorum diuersitatem consequi etiam donorum, de quibus priùs dixerat differentiam: & meritò ex vtraque diuersitate constare Ecclesiam, sicut corpus ex diuersis membris. Igitur tria hæc manifestè ostensa sunt: ingenium, & exercitatio, dona gratiæ, & ministeria ecclesiastica diuersos constituere gradus, & præscribere vnicuiq; proprios limites. Ex hoc igitur iã sic colligimus

Cap. 13. Exẽplo & ratione ostẽditur.

quod primò propositum est: si inter fideles ipsos, inter filios Ecclesiæ iustificatos, & sanctos sunt incapaces perfectæ doctri-

næ: sunt ad multa, quæ ab alijs attingi possunt intelligenda, & capescenda impares: Non igitur omnes possunt scripturæ sacræ ardua, & difficiliora agnoscere, nec proprium in eis iudicium habere. Quid enim putásne, quæ de æterna verbi Dei generatione, de æqualitate eius ad Patrem, & origine dicũtur in scriptura, ex quibus Arius difficilimas quæstiones mouebat: vt est illud Ioannis, Non potest filius facere quicquam, nisi quod viderit Patrẽ facientem, & quicquid Pater facit, hoc Filius similiter facit: & similia multa possunt ab omnibus satis intelligi? Cùm igitur in Concilio Nicæno definita est æqualitas, si tenebantur omnes non sine proprio iudicio credere sententiæ Concilij, vt Brentius disertè statuit, necesse erat vt incapaces Concilij, vt Brentius disertè statuit, necesse erat vt incapaces tam sublimis doctrinæ non satisfacerent saluti suæ, sine suo iudicio: quod certè habere non poterant adhærentes Concilio. Quid rogo duriùs dici potest, imò quid magis communi sensui contrarium? Exegit Constantinus imperator recens ad fidem conuersus, & quod magis probabile est nondum baptizatus, definitionem concilij ad scripturam sacram? contulit loca omnia, & ex proprio iudicio agnouit, rectè fuisse patres illos interpretatos scripturam, & non magis hoc duntaxat audito, quod consubstantialitatis fides ab Apostolorum tempore semper credita fuisset: & prædicata & diuersitas substantiæ noua, & inaudita: idque testimonio vnanimi, & consono omnium 318. Patrum exceptis paucis, mox credidit ex illorum iudicio, & in fidei huius violatores grauissimas leges constituit. Nónne Constantinus agnouit non se habere donum interpretationis scripturæ, nec pro consuetudine exercitatos sensus? Denique neque se esse oculum Ecclesiæ, sed brachium potiùs, ad defendendos oculos, cæteraque membra? Et ideo tanquam brachium temporalis pœnæ seueritate, sententiam oculorum tutatus est: & sicut ab ipso susceptа fuerat, ita ab alijs susci voluit, idque sine proprio iudicio. Quis igitur iam dicere potest, non esse licitum, sine proprio iudicio alienam sequi sententiam in rebus æternæ salutis, nisi qui putat satis esse dixisse? Nunquid quod perfecti attingunt de mysterijs religionis, & fidei cuius minores incapaces sunt non est credendum ab eis?

minores & simplices in Ecclesia maiorũ fidei, et sentẽtiæ sine proprio ipso rũ iudicio in hærere debere.

Nun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nunquid sensus scripturæ, & auctoritates, quas non capiunt idiotæ, propterea non credunt, & non potiùs hac ratione tranquilli & quieti sunt in Ecclesia paruuli? fidei maiorum, & sententiæ etiam nondum cognitæ inhærentes? quod si antequam cognoscant iam animi præparatione ea credunt solùm, quia agnouerunt locum suum, quem in Ecclesia tenent, simplicium scilicet, & rudium discipulorum: alios verò magistrorum & doctorum. Multò rectiùs postquam sibi ea ostensa fuerint eorum auctoritate ea sequentur, non ex alio nouo iudicio: sed ex eo certè, quo prius sibi nō iudicandum esse agnouerāt. Quòd si hoc non contenti indagare velint abscondita omnia, & difficilia circa rem quamcunque controuersam, aut mysteria omnia fidei, terminos proprios transgredientur. Contra id quod mystice quidem, sed huic loco valde aptè in lege mandatū est.

Exod. 19. Constitue terminos populo per circuitum: & contestare, ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis multitudo. Manifestissimè certè significauit Deus his verbis, nulli in Ecclesia transgrediendos proprios terminos in cognitione mysteriorum, hoc est, nulli vltra ingenium, donum & gradum quem in Ecclesia habet, licitum esse inuestigare mysteria: quod apertiùs iam, & non in figura Paulus seuerissimè etiā, & grauissimè admonet, Dico enim inquiēs, per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet: sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus dimsit mensuram fidei. Quod mox etiam eadem ratione, qua superiùs, hoc ipsum confirmans: Sicut enim, inquit, in vno corpore multa membra habemus, omnia autem non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, &c. in quibus vides, quàm consonè ad superiora omnia, in cognitione religionis sobrietatem, & modestiam Paulus exigit: & hanc in eo constituit, vt mensuram suam quisque nouerit, & opus suum, tanquam membrum Ecclesiæ, operetur: quibus aptissimè Sapiens cōsentiens saluberrimè etiā admonet: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed, quæ tibi præcepit Deus, illa cogita semper, & in pluribus

Rom. 12.

bus operibus nō fueris curiosus: nō enim est tibi necessariū ea, quæ abscōdita sunt, videre oculis tuis. Vide, rogo, q̄ apertè deterret à curiosa & supra captū nostrū perscrutatione diuinorū. Et hæc verba, nō est necesse, quæ abscōdita sunt, videre oculis tuis nónne apertè cōtraria sunt huic proprio iudicio Brētij? Quid enim est nō videre oculis tuis, q̄ non ex proprio iudicio, sed ex alieno aliquid sequi? vbi, & quę sequūtur, sunt valde notāda. In superuacaneis inquit rebus, noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curiosus, plurima enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi. Quibus verbis ex altitudine rerum admonet, vt quādo supra captū sunt hominum mysteria fidei, non sit conandum ea capere: sed contentos manifestis in eis quiescere, & neque curiosiùs quidem aliquid inuestigare. Sed vltima iam audi, in quibus periculum ostenditur, hoc transgredientium: multos inquit supplantauit eorum suspicio, & in vanitate detinuit sensus eorum, quod est, multos decepit vana sua opinio, & praua illa proprij sensus affectio in errores deduxit: quod cùm in omnibus hæreticis manifestum fuerit, in Luthero manifestissimum factum est: omnia verò hæc ab illo priori malo altiora se quærendi orta ostenduntur. Igitur qui vult quemlibet proprium habere iudicium, quemlibet vult esse oculum in Ecclesia, & omnes graui periculo exponit, certè temeritati. Nam quis vnquam dixit manui, vt non quod ostendit oculus, accipiat: aut pedibus, vt non tendant, qua ab oculis diriguntur: sed propria sua luce operentur? hoc certè agit, qui vult omnes proprium iudicium sequi. Quæ igitur, rogo, erit nobis ex hac vnione Ecclesiæ, de qua tam frequenter locuti sumus, vtilitas: si non singula membra aliorum vtantur opera: & quod à se habere nō possunt participatione, aliorum congratulentur se consecutos? dum scilicet idiota credit, quod ei ostenditur à doctore: doctor intendit doctrinæ sustentationem recipiens ab idiota: sumus nos membra, rationalia quidē, & ideo propria ratione, & iudicio etiam sic credentes monemur: proprio inquā, sed quo iudicamus non esse nobis iudicandū, atq; ita operatur in omnibus Christus. Sicut caput in alijs aliorū ministerio, in doctoribus docet simplices, sic in eis operatur

Eccles. 3.

raturvt credãt doctrinæ aliorũ,& iudiciũ sequantur:hæc si rectè considerentur, totam hanc causam conficiunt.

Cap.14. Est inter ipsos doctores diuersitas graduũ, et ex ea ostenditur, etiam doctores aliorũ sententiæ, siue suo ipsorum iudicio adhærere posse: imò debere.

Quod iam gradibus quibusdam propositis, sic ostenditur, si in ea, quæ superioris gradus est, scientia & cognitione inferior sanctè, siue proprio iudicio superioris inhæret sententiæ. Si hoc certissimum est in Ecclesia, inexercitatus & idiota tutè sequitur iudicium doctorum: hic enim gradũs apertissimus est, non habet opus iudicare indoctus: sed aliorum, satis illi est, iudicio se adiungere. Sed quoniam nec hic solus gradus est, sed inter ipsos etiam doctores discrimen non deest, dum stella differt à stella in claritate: si in eis diuersa sunt dona, diuersa exercitatio, & ingenium. Nonne necesse est quemlibet sese agnoscere:&, vt Paulus inquit, nõ in immensum gloriari: sed secundum mensuram regulæ, quam mensus est vnicuique Deus: & quidem de hac re multa Paulus habet, & nonnunquã gloriatur: sed, vt ipse inquit, in Domino. Nunc enim existimat se nihil minus fecisse à magnis Apostolis: nunc apertè inquit, qui videbantur magni esse, nihil mihi contulerunt: vt ex his discamus omnes solicitum fuisse Apostolum de gradu suo agnoscendo, & seruando. Et quoniam vltimus vocatus erat, & videri poterat propterea inferior cæteris Apostolis: cùm reuera nouissimo illi voluerit Christus in exemplum gratiæ suæ dare nomininũs, quàm primis, sed magis etiam, debuit hoc notum esse Ecclesiæ, ne quis inde exemplum acciperet transgrediendi terminos suos: sed potiùs in eo exemplũ haberemus manifestissimum agnoscendi, & tenendi proprium gradum. Iuxta hoc ergo nec necesse est, vt quilibet doctor omnia nouerit: sed in quibusdã doctioribus adhæreat. Hac enim modestia & illud fit, vt etiam si erret, quàm diu tamen doctioribus subest, & ab illis paratus est corrigi, non imputetur ille error in culpam. Sic Aug. episcoporũ literas reprehendi posse per peritiorem doctrinam sapientioris cuiusque, & per aliorũ episcoporum maiorem auctoritatem: denique & per cõcilia: concilia verò ipsa prouinciarum aut regionum, per plenaria posse corrigi asserit. Ecce igitur graduum diuersitatem, quilibet doctor doctiori cedere debet, quilibet priuatus concilio:

Eiusdem 11. Ad Gal.2.

Lib.2. bapt. contra Donatist.cap.2.

Con-

Concilium minus & inferius, pleniori & superiori. Quod si ita est: vide rogo quanta in asserenda propria sententia circa res dubias modestia opus est? non ne erremus solùm: sed ne error imputetur ad culpam:& sanè quò quisque magis suam sententiã amat,& constãtiùs asserit, minus paratus est corrigi, & agnoscere doctiores se: cùm necesse sit, vt in diuinis illis oculis, qui falli non possunt, verè sit inferior quilibet, paratus corrigi à superiori, nec ita propriæ sententiæ amore excæcatus, vt non agnoscat maius donum, aut exercitationem alterius, quæ si attentè cogitemus, agnoscemus puto, in quàm periculosa re versemur, quicunque difficilia scripturæ & fidei inquirimus. Tan tillum enim excessisse proprios limites,& cõplacentia sui sensus minus paratum esse corrigi, minus agnoscere maius donũ alterius, non aliud est, quàm grauissimo se exposuisse periculo temerariæ assertionis. Trepidandum est ergo, nec vsquam magis timendum, si rectè sapimus, quàm in nostra sententia asserenda. Quæ vnica consideratio, meo quidem iudicio, sola potest tutum reddere doctorem, & diuinæ gratiæ præparare: si adsit, sola aufert stultas,& sine disciplina quæstiones, quas deuitandas Paulus docet, Quia generant, inquit, lites: sola hæc languorem illum circa quæstiones,& pugnas verborũ, ex quibus, docente Paulo, oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, & conflictationes hominũ mente corruptorum, sanat: quæ omnia quàm grauissima sunt, & reuera origo quædam,& seminarium hæresum. Hac ergo modestia constat maximè opus esse doctoribus: vt scilicet cùm aliquid sibi videntur intelligere in scriptura, in religione, non verbo tãtùm, sed re verissimè subditi sint maioribus, atque ipsi diuino ordini: quod si attendisset Lutherus, non tam facilè ex hoc verbo scripturæ: Frustrà colunt me mandatis hominum (quicquid non est in scriptura, eo intelligens significari) damnasset non solùm antiquissima Ecclesiæ præcepta, sed traditiones etiã Apostolicas,& vota ipsa monachatus, tam manifestè probata in sacra scriptura. Hoc ille fecit, cùm verbum hoc,& huiusmodi alia aliter interpretatus est, quàm omnes patres,& quod certissimum est, quam & facilimè,& planissimè interpretari possumus:

2.Timot.2.

1.Timot.6.

mus:& hanc eius immodestiam imitatur eius omnes discipuli, quibus cum de hac causa speciali nõ agamus,sed exempli gratia tantùm sit positum.Non opus est quicquam dicere, quod in dubium trahi possit:sed hoc tantùm dicamus,quod certissimum est loca illa omnia,Sine causa colunt me,Dies obseruatis,& tempora,& similia aliter exponi à patribus, quàm ab ipsis,& quidem aliter exponi posse sine vlla literæ repugnantia. Cur ergo tantùm sibi tribuunt,vt suum sensum omnibus velint obtrudere,& suam sententiam, ab omnibus certa fide teneri:éstne hoc gradũ suum agnoscere?éstne credere alios esse, aut fuisse vnquam in Ecclesia doctiores, & illis subditos esse? Iudicent alij certè, nos nequaquam possumus intelligere tantam asserendi libertatem tantæ modestiæ, quam exigit Deus, posse coniunctam esse. Scio non deesse eis,quod respondeant:dicunt,& sub diuino etiam testimonio affirmant,nihil magis se cupere,quàm à doctioribus corrigi, quàm illos agnoscere,quod & sibi ipsis persuasisse non dubito.Sed aiunt,qui sunt hi,ostendantur nobis : aut ratio aliqua proferatur, & regula, qua hoc metiendum sit:proferatur inquam vnicuiusque regula,& mensura,quam illi præfixit Deus. Itaq; cùm hoc aut vix, aut nullo modo cognosci possit,vt inter doctores certus cuique gradus detur: maximè cùm hoc supra humanam infirmitatem sit,vt vnus sic alterum excedat,vt non in multis ab eodẽ corrigi possit, sicut in multis errare etiam doctior quandoq; potest,in quibus minor non erret, meritò putant illud Aug. seruandum,quod solis sacris scripturis, sine vlla dubitatione credendum sit.Cæteris verò omnibus quantumnis catholicis, & laudatis,quantacunque sanctitate,& doctrina pollent, non adhibendam fidem,nisi quantum vel per canonicas scripturas, vel alia ratione,quod asserunt,probauerint. Ita Aug. frequenter de omnium doctorum, & suis etiam sententijs dixit. Hoc illis frequenter in ore est,quo vno verbo, ac si nullum discrimen esset,nullusque gradus inter doctores,proprios suos sensus ita sequuntur,vt nulli cedant: & aiunt nos Patrum scripta ita amplectimur,quemadmodum illi voluerunt.Verùm hæ excusationes valere possunt apud homines. Deus autem considerat

Cap. 15. Antiquiores sanctos doctores in Ecclesia aliorũ gradũ habere viuẽtibus nũc omnibus & posteriorũ temporũ: et inter ipsos viuẽtes alios vel teneri alijs se subijcere, vel tutè posse, ostenditur.

derat cordium veritatem. Et sicut ipse nouit quantum cuique donum contulerit, sic etiam quantum excedat quisque in sui sensus amore,& quàm culpabiliter frequẽter non deferamus, quibus meritò deferendũ esset,intuetur. Sed omittamus nunc quod ad viuentes pertinet, & præsentes doctores, quis alteri præferendus,inter quos nescio ego an alicui vel ex suis cedere velit Brentius:hoc interim omittamus, quod vel difficile, vel impossibile est definire:illud tantùm cogitemus, quod ad antiquos & mortuos iam patres pertinet. Quis dubitare potest lumina illa ecclesiæ,qui sanctitate,miraculis,& eximia doctrina floruerunt,Athanasium dico,Basilium & Gregorium Nazianzenum,atque Chrysostomum,Cyprianum,Ambrosium, Hieronymum & Augustinum: hos inquam, & similes quis dubitat meritò ab his omnibus debere superiores agnosci,qui modò superstites sunt in Ecclesia?Et quanquã vt homines in quibusdam errare potuerunt,in his tamen, quæ ad fidem & salutem æternam pertinent,nequaquam eos errasse agnoscit ecclesia:& in his post scripturas sacras magnam illis auctoritatem tribuit.Quare non video quomodo sine magna præsumptione sensum suum possit quis,non dico omnium horum,sed vel vnius ex ipsis sensui præferre:cùm videlicet agitur de sensu dubio scripturæ,& qui in diuersas partes trahitur. Hi igitur sint nobis inter doctores gradus:detulerunt illi alij alijs, recentiores antiquioribus:certè Augustinus Cypriano quàmplurimũ tribuit,licet magis vniuersali concilio: Ambrosio similiter,sed vtcunque sit,his tanto seculorum consensu probatis patribus, cuius recentioris nunc doctoris auctoritas æquari potest? cur his æquari velle, non sit terminos trãsgredi proprios, & quod illi ignorarunt,credere se scire, altiora se quærere? Illud certè negari non potest sine periculo posse quemlibet quantumuis magnum,alterum sibi præferre: In humilitate spiritus, inquit Paulus,superiores inuicem arbitrantes. Cùm ergo hîc nullum sit periculum,si te etiam inferiori subijcias, in re non manifesta:præferre te verò alteri,cui subesse meritò debeas, sit graue periculum.Quid rogo tutius,quàm quoties dubium est, quis alteri sit præferendus omnibus te subijcere. Quod si rectè cogite-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gitemus,intelligemus, quod quicunque nunc laborant in ſtudio ſacrarum literarum,quantumuis profecerit, prudentiſſimè facturus ſit,ſi inueniens alicuius, vel plurium patrum in re aliqua ardua & difficili ſententiam, manifeſtè atque diſertè,& conſtanter ſignificatam illis ſe ſubijciat: non ſolùm nõ curans diutiùs quærere,vt proprium iudicium formet,ſed etiam contra ſuum proprium iudicium. Quis non intelligat hoc tutiſſimum eſſe,& nulla ratione reprehenſibile? Cõtrarium verò ſaltem non eſſe ſine periculo præſumptionis, & nimij propriæ ſententiæ amoris: quæ duo grauiſſima præcipitia ſunt? Cùm igitur Spiritus ſanctus quietis & tranquillitatis ſpiritus ſit,nec ad præcipitia deducat:manifeſtè ſequitur huic ſumi certiſſimũ ſignum ad cognoſcendum,quo quiſque docentium ſpiritu ducitur.Certè qui noua adinueniunt,qui ſua reiectis his patribus aſſerunt,qui nõ ab eis agnitos ſcripturæ ſenſus inueniſſe gloriantur:Hos ego timeo,& nonnunquam manifeſtè mihi videre videor à ſpiritu alieno agi.Qui verò econtra non ex torpore, & deſidia erga ſacra ſtudia, non vt indulgeant ſomno & otio, ſed poſt diligentem lectionem, attentam & humilem inquiſitionem doctrinæ patrum illi adhæret, illam ſequitur, vel vlterius non iudicans,vel proprio etiam ſuo iudicio renuncians, cur non dicetur & manifeſtè agnoſcetur, à Spiritu ſancto agi? Ecce igitur probatum non ſolùm imperitis, ſed doctoribus quantumuis etiam doctis,licitum eſſe ſine proprio ſuo iudicio alienæ ſententiæ inhærere:nec ſolùm licitum, ſed expediens,& meritò laudandum.Vnde ergo illa Brentij ſentẽtia, niſi ex præcipitijs Lutheri,& ſpiritus illius ſui cõcitatiſſimi & perturbatiſſimi temeritate. Nos igitur illo omiſſo, nos ipſos inſtruimus & eos,qui ſana cupiunt audire:atque ex his,quæ diximus tres quoſdam gradus in difficilibus & controuerſis ſeſe habendi doctoribus tutos quidem & inculpabiles oſtẽdimus. Primus vt à meliori incipiamus eſt,cùm agnita manifeſtè aſſerta vnius, aut plurium ex illis patribus ſententia etiam contraria noſtro ſenſui,& iudicio illi adhæremus, iudicantes melius eſſe patrum, quàm noſtrum iudicium, tutiuſque nobis & quietiùs fore acquieſcere,in rebus obſcuris patribus. Secundus

Cap. 16. Tres gradus modeſtiæ neceſſarij in iudicio circa res difficiles, & dubias ſcripturæ.

dus porrò hoc inferior ille eſt, cùm agnita illa ſententia ſine proprio aliquo iudicio, quia ſcilicet non audemus iudicare, neque vlterius inquirere timentes infirmitati noſtræ, eam ſequimur non contra proprium iudicium,quod nondum habemus:ſed ſine illo ſolo iudicio Patrum.Tertius verò meritò infimus eſt, cùm propriam ſententiam aſſerimus poſt diligẽtem iudicio noſtro inquiſitionẽ doctrinæ & ſcripturæ, & Patrum: propriam,inquam,quæ ſcilicet nobis videtur ,quam tamen in Patribus non inuenimus:ſed neque contrariam diſertè & manifeſtè:cùm ſcilicet vel de ea re non loquuntur, vel obſcuriùs, vel nobis non contigit legiſſe manifeſtam eorum ſententiam: quare noſtram ſequimur: ſed non ita eam amamus ,vt reuera non ſimus parati cedere & agnoſcere doctiores.Quicquid verò extra hos gradus eſt,aut eſt error perniciosus , aut valde illi appropinquat : quale eſt vel aſſerere ſcienter aduerſus Patres propria,vel ignoranter,at quacunque alia ratione:cùm non ſis paratus , & impenſè deſideras corrigi vel eorum auctoritate, vel ſapientioris. Quod,vt exemplo ſit manifeſtum,proferamus aliqua huius temporis dubia,& controuerſa. Certè in cauſa liberi arbitrij & gratiæ,magna eſt non tantùm inter Catholicos & Lutheranos : ſed etiam inter ipſos catholicos ſententiarum diuerſitas. illi volunt liberum arbitrium non eſſe, quia gratia in omnibus eſt neceſſaria:& Deus eſt , qui operatur in nobis velle, & operari:vnum Auguſt. dicunt ſe ſequi reiectis alijs Patribus.Alij verò ex catholicis etiam,non cunctantur contradicere Auguſtino in cauſa gratuitæ,æternæque prædeſtinationis:ecce quanta in rebus tam grauibus diuerſitas. Si igitur modeſtus veritatis inquiſitor legat Eccleſiæ definitiones,quæ ſcilicet in concilijs factæ ſunt eo tempore, quo Pelagius damnatus eſt,inueni & apertè definitum eſſe neceſſitatem gratiæ,& libertatem arbitrij ſimul ſtare, & vtrumque neceſſaria fide credendum. Si legat Auguſt. concilij Paleſtini in quo Pelagius damnatus eſt definitione vtentem aduerſus illum, atque dicentem: quiſquis ſequitur illius auctoritatem iudicij, hæc tenere debet,quæ ſemper tenuit Eccleſia catholica, & inter hæc referentem,eſſe liberum arbitrium,etiam ſi diuino in-

Cap. 17. Exẽplis oſtenditur modeſtiæ huius in ſequendis ſententijs Patrũ vtilitas.

Epiſt. 106. ſ. ad Bonifaciũ Paulinum.

digeat adiutorio. Nónne prudèter, modesteque faciet, si post habito iudicio suo etiam si aliter sibi videatur, etiam si efficacissimæ iudicio suo sint Scripturæ loca, quibus negatur, nos aliquid operari, & ita videtur negari liberum arbitrium, & assentiatur tam apertæ sententiæ, non Augustini tantùm, sed vnius ecclesiastici concilij, quod & sententiæ, quam tam diserte catholicam Ecclesiam semper tenuisse veracissimus doctor & amantissimus Ecclesiæ Aug. asserit: certè si hoc duntaxat considerasset Lutherus, non antiquum illum Manichæi, deinde Abilardi, Vvyclefi resuscitasset iam diu sepultum errorem, negantem liberum arbitrium: si hoc aduerteret Caluinus, & reliqui Lutheri discipuli non tot tragœdias excitarent, non patres omnes reijcerent, quia liberum arbitrium confitentur, & Augustinum cæteris contrarium esse assererent: quasi illud ipse neget: cùm ipse manifestissimè testetur, se rectam & antiquitus fundatam catholicam fidem contra Pelagianos defendere. Denique si circa causam gratuitæ, & æternæ prædestinationis tam difficilem certè, & arduam similiter modestè studiosus patrum sensum inquirat, legatque Augustinum, illam duobus præcipuè libris de prædestinatione sanctorum & de bona perseuerantia ad Prosperum, & Hilarium non solùm asserentem ex nulla præscientia meritorum esse, cùm iam senex, & emeritus esset: sed etiam patrum antiquorũ doctrinæ id consonum esse disertissimè asserentem, & iterum ita testantem, hoc scio neminem contra istam prædestinationem, quam secundum scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Et denique concludentem, Nimiæ igitur contentionis est, & prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare. Nónne prudentissimè etiam huic iudicio Augustini se subijciet etiam contra suum proprium, cogitans quàm meritò credere debeat Aug. tantæ sanctitatis, ingenij, & veritatis amatori ardètissimo, studiosissimoque Scripturæ sacrę, melius hoc fuisse reuelatum, & perspectum quàm sibi, quantuscunque ille sit? maximè cùm alios patres obiter tantùm, & non editis libris, nec agnito errore Pelagij id tractarint, & ita locuti fuerint, vt Aug. non dubitauerit illos hoc etiam dicturos, si contigisset

Lib. 4. cõtra 2. epist. Pelag. cap. 8.

Lib. de præd. sanct. cap. 14.

Lib. de bona perse. ca. 19.

Eodẽ lib. ca. 21.

gisset in ea quæstione versari: q̃ alijs manifestè eorum sententijs conuenit. Vtinam igitur multi etiam catholicorum nostri seculi hoc cogitassent, certè profuisset in hac causa magis Ecclesiæ Augustini labores & pietatem ostendisse, atque elucidasse, quàm nouas sentẽtias inauditas in Ecclesia, & nihil aliud quàm argutiæ humanæ, sed non solidæ speciem prę se ferentes inuehere, obscurato, quod in ipsis est, Augustino. Viderint illi, qua modestia, & qua præparatione animi ad suscipiendũ correctionem doctiorum ea asserant. certè & Pighium in postremis præcipuè libris de libero arbitrio, & gratia: & Catherinũ duobus libris de prædestinatione, in hac parte quamplurimũ, vt modestè dicam, deliquisse ipsi seipsos ostendunt, dum Aug. reijciunt, & nihil nisi noua docent: Catherinus maximè. Ecce igitur in hac causa vtriusque rei exempla, modestiæ & immodestiæ: prudentiæ, & temeritatis. Similiter quo hoc apertius fiat, sunt multa alia hoc tempore, in quibus plurimum quietis & toti Ecclesiæ, & multorum cõscientijs allatum esset, si hanc tantùm modestiam cogitassent vtriusque partis doctores: vt de dissolutione vinculi matrimonij per adulterium, & facultatem contrahendi cum altero marito adulteræ, in qua quæstione etsi apud antiquiores nonnulla videatur obscuritas, atque diuersitas quia tamen libri Augustini de adulterinis coniugijs ad Polentium rem hanc tam solidis scripturarum testimonijs absoluũt, quibus accedit & Mileuitani cõcilij, & Innocentij primi disertissima definitio, certum est id sufficere, vt siue contra proprium iudicium, siue iuxta illud modestus quisque in ea re quiescat. Quod si cogitasset Erasmus, nõ mouisset, quod postea Lutherus, & sui, etiam contentiosissimè, & schismaticè vrgent. Similiter de quibusdã libris canonicis, de quibus quandoque dubia aliqua erant, nónne conciliorum sequentium, in quibus res ea diligenter discussa est, & inuenta auctoritas studioso cuilibet doctori sufficere debet: vt quiescat, nec vlterius in ecclesia, vel de libro Sapiẽtiæ, & Ecclesiastici: Tobiæ, & Iudith, & Machabæorum in veteri Testamẽto: & Apocalypsis, Epistolæ Iacobi, & quorundã aliorum, quæstiones moueat: maximè cùm quod ad dogmata attinet, nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca

in eis est, quod non eiusdem Ecclesiæ qua omnes libri canonici recepti sunt, auctoritate confirmetur. Ad hoc pertinent & multa, quæ si vel aliquando, vel à quibusdam in dubium vocata sunt vel circa translationes diuersas scripturæ, vel sensus etiam sequentium temporum consensu reiecta omni ambiguitate suscepta sunt. August. certè sententiam illam Cypriani, & sui concilij non dubitat tota Ecclesia iam suo tempore contrarium sentiente errorem dicere: imò credit concilio aliquo generali definitum fuisse, quod tota ecclesia vnanimi cõsensu sequebatur. In quo Cypriani errore, vt August. ostendit, habemus etiam magnum exemplum modestiæ in asserenda propria sentẽtia: de quo postea pluribus. Nunc satis ostensum putamus quantò sit tutius in multis non iudicare, nec definire aliter, aut aliud quàm quod expediat nobis non iudicare: imò contra proprium iudicium alienam sententiam sequi: atque ita quanti sit periculi illa Brentij sententia, quæ iubet, vt omnes in re æternæ salutis iudicent. Igitur claudamus hoc verbis illis & sano cõsilio sapientis in Ecclesiastico: vbi ad audiendos sequendosque doctiores, maximeque antiquos, diligentissimè exhortatur recentiores. Si inclinaueris aurem tuam, inquit, excipies doctrinam: & si dilexeris audire, sapiens eris, in multitudine presbyterorũ, siue senũ prudentiũ sta: & sapiẽtię illorũ ex corde cõiungere: vt omnẽ narrationem Dei possis audire, & prouerbia laudis nõ effugient à te, nõ iubet hic vt de senũ prudẽtia iudicemus. sed illis, inquit, cõiungere, & si videris, ait, sen satũ, euigila ad eum & gradus ostiorum eius exterat pes tuus.

Lib. 3. de baptismo cõtra Donatist. ca. 10.

Lib. 2. de baptis. contra Donatist. ca. 1. & 2.

Eccles. 6.

Cap. 18. Ex verbis Sapiẽ tis ostẽditur via tutissima agnoscendæ veritatis, & discernendæ ab errore, maximè simplici bus, et idiotis

Sed quod sequitur, & cuncta quæ moueri possunt dubia, circa hoc dissoluit: & confirmat, quæ nos à principio proposuimus. Sic enim inquit, Cogitatum tuum habe in præceptis Dei & in mandatis illius assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ, hoc est, quam concupiscit sapientia, dabitur tibi. Dicat itaq; Brentius: Quid igitur si aliorum licet inhærere sententiæ, sine proprio iudicio, cur magis huic, quàm illi, cùm diuersa inueniũtur circa eandem rem. Sequatur igitur, dicit ille nostra qui volũt: sed Sapiens inquit, In multitudine presbyterorum sapientium sta. Non quorumlibet licet

cet sequi sententiam: non sunt quilibet fide digni testes, &, quod sine iniuria vllius dici potest, probatissimi illi senes, de quibus diximus, & antiqui patres, imò & eorum quilibet alijs non contradicentibus in his, quæ affirmat ad salutem æternam pertinẽtia fide dignior est testis: cui tutiùs inhærere possimus, quàm vllus aut multi etiam viuentium doctorum, sed nos multitudinem & consessum sapientium presbyterorum iuxta consilium ecclesiastici sequendum dicimus: siue cùm plures apertè consentiunt, siue cùm vno aliquid referente alij non contradicunt, sed instat Brentius: Paulus clamat etiam, Si Angelus de cælo aliter euangelizauerit, anathema sit. Ergo non sententiæ hominum: sed sacra scriptura diuinitùs confirmata sequenda est nobis: ad illam ergo exigenda est omnis doctrina ab omni eo, qui credere tenetur: quomodo aliter discerni spiritus, quod Ioannes iubet, falsi prophetæ vitari, quod Christus præcipit, possunt, nisi cõsulatur scriptura? quomodo non se exponit periculo, qui varias videns sententias non priùs examinata scriptura alteram sequitur. Itaque iuxta hoc oportebit omnes scripturæ sacræ, relictis alijs omnibus, totis viribus vacare: nulliq; salus erit extra hæc studia. Respondet igitur Sapiens vnico verbo: Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & ipse dabit tibi cor, hoc est, studium quidem exigit à nobis Deus: sed studium illi placendi, voluntatemque eius agnoscendi. In his, inquit, assiduus esto, hæc sint studia tua: his enim studijs timoris Dei, & impletionis præceptorum eius, quæ manifesta sunt, & certa: de quibus nulla est controuersia charitatis Dei, & proximi, purgatur animus, promeremurque à Deo, vt detur nobis intelligentia, non permittamur errare. Non enim ingenio nostro, neque vlla certè quantumuis attenta, quãtumuis frequenti, & multa lectione scripturæ veritas eorum, quæ ad salutem pertinent, agnosci potest: nisi magna cum humilitate, compunctione atque puritate cordis fiat. Igitur priùs his studendum: sine illis enim frustra omnis alia eruditio. hæc autem quomodo in eis sunt, qui sensum suum præferunt Patribus? quę in eis humilitas? quomodo verò, qui cognito Patrum sensu vult adhuc iudicare, non præfert sensum suum illis? igitur

tur & doctoribus ipsis, quibus in primis summa humilitate opus est, hoc dicit Sapiens, In mãdatis Dei cogitatum habe. Lege scripturam, & diligenter euolue, & obserua, quod ad eruditionem & intellectum eius attinet: sed priùs diuina mandata obserua: inter quæ quantum est illud, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: Et, Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum? Hæc est prima regula adeundi sacræ scripturæ sensum: si hoc studium desit, quo impetratur sapientia, frustrà omne aliud adhibetur. Contrà verò, si hoc solùm fuerit colendæ humilitatis, timorisque diuini, & quæ statim sequitur cordis compunctio, & oratio etiam sine vlla lectione, non deerit diuinum lumen: quid enim aliud est illud Christi verbum, Abscondisti hæc à sapientibus & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis: quàm quòd manifestè docemur, ab omnibus quidem exigi humilitatis studium, non verò scripturæ & lectionis sacræ? Si humilis fueris, non deerit sapientia etiam sine lectione: si autem hæc defuerit, quò maior lectio & eruditio, eò maius periculum. Dicat igitur Sapiens etiam simplicioribus, & idiotis: consoletur eos: Cogitatum tuum habe in præceptis altissimi, in illis esto assiduus. Non tibi imponitur scripturæ sacræ lectio, non difficilium locorum collatio: sed hoc tantùm age, vt cura tua circa mandata illa Dei manifestissima versetur: exerce affectum tuum ad Dei amorem: apertissima illius beneficia summa, & incomprehensibilia humili corde cogita: & dabitur, inquit, tibi desiderata sapientia: hoc est Christianis omnibus commune studium, certissimum, tutissimum, & quietissimum. Ex pio affectu scientia purior & clarior, quàm ex vllo intellectus acumine est, & manat intelligentia diuinarũ rerum, & discretio spiritus erroris à spiritu veritatis. Hoc est 1. Ioan. 2. enim, quod Ioãnes Apostolus promittit, Vnctio, inquiens, eius docet de omnibus, & propterea admonet, & vos inquiens vnctionem, quam accepistis à Deo, maneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos. Igitur Brenti non euoluendis libris, nõ audiendis argutijs hominũ, nõ diiudicandis & interpretandis verbis scripturæ, vt iudicium proprium formari possit, probantur spiritus, & euitãtur falsi prophetæ, sicut tu putas,

putas, maximè à simplicioribus, & idiotis, quorum non parua est in Ecclesia multitudo. Puritate igitur cordis, & humilitate fit, vt à Spiritu sancto doceãtur, quos ille inhabitat donis scientiæ, intellectus sapientiæ, atque consilij. Agit Spiritus sanctus, vt iudicemus, agnoscamusque quid nobis sequendum sit circa religionem: fit, inquam, quod Christus Dominus inquit, Oues meæ vocem meam audiunt, & non nouerunt vocem alienorum. Multò certè certiùs, multò efficaciùs corda pura, & humilia magisterio Spiritus sancti, & quadam rerum diuinarum assimilatione, prægustationeque iudicant, & discernunt quid ab alieno, quid à Spiritu sancto sit, quàm vlla doctrina, vlla lectione intelligi potest. Nónne experientia docet, quantum familiaritas & amicitia operetur ad agnoscendum sensum, ingenium denique: quid gratum, quidue ingratum amico sit, ita, vt qui alteri familiaris est, & literas, & quicquid aliud eius, facile discernit absens: pronunciatque hoc alienum est ab ingenio, & à sensu amici. Deus verò familiariorem se exhibet amicis, & transfert eos in quandam suæ naturæ similitudinem, quibus sermo Dei factus est, inquit Christus: dixit propheta, Dij estis, & filij excelsi omnes. Hæc igitur consuetudo, & conuictus diuinus efficit verè doctos, & implet illud, prout in hoc seculo impleri potest: Ponam omnes filios tuos doctos à Domino. Si Deus, inquit Christus Iudæis, Pater vester esset, diligeretis me: ego enim ex Deo processi: quare loquelam meam non cognoscitis? Vides vt connaturalitate quadam, & similitudine cognoscũtur diuina. Hoc igitur verum est studium, quod à nobis exigitur priùs quidem quàm vllum aliud. Post hoc verò lectio scripturæ sacræ, & inuestigatio sensus eius nõ omnibus, sed paucioribus certè necessaria est. Satis itaq; hęc sunt ad auferẽda ab infirmis pericula & scãdala, & imponendã necessariã omnibus modestiã: cùm cõtraria his omnibus habeat illa Brẽtij sentẽtia.

Cap. 19. Respõdetur rationibus Brentij, quibus conatur frustrà ostendere: nullũ in religione alterius sententiam sequi debere sine prio iudicio.

Sed quo apertiora fiant respondendum est distertè rationibus eius: quæ sanè omnes si attentè considerentur, non aliud ostendunt, quàm necessarium esse omnibus in rebus fidei, & religionis suscipiendis studium & solicitudinem: ne temerè, & facilè, sed magna cum maturitate, & grauitate in eis quicquam consti

constituamus. Illud enim certissimum est vitio dari maximè in grauissimis rebus credulitatem, sicut etiam illud cõstat, credere his, quæ scire non possumus, virtutis esse fidei: modò fide dignis testimonijs & auctoritate id fiat. Itaque sicut in altero extremo vitij incredulitas est, quam sacræ literæ frequentissimè reprehendunt: qui incredulus est Filio, ait Ioannes, non videbit vitam: sed ira Dei manet super illum: ita etiam nimia credulitas superstitio est, & in altero extremo etiam vitiũ: contra quod præmunit Thessalonicẽses Paulus. Rogamus, inquiens, vos fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, vt non citò moueamini à vestro sensu, nec terreamini, neque per spiritum, nec per sermonem, nec per epistolam, tanquam per nos missam. Inter hæc duo extrema fides est, non leuiter credens, non facilè, non sine consilio: sed in primis Spiritus sancti magisterio gubernata: à quo certum est nihil leuiter, & sine digna maturitate esse. Sed ex eo studio & maturitate iudicij, quæ ad fidem exigũtur, lectionem scripturæ sacræ, iudiciumque circa eius sensus obscuros inferre & imponere omnibus, longè est alienum, vt modestè dicamus, & à ratione dialectices, & à sinceritate fidei. Inquit Paulus: Si Angelus de cælo aliter euangelizauerit, anathema sit: ex hoc infert Brentius, ergo omnis doctrina, exigenda est, ad Apostolicã prædicationem, & quidem ab omnibus, quia omnes ad id, quod Paulus iubet, tenentur. huic ratiocinationi nos respondemus: Primò quidem multa esse manifestè, & præter dubitationem omnem contraria veritati fidei: hæc sine vllo studio reijcienda sunt ab omnibus: verbi gratia, vt Ioannes inquit, Quis est mendax, nisi qui negat, quoniam Iesus est Christus: & iterum, Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse ex Deo est: omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo nõ est. Igitur si Angelus de cælo cõtra manifesta iã, & præter omnẽ dubitationẽ susceptã euangelizauerit, si ipse Paulus, anathema habendus est ab omnibus: idque non ex alio studio scripturæ: sed ex ipsa certissima fide. Sunt verò alia dubia aut in sese, sine omnibus, quæ scilicet nõdum explicata sunt: vel certè sunt dubia vni aut alteri, ad quos non peruenit explicatio. In his dubijs nõ dubitamus Spiritum sãn-

Ioan. 3.

2. Thess. 2.

1. Ioan. 2.
1. Ioan. 4.

ctum tranquillitatis, & modestiæ spiritum persuasurum infirmioribus & indoctioribus, qui ei se exhibent discipulos, vt suspendãt iudicium, & expectent pleniùs doceri: sed & doctoribus ipsis, ad quos id pertinet persuadebit etiam, si eius magisterio indigni non sint, vt debita maturitate pensatis omnibus, id quod iudicauerint, teneant: sed ea modestia, vt parati sint corrigi à doctioribus, & denique, vt siue proprium iudiciũ habeant, siue non expectent vniuersalis Ecclesiæ iudicium: quod ostenditur, cùm vel in plenario concilio res definitur, vel in vnum sensum omnes Ecclesiæ confluunt. Itaque indocti non bene consulunt sibi iudicium in rebus dubijs vsurpantes: sed omnes docti & indocti multò prudẽtiùs sibi prospiciunt, cùm expectant iudicium Ecclesiæ siue aliquid iudicantes siue non: in qua re plurimum nos admonet exemplum Cypriani, de quo beatus Augustinus multa in ædificationem modestię Christianæ loquitur in libris de baptismo contra Donatistas laudat, & miratur verba illa Cypriani in concilio. Supereſt, vt de hac re quid singuli sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure cõmuni aliquẽ, si diuersum senserit, amouentes, sed quod postea permissi sunt errare (inquit idem Augustinus) ostendit nobis, quòd Dei consilio plerumque doctioribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiẽs, & humilis charitas, cuius fructus maior esse comprobetur, fiat manifesta, atque appareat: quo vnitatem teneant, cùm in rebus obscurioribus diuersa sentiant, & accipiant veritatem, cùm contra id, quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt. Denique & ostenditur eodem exemplo, quod hoc etiã facit sanitas pacis, vt cùm diutiùs aliqua obscuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Igitur ex his satis ostenditur in dubijs, & controuersijs fidei, quale debeat esse primum studium: certè non illud, quod Brentius omnibus imponit, euoluendi scripturas, sensus earum inquirendi: sed orandi potiùs, &, vt inquit Augustinus, omni intentione, votisque omnibus, gemitibus denique, & si fieri potest

Lib. 2. de bapt. contra Donat. ca. 2.

Eodem lib. cap. 5.

Eodem lib. cap. 4.

Lib. de vtil. credẽdi cap. 15.

test fletibus, Deum deprecandi, vt nos ab errore liberet: quæ nobis sint dicta propter verbum illud Pauli, Si Angelus de cælo, &c. quod ostensum est, non omnes astringere, vt Brentius vult ad examinanda & conferenda omnia ad scripturã sacram. Similiter & illud Ioannis de probandis spiritibus dicimus intelligendum esse eodem modo: probantur spiritus maximè, & certissimè interno Spiritus sancti dono, & spirituali quodam gustu: & hoc quidẽ frequentissimè meliùs, & certiùs ab idiotis & simplicioribus, quàm ab alijs probantur: & per scripturam à doctoribus, ab Ecclesia, & Concilio: his omnibus loquitur Ioannes, vt scilicet in probandis spiritibus non omnes omnia agant, sed quilibet iuxta captum suum & gradum. Denique & quod ex Euangelio citat, Attendite à falsis prophetis, si rectè consideretur, nostra confirmat. Nam vide, rogo, quòd non ad lectionem scripturæ mittit Christus, vt caueantur falsi prophetæ: sed inquit, Ex fructibus eorum cognoscetis eos: ergo ad manifestissima, & certissima mittit nos, ad fructus, hoc est ad opera, & ipsorum certè, & doctrinæ suæ. Et quamuis reuera nullus tam certus, & proprius sit fructus virtutis, etiam si illos, quos Paulus enumerat, charitas, gaudium, pax, longanimitas, &c. Cogitemus qui, vt Augustinus inquit, non habeat imaginem quãdam in malis, & deceptoribus hominibus: illud tamen primò constat, his verbis non tantùm præcepisse Christum, vt ex fructibus agnoscantur, atque ita vitentur falsi prophetæ: sed etiam hoc præcepto subindicasse satis manifestè se non defuturum in hac parte fidelibus suis, qui dixit, Ex fructibus eorum cognoscetis eos: nouit quãti, qualesque futuri erãt deceptorij, & subdoli prophetæ: & præuidit, ordinauitque in quos fines eos esset permissurus: nec dubitandum est in potestate sua profectus, initia, & fines eorum habere. Ad se itaque ostendit hoc pertinere, vt non permittat eos diu latere, sed ita agat, vt etsi vel inceperint, vel paulatim progressi fuerint in pelle illa ouina, breui tamen lupinum animum manifestent, ita vt latere non possint, nisi eos tantùm, quos in reprobum sensum sua tradiderint peccata. Incipiunt quidem hæretici specie quadam zeli purioris doctrinæ, & reformationis ecclesiæ: præ se ferunt

Cap. 20. Locus Euangelij. attẽdite à falsis prophetis, explicatur et qualiter ex fructibus discernẽdi sint ostẽditur.

ferunt mox in principio mansuetudinem, humilitatem: sed nõ diu vnquam in Ecclesia hæretici permanserunt: quin arrogantiam intolerabilem, & proprij sensus tantum amorem, vt neq; sustinere quidem potuerint, respondentem eis aliquem: quin mox ad conuitia, ad maledicentias, ad apertissima, manifestissi maque opera Sathanæ confugerint: & quid hæc aliud sunt, quàm manifestissimi fructus, quibus quidem habentes simplicem oculum, vt August. inquit, hoc est, quos Spiritus sanctus illustrat, discernunt hos falsos prophetas à veris: qui verò deserti luce veritatis ob sua non dubium peccata hæc non vident: redduntur inexcusabiles. Omittamus nunc occulta Dei iudicia, & ignorantias multas, de quibus vix possumus iudicare: & sequenti loco plura dicemus: nunc iuxta rationem, qua ecclesiam suam Deus gubernat omnino credimus, quòd nullus in Ecclesia Christi sequutus vnquam est, aut sequitur falsos prophetas extra vnionem ecclesiæ, qui non in iudicio Dei apertissimis operum testimonijs, & fructibus doctorum suorum sit conuincendus: vbi nulla verba quicquam proderunt, sed res manifestissimæ erunt. Denique aut his operibus propriis, aut maiestate miraculorum, vt August. inquit, vel conciliorũ gratuitate, vel etiam plebis ipsius iudicio Deus detexit hæreticos, vt nunqam diu fallere potuerint, nisi volentes decipi. Non est hoc opus multis ostendere: Arium Nicæna Synodus detexit omnibus, sed quoniam nec post illam deerant, qui amantes tenebras eum sequerentur, nonne miraculo illo inopinatæ, & improuisę mortis, sed dignissimę suo errori Deus ita illũ ostendit, vt, sicut Socrates in ecclesiastica historia inquit, Transeuntes omnes iuxta publicum illum secessum locum digito eum notarent, memores detestabilis interitus Arij. Non est opus, de alijs referre, nec de Luthero ipso multa dicere: cuius fructibus summę arrogantiæ, cõtumeliarum, & contemptus omnis superioritatis, quam à Deo Paulus ordinatam dicit, certè tam plena sunt scripta eius, plena inquam inhumani cuiusdam, & Luciferini spiritus, & cõmercium quoddã habentis cum Sathana: vt non dubitem pudere Brẽtium discipulum eius se dicere. Fructus verò doctrinę eius multò manifestiores sunt: in primis enim

Lib. 5. hist. tri. cap. 10.

enim protulit grauissimam illam seditionem Germaniæ, non aliunde conceptam, quàm quod euangelium illud suum simplicis plebis, & rusticorum animos ad contemptum ecclesiarum ministrorum, ministeriorum, atque sacramentorum, denique & superioritatis omnis animauit. Extinctum fuit hoc malum: sed quot deinceps rebelliones, quanta inobedientia subditorum, quanta licentia audendi omnia, quãta impunitas, & sub libertatis Christianæ specie, quãta totius Christianæ disciplinæ profligatio, quanta denique opinionum, & sententiarum circa religionem diuersitas sequuta sit, non est opus referre: res ipsa clamat: vita, morsque Lutheri satis ostendũt, quàm dignus fuerit ille, quem sequantur graues, atque prudentes. Negabunt forsan se sequi Lutherum: sed veritatem potiùs, atque scripturam: at illud negare non possunt scripturam se sequi: sed vt à Luthero expolita est, in quàmplurimis rebus ad salutem, & fidem pertinentibus: & quas ipsi necessaria fide tenendas prædicant. Sequuntur scripturam, sed interprete, & duce Luthero, &, quod nec negare possunt, in multis cõtra liquidissimam patrum doctrinã, Augustinum scilicet, Hieronymi, Basilij, & similiũ: imò contra sensum totius Ecclesiæ q̃ plurimis annis obseruatum, & prædicatum, velint, nolint cogũtur agnoscere, Luthero docente, se firmissimè credere, & constanter prædicare. Isti sunt fructus manifesti satis; sed his quorum Deus illumi nauerit cordã. Verùm quia non deest quid respondeant relinquamus Dei iudicio, nũc nobis satis sit ostẽdisse, Christũ ad caũedos falsos prophetas, discernendosq; à veris, fructus cõsiderandos docuisse: hoc est, opera & effectus manifestissimos, ad quos agnoscẽdos nõ magna scripturæ eruditione opus est, aut lectione. Hoc agimus: non mittit Christus omnes fideles ad scripturã legẽdã, ad inuestigãdos difficiles, & obscuros sensus eius: nouit se diuina bonitas captui infirmorũ, & paruulorum coaptare: nouit lac præbere paruulis. Solidum ergo scripturæ sacræ cibum doctioribus & prouectioribus, dubium non est, prouisum esse à Deo: doctoribus & perfectioribus propria est scripturę lectio. Timotheo suo Paulus præcipit, attende lectioni, doctrinæ insta, in illis, & in eo cæteris sui ordinis idem ostendit

Cap. 21. Scripturæ lectionem non omnibus necessariam, nec expedire simpliciori bus.

1. Timot. 4.

dit: at verò, omnibus fidelibus lectionem scripturę imponi, nõ lego: sed potiùs eidem præcipi, vt in doctrina assiduus sit: prædica inquit, verbum, insta oportunè & importunè, argue, obsecra, increpa, &c. & eidem inquit: Solicitè cura teipsum exhibere probabilem Deo operarium inconfusibilem, rectè tractantẽ verbum veritatis: tractantem inquit, siue vt propriùs dicamus secantem, & diuidentem, quo verbo manifestè industria Ecclesiastici doctoris significatur in secando quodammodo & diuidendo pro captu auditorum Dei verbum: cuius integri & in sua illa soliditate & magnitudine scripturæ, non omnes, imò pauciſſimi digni sunt, & capaces: ideo diuidendũ est eis: magis igitur plebi & multitudini expedit acceptа verbi Dei alimenta à doctoribus sumere, quàm vt ipsi per se sibi habeant. Sunt serui, quos constituit Dominus super familiam suam, vt dent illis in tempore tritici mẽsuram: hos oportet fideles, & sapientes esse, vt & velint, & nouerint pro mensura diuidere cuique. Ergo ad hos magis, & captum agnoscere plebis, & exaffluentissimis illis scripturæ horreis depromere mensuram conuenientem pertinet: non verò ad omnes sibi accipere. Hunc nos credimus ordinem in Ecclesia Dei constitutum seruandũ esse populo iuxta illam mysticã legis admonitionem: Contestare populo, ne transgrediantur terminos suos, & pereat ex eis maxima multitudo. Quod, vt verum fateamur, timemus id iam quàmplurimis contigisse: atque vtinam illorum experientia deterreret vel iam nũc ab hac temeritate reliquos omnes. Negare non possumus nos vehementer credere lectionem scripturæ iam passim omnibus permissam plurimum attulisse incommodi, & quàmplurimos ex illa grauissima hac errorũ peste perijsse: atque vtinam esset iam finis. Clamabunt scio aduersus hæc quàmplurimi, etiam catholici & pij: cur scilicet à lectione scripturæ maiorem Christianorum partem arceam: cur quod ad salutem omnium dispensatum est, à Spiritu sancto non permittimus omnibus: cùm maximè grauissimi patres ad lectionem scripturæ exhortentur omnes. Certè Hieronymus & viduas, & virgines, & omnium statuum fœminas ad lectionem scripturę exhortatur. Augustinus etiam, vt in epistolis

2. Timot. 4.

2. Timot. 2.

Cap. 22. A quibus & quàm modestè scripturæ sacræ vtiliter legenda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtolis videre eſt, omnibus hoc inculcat etiam nobilibus, rebuſque huius ſeculi implicitis. Non deſunt propterea, qui & trãſlationes ſcripturæ in vulgares linguas omnes cupiant fieri: vt nullus non particeps eſſe poſſit verborum Dei, in quibus & vita, ſaluſque animarum, veræque diuitiæ cęleſtes ſunt. Verùm de his viderint alij, ad quos pertinet ſtatuere. Nos hoc loco ingenuè noſtram ſententiam non abſcondimus, in qua aliud eſt, quod certò aduerſus hæreticos dicimus: aliud quod probandum, & examinandum catholicis proponimus: aduerſus illos apertè dicimus grauiſſimam eſſe tentationem, & graue periculum imponere omnibus ſcripturæ ſacræ ſciẽtiam: & iudicium circa dubia, & controuerſias. Poſt hæc verò illud etiam aſſerimus, quòd negari non poteſt, curioſitatem in lectione ſcripturæ, hoc eſt cognitionem inueſtigare earum rerum, quæ ingenium, & captum excedunt, periculoſam eſſe tentationem, in ea verò quàmplurima eſſe ſupra vires plebis & ſimplicium etiã certiſſimũ eſt: quare totam omnibus committere primò neceſſarium non eſt, quandoquidem ab omnibus capi non poteſt. Deinde periculoſum eſt, & cauendũ: nec enim, quod ſatis ſuperùs oſtenſum eſt, ſimplices & infirmi norunt aut poſſunt ſuas vires in hac re metiri: & ſanè ſupra illas aliquid aggredi in hac parte, occaſionem præbet erroris: quare non poſſumus probare, vt omnibus paſſim copia totius ſcripturæ ſacræ fiat, vt integri libri, aut vtriuſque aut alterius teſtamenti paſſim, & ſine vllo delectu in omnes linguas trãſlati omnibus permittantur: quia ab omnibus certè ſine periculo legi non poſſunt. Cùm igitur quidam periclitentur ex horum lectione in eccleſia, quæ infirmis maximè conſulit, & propter illos nonnunquam fortiores, & valentiores tenet: Nónne ſatius eſt his, qui capaces ſunt, auferri aliquid ex eorum lectione, quod non eſt ad ſalutem neceſſarium, quàm vt exemplo illorum alij excitentur ad periculoſa, & nociua ſtudia. Igitur hoc potiùs doctorum erit: cuique iudicare terminum, quem tenere debeat: aliorum verò illos ſequi. Eſt, inquit Auguſt. prudentiſſimè quidem qui excitandus eſt: eſt qui reprimendus, vt nec ille deſperatione frangat, nec iſte præcipitetur audacia: quod facile fit, ſi etiã

Lib. de vtil. cred. cap. 10.

hi, qui valent volare ne cui ſit periculo inuitamentum, pauliſper cogãtur incedere, qua etiam cæteris tutum eſt. In legenda itaque ſcriptura admonuerim ego, vt qũiſque diligenter exploret & animum ſuũ, & fructum: an curioſitate, vel vero Dei timore, pietateque ducatur: an iam legens ſentiat in ſe excitari pietatem, humilitatem, amorem verò proprium cæteróſque prauos affectus minui, vel econtra augeri, aut innaſci dubia quædam circa ea, quæ recepta ſunt ab eccleſia, aut contemptum, aut deſpectionẽ ſimpliciũ, atq; earum rerum, quæ in eccleſia minus ſapiunt eruditionem, & eloquentiam. hæc attentè in primis conſideranda eſſe credimus ab his, qui ſalutis ſuæ curam habent: atque cum timoratis, & prudentibus conferenda, & ſic aut ceſſandum, aut procedendum in ſcripturæ lectione. Illud certiſſimum eſt, ſequendum eſſe quod promouet humilem ſui ſenſum, & mentis erga Dei pietatem, feruorem, magis quàm quod eruditionem, & ſapientiam: imò hæc etiam fugienda cùm contradicunt alijs. De ſcripturæ igitur ſacræ lectione hæc nobis ſint dicta eis, qui poſſunt eam in lingua, in qua vel primò ſcripta eſt, vel poſtea ſuſcepta ab eccleſia, Hebræa ſcilicet, Græca, & Latina legere.

Cap. 23. De tranſferenda ſcriptura in vulgares linguas, vel nõ: & an expediet cõmunẽ eſſe vulgo et idiotis, attinguntur quædam obiter.

Cæterùm quod ad tranſlationes ſcripturæ in diuerſas, & omnes linguas vulgares, vt ſcilicet ab omnibus legi poſſit, attinet: diuerſæ ſunt catholicorũ, & piorum ſententiæ, & nos dignam credimus hanc rem, quæ generalis concilij auctoritate tractetur, atque vtinam non tantopere præcurriſſent multi hoc agere, ſeruitum eſt in tranſlationibus vulgarium linguarum, quas iam præ manibus omnes paſſim habent, pietati quorundam, ſed plurimum certè curioſitati: & res ipſa apertè docuit, non eſſe omnium ſcripturam legere, & illud etiam patuit, in quot morbos incidant infirmi, cùm cibos robuſtorum auidiùs ſumunt, quàm temperantiùs. Id certum eſt, nullos in hac re diligentiores fuiſſe, quàm hæreticos: alij tranſtulerunt, alij exegerunt, & auidiſſimè quidem, & frequentiſſimè legunt: ſed quo fructu? perſuadẽt ſibi fortè non minimo. Vnum ego manifeſtiſſimum video, facti ſunt ceſores omnium, & contemptorẽs quàmplurium, & quod manifeſtiſſimum eſt in hæreticis omnibus, irriſores totius ſimplicitatis

Ecclesiæ,& omnium illarum rerum, quibus aut quasi lacte nutrit illa paruulos, aut certè, quæ permittit accessu ætatis sine difficultate amputanda,quæ paruulis sine turbatione maxima amputari non possint. Certum est vtriusque horum generis multa esse in Ecclesia:ritus,& cęremoniæ Sacramentorum hæc sunt necessarium paruulis: sed quod à quibusdam in eis fortè exceditur,quod nimium his intenti delectantur eis,non assurgunt ad alia, condonat Ecclesia infirmitati. hæc omnia quid aliud hæretici faciunt,quàm contemnere? Proinde satis ostenditur, dulcedine hac lectionis scripturæ inflatos esse: quare prætitisset eis non legisse: non quòd hoc malum à scriptura sit,sed à malitia & infirmitate nostra: sicut ægritudines non à cibis,sed à vitio stomachi generantur. & hoc quidem commune est,& his qui Latinè intelligunt: atque in ea lingua, iam ab Ecclesia recepta legere possunt scripturam:et his etiam,qui nō nisi in vulgari lingua:sed horum est communius malum. Nec enim dubium est ingenia,quæ magis culta sunt, alijs disciplinis eò capaciora esse sensus scripturarum,modò adsit humilitas, & timor Dei: rudiora verò ingenia, & impolita non possunt satis commodè in literis illis sacris sine scandalo, sine errore etiam quandoque versari propter obscuritatem quam & in metaphoris, & phrasibus sibi proprijs scriptura habet. Denique multa sunt, quæ non minus obscura sunt legenti literas,q̄ non legenti:iuxta verbum illud Esaiæ, Erit vobis visio omnium,sicut verba libri signati: quem cùm dederint scienti literas,dicent lege istum.respondebit non possum,signatus est enim, & dabitur liber nescienti literas, diceturque ei lege: & respondebit,nescio literas:vbi æquales dicit scientes literas,et nescientes:imò prophetas, & principes minoribus.sed hoc in pœnam dicit dari,propter grauissima peccata claudet, inquit, oculos vestros: propheras & principes vestros, qui vident visiones, operiet. hoc nonnunquam à Deo fit,idque vt eo loco ostenditur,maximè ob irreuerentiam, & temeritatem inuadendi scripturam sacram sine vero timore Dei. inquit enim statim propheta,Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, & labijs glorificat me, cor autem eius longè est à me, &c. peribit

Esa.29.

ribit sapientia à sapientibus,& intellectus prudentium eius abscondetur. Quando verò magis hæc timere possumus: quàm cùm passim vulgò scripturæ lectio,permittitur. Sed vt hoc interim omittamus,ex verbis, quæ apud Lucam in cœna loquitur Christus, Quādo misi vos sine sacculo &pera &c:&, nunc qui habet saeculum,tollat similiter & peram:&,qui non habet vēdat tunicam, & emat gladium, quid amplius intelliget idiota & simplex Christianus, cùm in linguam vulgarem translata audierit, quàm si omnino nihil intelligat: sicut ex illis, neminē per viam salutaueritis:vel, omnis qui acceperit gladium, gladio peribit, sed hæc fortè sine errore aliquo audire poterit: at quanta sunt, quæ iuxta superficiem literæ errorem etiam gignent,quem postea vix post longam disputationem:imò nunquam satis auferre possis. Certè hæc sunt omnia illa, quæ de iustificatione fidei,sine operibus Paulus loquitur,& huiusmodi multa:ex quibus sicut hæretici dicunt, simpliciter acceptis, & sicut verum est,peruersē detortis, in alienum sensum, quot millia paruulorum grauissimis erroribus interierunt. Itaque euulgatio scripturæ in omnes linguas Barbaras etiam, inexperteſque doctrinæ,ad iudicium totius Ecclesiæ,quantum putamus,pertinet. Primò,quia res noua,& priori seculo quando & disciplina Ecclesiastica,& doctrinæ puritas,& pastorum vigilantia in Ecclesia vigebant,inaudita fuit apud Christianos: aut certè quàm rarissima: & non vulgò, sed vni, aut alteri, & vnius, aut alterius capitis, aut libri facta translatio. mille prioribus annis quando aliquid auditum fuit de transferenda scriptura in vulgarem linguam, tempore scilicet Augustini,Ambrosij,& illorum grauissimorum patrū Latinorum? Quod si dicatur tunc omnes Latinè intellexisse: quod tractatus,& Homeliæ illorum ostendunt ad populos lingua Latina: & Græcorum etiam Græca. Vndè maximè probari putant, nunc etiam scripturam transferendam in omnes linguas, quibus populi Christiani loquuntur,& intelligunt: sicut tunc inquiūt cùm omnes Græcè,aut Latinè intelligerēt,quia Græcè tātùm,aut Hebraicè scripta erat,Latinè translata est.Itaq; existimant & Apostolos, & patres illos primos illis linguis scripsisse,

Luc.22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pſiſſe,quæ omnibus populis notæ erant. Si ergo poſt illa tempora linguæ rurſus ex varijs mutationibus imperiorum deuaſtationum,& ſimilium caſuum diuiſæ ſunt,& confuſæ, amplius & nec Græci,nec Latini populi,Græcam, & Latinam intelligunt linguam, cur non ſcriptura ipſa Dei linguis ſe coaptabit populorum,& condeſcendet huic infirmitati hominum, quorum ſaluti data eſt: vt ſcilicet prima illa intentio eorum, per quos hæ literæ ſcriptæ ſunt, ſeruetur: quæ hoc voluit, vt omnibus communes eſſent illæ literæ.hãc ſanè rationem, quò magis conſidero, magis videor mihi iam contrariam ſententiam fouere,ſi rectè omnia penſentur. Nã illud primum quod tam certò aſſeritur Græca, vel Latina lingua omnes locutos fuiſſe,eaſque ab omnibus intellectas, primis Eccleſiæ temporibus contrarium eſt lectioni Actuum Apoſtolorum:quot nationes gentium Hieroſolymis erant in die pentecoſtes,Parthi, Medi, Elamiti &c. & aiũt,quomodo nos audiuimus vnuſquiſque illos loquentes (quos ſcilicet Hebræos ſciebant) linguam noſtram,in qua nati ſumus ? nec ſcriptura opus eſt, in hac re noui Teſtamenti: ipſa diuiſio linguarum mox poſt diluuium aperte in veteri Teſtamento legitur facta in Babylone iuxta familias,& cognationes filiorum Noë,à quibus inquit ſcriptura diuiſæ ſunt gentes ſecundum linguas ſuas,quas diligenter Auguſtinus colligens,& conferens ſeptuaginta duas oſtendit eſſe, & quamuis plures illæ gentes, quàm linguas arbitretur eſſe, iam continua mutatione humanarum omnium rerum, adeò multiplicatæ ſint linguæ, vt plures q̃ nationes meritò cogitari poſſint, cùm multę prouincię ſint in quibus plures,atq; diuerſæ ſint linguæ.Nequaquã igitur vel Apoſtolorũ, vel illorũ patrũ tẽpore nullas alias linguas credamus fuiſſe:ſed duę illę,Græca, & Latina propter imperia notiſſimæ erant & per vniuerſum orbẽ cognitę,et quidẽ tũc à q̃plurimis multò magis q̃ nũc: ſed non certè ab omnibus.Hinc Irenæus, quod ſuperius adnotauimus,Apoſtolos Barbaris dicit prædicaſſe, & vt ille inquit quod ad ſermonem attinet Barbari erant:ſed auditum euangelium ſapientes, habuerunt ſine calamo, vel atramento & ſine literis ſcriptam in cordibus fidem.Itaque hoc fuit Apoſtolo-

Act. 2.

Geneſ.11.
Ibidem10.
Lib.16. de Ciuit. Dei cap.6.

Lib.3. aduerſus hæreſ.ca. 4.

ſtolorũ conſilium,vt cùm loquerentur omnium linguis:non tamen ſcriberent,niſi vna,gentium ſcilicet, qui tunc cæteras omnes nationes Barbaras reputabant: vt ſicut Teſtamentum vetus Hebraicè tantùm ſcriptum eſt, quia vni Hebræorum populo: ſic nouum Græcè tantùm,quæ lingua tunc gentibus omnibus communior erat, quod intelligimus excepto euangelio Matthęi,quod Hebraicè magis ab antiquis omnibus ſcriptum creditur. Nónne ergo manifeſtè oſtenderunt Apoſtoli data opera ſe noluiſſe in plures linguas ſcripta relinquere ea, quæ ſcribenda ſuſceperant?Quod verò poſtea in Latinam linguam vtrumque teſtamentum tandem tranſlatum eſt, nónne credendum eſt, Spiritus ſancti conſilium fuiſſe? ſic enim videmus conſultum eſſe omnibus diuerſarum linguarum populis:cùm vbique adſunt, qui ex ea lingua in vulgares propriaſque explicare poſſent his,qui non intelligunt. Eadem denique ratione Barbaros etiam conſtat fuiſſe illorum patrum tempore inter Chriſtianos, alijs linguis loquentes: quod ſatis in ſcriptis eorum oſtenditur. Certè Auguſtinus nonnunquam mentionem facit diuerſitatis huius: Punici inquit Chriſtiani baptiſmum, ſalutem:euchariſtiam,vitam vocant.Similia ſunt apud alios,& res manifeſtiſſima eſt: & tamen non videmus ſubiiſſe patrum illorum animos memoriam tranſferendi in diuerſas linguas ſcripturam:alijs rationibus à principio Eccleſiæ conſultum fuit infirmioribus,breui ſcilicet traditione præcipuorum myſteriorum fidei in ſymbolo,quod facilè ab omnibus memoria teneri poſſit,& frequenter cogitari.Certè vel illud ſatis eſſe poteſt ad erigendos animos ad immenſam naturæ diuinæ bonitatem, & perfectionem eiuſque erga nos beneficia cogitanda eſt decalogus,eſt dominica oratio:in his,vt Auguſt. inquit, ſumma eſt totius religionis:in quibus ſi diligẽter explicentur, pleniſſima eſt doctrina.His accedunt anniuerſariæ feſtiuitates, in quibus & hiſtorię euangelicæ,& myſteriorum redemptionis noſtrę memoria,per ſingulos annos renouatur,& præcepta viuendi tradũtur.hæc eſt doctrina ſimplicium,& populorum: in his magni, & paruuli audiunt, & quodammodo legunt, & inſpiciunt oculis quæ ſatis ſunt ad ſalutem. hac ratione & in

Lib.1.de peccatorũ meritis,& remiſſ. cap.24.

In enchi. ad Laurent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lege veteri eruditos esse omnes, atque docere filios suos præ-
ceperat Deus: Memétote, inquit, per Moysen dici huius, in quo
Exod. 13. egressi estis de Aegypto: & cùm de celebrando per singulos
annos festo illo dixisset, Narrabis, inquit, filio tuo in illa die,
hoc est, quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de
Aegypto, & erit, inquit, quasi signum in manu tua, & quasi mo
nimentum ante oculos tuos, vt lex Domini semper sit in ore
tuo. hæc reuera, & aptissima simplicibus doctrina. quam in Ec-
clesia audiunt, & accipiunt, etiam nullo prædicante, aut docen-
te non quod hoc etiam non diligentissimè curandum sit: vt
viua voce, atque doctrina instruantur populi: sed vtcunque id
fiat negligenter, non lectione scripturæ sacræ supplendum
apud simplices populos credimus: sed magis attenta conside-
ratione mysteriorum illorum, quæ nulli non sunt nota in Ec-
clesia, & humili oratione ad Deum pro illustratione mentis
effusa: & si exteriora alia addenda sunt, episcoporum est tra-
dere institutionem, admonitionesque vulgari lingua, quas au-
diant simplices. tanta etiá difficultas, in qua vsque hodie labo-
ratur, & exercet multos transferendi ex Græca vel Hebræa lin
gua in solam Latinam, eruditam scilicet, non Barbaram, pro-
priá, copiosam, & aptam significandis animorum conceptibus
ostendit, quátò sit difficilius, & quasi impossibile in omnes lin
guas ineruditas, & Barbaras eam tutè, & propriè, atque verè
transferre: & constat minimam mutationem, aut inconsidera-
tionem plurimum obesse, & mutare sensum ipsum: quomodo
igitur poterit sine periculo ab vno, aut altero indocto frequen
ter in quamlibet linguam transferri scriptura, quæ cùm à tot
eruditissimis in vnam Latinam sit translata, non tamen desunt
multa, quæ vel emendari, vel attentiùs, & propriùs considerari
debeant: communis igitur iudicij totius Ecclesiæ res est trans-
latio quæcunque scripturæ sacræ, quæ communiter legẽda est,
& saltem ad omnes episcopos, & doctores Ecclesiæ cuiuslibet
linguæ, in quam transfertur scriptura, pertinet iudicium: de ea
translatione nec permittenda esset vlla non illorum omnium
consensu probata. Itaque difficultas ipsa fide digna translatio-
nem habendi deterrere potest ab hac de transferenda scriptu-
ra sen-

ra sententia: cui cùm accedat, quod ostensum est, nouitas, & di-
scessus quidam ab Apostolorum, & patrum exemplo, duriùs
nimirum nobis videtur tam facile, & non expectato iudicio
Ecclesiæ id probare: tolerandum fortè iustè videbitur, cùm
non facile, nec sine scandalo pusillorum, quæ iam vulgata sunt
auferri possent è manibus: verùm id extendere non putamus
consultum esse. quod si quis causetur non esse æquum omni le
ctione scripturæ priuare populum: huic etiam respondemus,
non hoc nos agere, vt nihil legant, nihil habeant simplices scri-
pturæ sacræ: integram quidem illam cibum dicimus solidio-
rem, quam captui populi cõueniat. sed sunt in ea q̃plurima quę
sufficiant ad pietatem, & scientiam Christianam & seruãdam,
& augendam in fidelium animis. hæc doctorum diligentia ex-
cerpta, saluberrimè credimus omnibus tradi posse, & in om-
nium linguas transferri: præcipuè quæ ad mores pertinent, &
quæ ad prima mysteria fidei: lectiones illæ, quæ per annum in
Ecclesia leguntur, miracula Christi, exempla vitæ eius captui
simplicium cõueniunt. ergo si quid in vtilitatem illorum cu-
pimus, imitemur antiquorum patrum exempla. August. ex om
nibus scripturæ sacræ libris, quæ ad mores pertinent, tempore
noui Testamenti in vnum librum collegit: quem Speculum ap
pellari voluit, vt Possidonius testis est in vita eius, & liber ipse
ostendit: in quo nihil aliud est, nisi quod ad mores pertinet: &
vix vllus liber scripturæ omissus est, vnde non aliquid sit excer
ptum. hunc tam pium laborem existimamus simplicibus po-
pulis futurum vtilem. Basilius etiam simile ferme argũmen-
tum habet in octuaginta moralibus regulis, in quarum singulis
per multa capita, quæ ad mores pertinent, ex nouo duntaxat
Testamento magna certè dexteritate collegit. Cyprianus etiá
tribus illis libris ad Quirinum hoc ipsum agit: vt ex scriptura
capita quædam ad formandam fidem: in primis duobus ad di-
sciplinam Christianam docendam, in tertio ex scriptura sacra
colligens. Itaque satis hîc patres ostenderunt, quid ex scriptu-
ra omnibus tradi possit. Sunt & alij apud Græcos & Latinos
huius argumenti libri: sed tres hos, de quibus diximus, & ob
sanctitatem, & auctoritatem auctorum, & res ipsas etiam in

Universidad de Deusto
Biblioteca

exemplum præcipuè adduximus eorum, quę minori periculo, & cum fructu etiam ex scripturis sacris transferri possent in vsum simpliciorum: quæ omnia nobis dicta sunt ad modestiam persuadendam in scripturæ lectione, cui, quātum capere possumus, maximè repugnat Brentij illa sententia de proprio iudicio in rebus ad salutem æternam, vt ille inquit, necessarijs.

Cap. 24. Spiritū veritatis ab erroris spiritu nulla ratione apertius discerni, quàm ex consensu, cum catholica Ecclesia.

Verùm quia, cùm in his, quæ ad dinoscendos hæreticos, falsamque doctrinam cauendam pertinent, docuerimus illustrationem Spiritus sancti necessariam, & ad illam in primis confugiendum: remque ostenderimus eam esse, quę sicut à nullo negari potest, ita à quouis, sibi tribui facile possit, cùm nullus sit eorum præcipuè, qui obstinatiùs aliquid affirmant, qui non facilè dicat id se à Spiritu sancto habere, & persuadeat, se vera humilitate & pietate id consecutum: hoc iam restare videtur, vt qua ratione quis verè à Spiritu sancto illustretur, agnosci possit, ostendamus. Dicunt Brentius, & sui, & constantissimè dicunt, se esse pusillum illum gregem, cui Christus loquitur, Nolite timere pusillus grex, &c. Atque, quod olim Manichæi egerunt, paucitate, & humilitate se iactant. Non (inquit Brentius contra me) ignoro quod à parte sua habeat maximam potentiam, sapientiam, & multitudinē huius orbis, & persequuntur (inquit) multi, & magni paucos & abiectos. Vides igitur vt hoc nomine gloriatur, quòd sint abiecti & pauci: atque hoc quasi signo quodam, & charactere se ad eos pertinere vult, de quibus Christus inquit, Arcta est via, quę ducit ad vitā, & pauci sunt, qui inueniunt eam. Sic enim olim Manichæi dixerunt dum sapientiam, plenamque rerum omniū cognitionem promitterent suis, quod non vulgi, non multorum, sed paucorum est: hoc illi dicebant detrahentes fidei, quasi vulgari, & communi omnibus. Vnde non miror si nunc Brentius, qui omnibus iudicium proprium, certumque de dubijs, & obscuris sensibus scripturæ docet necessarium: ad quod certè peruenire difficillimum est, & reuera paucorum, paucitate etiam se commēdet. Id igitur nobis nūc agendum restat, vt signa certa, si qua sunt, ostendamus spiritus instruentis, & docentis eos, qui vera sequuntur & reijciunt falsa; ne cuilibet liceat de Spiritus sancti doctri

Matth. 7.

doctrina gloriari. Multa requirit hic locus, & latissimum præbet disputationis campū, & à multis de ea re scripta sunt non pauca, quæ reuera magis pertinent ad simplices, & humiles instruendos, vt discant cauere Sathanæ laqueos, quàm ad conuincendum verbosos & argutos disputatores: & multa ex scripturis colliguntur, quibus discerni possit falsus spiritus à vero. Sed quoniā ea etiam omnes sibi cōmunia facere volūt, nec desunt verba, non est eis diutiùs inhærendū. Certè si quid est, quo spiritus erroris à veritatis spiritu discerni possit, ex fructibus, vt inquit Dominus, id est maximè, quod Iacobus ostēdit, quæ sursum est inquiens sapientia primū quidem pudica est, siue casta: Deinde pacifica, modesta, suadibilis, hoc est tractabilis, & disciplinabilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, nō iudicans, sine simulatione. Hæc certissima signa sunt veræ Dei cognitionis veræ fidei quæ à spiritu illo veritatis sunt, quem Christus promittit inæternum mansurum cum suis: sicut econtrariò illa etiam, quæ his opponit manifesta sunt signa spiritus erroris. Quod si zelū, inquiens, amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem: non est ista sapientia desursum descendens à Patre luminum, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio ibi inconstantia, & omne opus prauum. Sed hæc omnia, de quibus in principio mentionem fecimus, magis humili conscientiæ propriæ, & interiorum secretorum cordis coram Deo inspectione, quàm vllis verbis, aut studio assequi possumus. hoc vnum toto desiderio Deū precamur: vt det nobis omnibus, det mihi, & Brentio, nos ipsos agnoscere, & nō verbis, sed re non nos ipsos prædicare, sed Christum: non nos amare, non nostrā gloriā quærere, sed eius qui misit nos, si tamē verè omnes à Deo missi sumus. hoc Brentio, & suis omnibus discipulis, quod nobis, & catholicis omnibus, ideo desideramus, quoniam si hoc verè adsit, nulla erit amaritudo, nulla contentio, nulla æmulatio, & facilè certè conueniet inter nos. Sed iam ad institutum, omissis ergo cæteris, quæ omnes ad se trahunt, vnum duntaxat manifestissimum & apertum signum, quo discernitur falsus spiritus à vero tan-

Iacob. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ro tantummodo proponamus: quod non aliud est, quàm consensus cum Ecclesia catholica. Qua enim certiori ratione agnosci potest, quid à Spiritu sancto nobis inspiretur, quando ille loquatur nobis, quàm vnica hac cum Ecclesiæ catholicæ consentione? cuius proculdubio Spiritus sanctus perpetuus, & certus est inhabitator, veraque eius vita, & spiritus. quo igitur spiritus Ecclesiæ ducere potest, aut vbi continere, nisi in suo proprio corpore, quod ille inhabitat, & viuificat. Rogabo (inquit Christus apertissimè) Patrem, & alium paracletum dabit vobis vt maneat vobiscum inæternum, spiritũ veritatis, quem mundus non potest accipere. De his superiùs satis: sed nunc quàm apertè his ostenditur Spiritum sanctum catholicæ Ecclesiæ spiritum esse. quomodo ergo ab ea separare potest hominem, quem monet? cui aliquid inspirat? aut quomodo illũ non deseret, qui ab eo se separat corpore, cuius ille spiritus est? Meritò igitur, si decipi nolumus, quicquid nobis quantũuis orationibus, quantumuis omni humilitate, & timore Dei conantibus vera inuenire inspiratur interiùs ad exterius magisteriũ Ecclesiæ exigamus: cum eo, qualiter conueniat attentè consideremus: quicquid vel ad fidem, vel ad mores pertinens nobis interiùs suggeritur. nec timeamus ne id Spiritui sancto displiceat, vel ei iniuriam facere videamur, quasi ipsum, qui Deus est, subijciamus hominibus, hoc est Ecclesiæ, quæ hominum est congregatio. Quomodo enim fieri potest, vt Spiritui sancto displiceat, quod vnicam eius sponsam consulamus, quam ille columnam & firmamentum veritatis constituit? imò quomodo, cùm nobis quicquam inspirat, non ad illam nos mittit quam Christus, cuius ille etiam spiritus est, imò & ipse cũ Christo magistram nobis dedit totius salutaris doctrinæ, dum Christus iubet, vt qui Ecclesiam non audierit sit nobis sicut ethnicus, & publicanus? Et ipse Spiritus sanctus loquitur in Prouerbijs. Audi fili mi disciplinã Patris tui, & ne derelinquas legem matris tuæ: Quomodo iniuria fieri potest Spiritui sancto in consulenda Ecclesia, quam ille certissimè gubernat? non igitur cùm ab interiori inspiratione, quam ille nobis infundit, ad Ecclesiam confugimus atque illam audimus: à Deo ad homines per-

peruersa auersione transimus: sed à Deo ipso ad eũdẽ ipsum Deum, à Deo inquam in nobis existente, sed non certò, non perpetuò, & inseparabiliter. Dubitamus enim, & meritò dubitare debemus de nobis ipsis, & de eius in cordibus nostris inhabitatione. Nam vt Iob inquit, etiam si venerit ad me, non videbo illum: & si abierit, non intelligam, & cùm inuocantem exaudierit me, non credo, quod audierit vocem meam. Cùm itaque tutum sit, & humilimum, semper de eius in nobis gratia, atque præsentia dubitare, de eius inspirationibus, an ab illo sint: Denique cùm nos frequenter illum & amittere posse, & amisisse sciamus: quàm meritò ad eundem, quem certum est in Ecclesia perpetuò, certoque manere, & nũquam illam deserere, confugimus, à priuata scilicet inspiratione, quæ mihi, aut illi fit, ad publicam illam semper Ecclesiæ factam, & in ea permanentem: certè ab inferiori ad superiorem. Primò enim id constat, has duas contrarias esse non posse, Quomodo enim fieri potest, vt contradicat sibi ipsi Spiritus sanctus, spiritus veritatis, spiritus vnicus, & simplex? quomodo in illo contraria esse possunt? nónne igitur prudenter facimus, & eius sequimur ducatum, cùm eũ certò in Ecclesia, & in eius dogmatibus existentem consulimus de ea inspiratione, quam, an ab ipso sit, meritò dubitamus? & quo efficaciori signo agnoscemus ab illo esse quàm si consentiat cum doctrina, & fide, cum moribus: quæ omnia certum est ab eo esse in Ecclesia catholica. Igitur illud ex his certissimum est, spiritum omnem, qui ab Ecclesia separat, qui ad sequendos, aut credendos eos, qui ab ea recesserunt, & eius hostes manifesti sunt, monet erroris esse spiritum. Qui non congregat mecum, inquit Christus, dispergit. Quis verò alius magis contrarius est Christo? quis magis segregat congregata ab eo, quàm qui ab Ecclesia separat? quod certum est, proprium esse hæreticorum omnium: vt abducant inquit Paulus, discipulos post se: quum contra tranquilli illius, & quieti Spiritus sancti, & eorum, qui illo aguntur, sit proprium nunquam ab Ecclesia discedere. Confirmat hoc maximè, & quidem explicat exemplum Cypriani, cuius superiùs mentionem fecimus: sentiebat ipse baptizandos denuo ab hæreticis baptizatos, Cap. 19. Act. 20.

zatos,& respondebat omni rationum & auctoritatum vi, qua poterat,contrarium sentientibus: ipsi etiam Romano pontifici syncerissima libertate contradicebat : sed tamen inquit, vt superius ostendimus, neminem à iure communionis separantes,propterea quòd contrarium senserit.Vide itaque Spiritum tenacissimum vnitatis:hoc enim(vt ex Aug.superiùs diximus) ostendit,quàm fuerit Cyprianus solicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis,vsqueadeò,vt quanquam diuersam teneret sententiam, contrariumque iudicauerit eius, quod magna pars episcoporum aliarum regionum sentiebat : non tamen propterea affectu,& communione à cæteris se separabat: Vbi etiam obserua, quid sit ab Ecclesia se separare: nec enim Cyprianus ait, non separantes nos ab Ecclesia:sed neminē inquit à iure communionis separantes. Non ergo is solùm vnitatem relinquit,qui ab vniuerso corpore, & tota fraternitate se separat, sed etiam ille schismatis, & diuisionis auctor est, qui pro sententia sua, cùm nondum catholicæ Ecclesiæ est sententia, sed vnius aut multorum priuata, vel vnum duntaxat ex fratribus,ex his,qui in catholicę Ecclesiæ vnitate manent,à communione sua separat; conuincitur enim præuenire eius iudicium, quum quod illa nondum vt certum definiuit,ipse tam certum habet, vt alienum etiam dicat à fraternitate contrarium sentientem. Itaque hoc est reuera Ecclesiam scindere : cùm pro tua priuata sententia,antequam ab illa susceptа sit, alios damnas & reijcis à communione : quod manifestè illi conuincuntur agere,qui ante certum iudicium Ecclesiæ rem aliquam ita affirmant,vt alios propterea separent à sua communione : aut hæreticos, & alienos à Christo definiant, siue transgressores legis eius,& peruersores doctrinæ. Quid enim rogo magis est separare aliquem à communione sua,quàm asserere illum doctrinam Christi peruertere?Si quis,inquit Ioānes,venit ad vos, & hanc doctrinā nō affert, nolite recipere eum in domū, nec aue ei dixeritis:qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis.hoc de eo,qui hāc doctrinam nō affert,loquitur: quā inquā doctrinam nisi certam & manifestam in Ecclesia:de hac prius dixerat,Qui non confitetur Iesum Christum venisse in

Iodn.2.

in carnē,hic est seductor & Antechristus. Qui ergo hanc doctrinam non adfert,qui contrarius est huic, quam constat totius Ecclesiæ esse,hic est seductor:hic est à communione separandus.Cęterùm quàmdiu hoc non est,cur Ecclesię iudicium præuenimus: certè quod Cyprianus asserebat, iudicabat consonum esse scripturæ,& ex ea efficacissimè inferri, non solùm ipse,sed cæteri episcopi contrariū reputarunt scripturæ, quod alij sentiebant, vt in sententijs concilij manifestum est : sed videbant se homines,& suam sententiam non susceptam in tota Ecclesia:Vnde quanquam eum,qui contrarium sentiebat, falsum sentire non dubitarent,& contra scripturæ veritatem:sed nō propterea alienum à Christo & doctrinæ eius peruersorē, atque seductorem dicebant, quoniam nondum is ab Ecclesia recesserat,cuius maxima pars contradicebat Cypriano:nec res vniuersali concilio definita erat. Dicant, quod volunt, aduersarij, certè negare non possunt, longè se ab hac modestia Cypriani esse.non est cur Ecclesiam catholicam,quam volent illi definiant,& ab ea dicant nos recessisse.Illud ex hoc opere Cypriani habemus,dignū quod attentè consideretur:quod etiam is,qui non nouam introduxit consuetudinē circa religionem, & contra quam constat factum esse ante eum in tota Ecclesia:sed etiam,qui Ecclesiæ suæ antiquam iam consuetudinem, contra quam in alijs Ecclesijs fit, sequitur, cauere debet : ne propter illam alios à communione separet, & alienos à Christo iudicet.hoc enim minus est,quàm primum, & hoc Cyprianus agebat non primum : nec enim ab eo primo rebaptizati sunt ab hæreticis baptizati : sed prædecessoris sui sequebatur exemplū,& constitutū ab eo tenebat,& tamē neminē inquit à iure communionis separantes. quare? non quia nō erret:iudicat enim Cyprianus illum errare: sed quia non recedit ab Ecclesia,quæ hoc non vniuersaliter obseruat,nec definiuit. quare putabat Cyprianus quod si vel minimum, & pusillum ex his,qui credunt in Christo, ipse à sua communione separasset, non ab Ecclesia separatum: sibi potius inferebat hoc malum, & se,alium priuare volens,verè communione Ecclesiæ priuabat. hoc est exemplum Cypriani,nec illius solùm,sed frequentissi-

tissimum etiam in Ecclesiæ antiqua.quod in quæstione illa de obseruatione Paschę ostẽsum fuit à sanctissimis,& grauissimis patribus Polycarpo Ioannis discipulo, & Aniceto Romano pontifice,vt enim testatur Irenæus apud Eusebium,Beatus Polycarpus cùm Romam sub Aniceto venisset, de hac quæstione ita egerunt, vt non vnusquisque sententiam suam obstinata contentione defenderet, cùm neuter alteri suam persuadere posset, sed communicauerunt sibi inuicem ,atque plena fide,pace integra,& firma charitate discesserunt, hoc statuentes,vt omnes Ecclesiæ concordiam custodirent,etiam si in obseruatione Paschæ diuersa sentirent.Idem voluit Irenæus victorem Romanæ Ecclesiæ pontificem seruare. Hi omnes non nouam, & nunquam receptam consuetudinem introducebãt in Ecclesiam:sed quam acceperant à maioribus:& tamen,quia non erat vniuersalis Ecclesiæ , non propterea aliquem à communione separabant:ex quibus illud , quod apertè maius est, multò magis cauendum ostenditur:si quis permanente Ecclesia in pace,& tranquillitate, & vniuersaliter aliquid circa religionem obseruante , contrarium introducere conetur: contrarium inquam eius,quod tota Ecclesia seruat : quod omnes in Christum credentes,nullo apertè,& manifestè contradicente,tenent:nónne iustũ est, & multò iustius, quàm quod Polycarpus,& Cyprianus fecerunt, vt non propterea à iure cõmunionis aliquem separet,hoc est, vt diximus , alienum faciat à Christo,seductorem , & Antichristum dicat?sit ille vnus , sint multi quantęcunque auctoritatis:certè,vt vel minimum quod dici potest,in eos dicamus,præueniunt iudicium Ecclesiæ . sic facit Brentius , & sui circa sacrificium altaris,circa sacramentum confirmationis,& chrisma, quo consecratur aqua baptismi.Contra hæc omnia,cùm in Ecclesia tota obseruentur,clamant, & introducunt alienam consuetudinem . Nónne hoc maius est , quàm quod Cyprianus fecit? cur ergo propterea se separant, & à communione sua nos alienos faciũt?nos permanemus in hac consuetudine , & quando illam certissimè videmus catholicæ Ecclesiæ esse,cum ea permanemus: nec præuenimus eius iudicium, quod certò intelligimus hoc esse. quare contra

Hist. lib. 5. cap. 24.

contra nos nõ est quid dicatur.Cæterùm illi si de hoc dubitant, si contrarium sentiunt , quare saltem non requirunt iudicium Ecclesiæ,& expectant? Quid rogo eis nocuisset hæc nonnulla modestia:vt saltem non certò definirent omnes alios alienos esse à Christo . Polycarpus, & Asiani episcopi, Cyprianus , & Aphri rem vrgebant, quam non viderant contra totius Ecclesiæ sententiam esse:parati,si viderent,sequi & tamen neminem propterea à communione submonent . Causa communionis vtriusque speciei,& exigendi votũ cœlibatus ab his, qui maioribus ordinibus initiantur,accedit magis, & similior est causæ Cypriani,& aliorum:Ecclesiæ quædam cõmunicant sub vtraque specie,& multò plures ante non multos annos communicarunt,& ante mille fortè omnes:similiter nec omnes Ecclesię exigunt votum illud ab his, qui ordinantur.Igitur qui contrà consuetudinem communionis alterius speciei , & votum hoc maiorum ordinum loquitur, non contrà vniuersalem totius Ecclesiæ consuetudinem disputat,sicut nec Cyprianus.Verùm si hoc non fit illa eius modestia:si hoc fit definiendo iam,& iudicando alienos esse à Christo,& Ecclesia,qui hanc consuetudinem sequuntur,quod Lutheri discipuli faciunt, nónne vides vt ab Ecclesia recedunt ? Non est quid iam expostulent nobiscum,aut causentur , quod eos à communione expulerimus: ipsi se primò alienos fecerunt, nos iudicantes alienos , præter vllã vniuersalem definitionẽ Ecclesiæ : vt nõ dicam contra illam,quod verum esset.Sed de hoc nũc non agimus :id sit satis, quòd exemplo maximè illorum patrum explicauimus , quàm sit manifestum signum spiritus erroris ab Ecclesia catholica separari:& quomodo id circa fidei sententiã,siue religionẽ fiat hæc nobis primò declaranda erant:iam & illud ex his manifestiùs fit, circa omnem aliam internam inspirationem idem seruandum:aliam inquam,quæ de quacunque re est, qua scilicet vel faciendum aliquid, vel omittendum inspiratur nobis. est enim illud semper exigendum ad Ecclesiæ regulam,& consuetudinem si ienunia inspirantur , si abstinentiæ ,si corporis afflictiones si vilitas vestis ,& rerum huius mundi contemptus, fiant hæc omnia iuxta quod in Ecclesia consueta sunt, & probata;

Universidad de Deusto
Biblioteca

bata:non alia ratione, nec vltra Ecclesiæ metas:alioqui superstitiosa erunt.Ieiunandum igitur est,ad subijciendum carnem spiritui,ad mortificationem Christi ferendam, non in abominationem ciborum:nec ieiunandum diebusdominicis,quibus Ecclesia prohibet,& sic de cæteris rebus. Nam hæc exẽpli causa dicta sunt,vt apertè videamus,quod nõ in fide tãtùm,sed in operibus omnibus Christianę vitæ sint nobis omnia ad Ecclesia catholicæ iudicium referenda, & secundum magisterium eius exercẽda:cuius nisi mẽbra simus, & magisteria sequamur, nihil certè agimus, quod promoueat salutem. Iraque vsque adeo proprium iudicium nobis sequendum necessariò nõ est, vt tantò magis fides nostra, & vniuersa opera grata sint Deo, quantò magis in eis proprio renũciamus iudicio,vt Ecclesiam catholicam sequamur. hoc enim propriè pertinet ad illud Salomonis consilium,Ne innitaris prudentiæ:& ad alterum eiusdem simul et Pauli:Ne sis sapiens apud temetipsum:&, nolite esse prudentes apud vosmetipsos.Nam illud certissimum est, cum hoc maximè imitari,qui in dubio sensu scripturæ suo renũciat iudicio,vel omnino adhęrens alterius sensui quem pluris facit,quàm se:cuius sapientiam suæ præfert, vel saltem non contra se sententem damnans,sed expectans Dei iudicium, quod in Ecclesia sua ille ostendet. Qui verò neutrum horum facit,sed sententiam suam mordicus tenens alios damnat:quomodo non etiam contra saluberrimum illud consilium Pauli facit:Non alta inquit sapientes, sed humilibus consentientes? Quare meritò timendum est illi,quod Esaias deplorat,Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.Fides vera,quid aliud est,quàm à proprio iudicio recedere, illi renunciare, nihilque tribuere, quæ vera illa captiuitas est, in quam Paulus se dicit spiritualibus suis Euangelicæ prædicationis armis redigere intellectũ omnem in obsequium Christi.Scio his facile responderi,captiuandum esse intellectũ, in obsequium fidei:sed fidei scripturæ sacrę,fidei,qua Deo creditur nobis in scriptura loquenti: non qua hominibus, hoc est enim quod aduersarij nostri perpetuò clamant, Scripturæ sacræ credendum esse, ad illam omnia exigenda:quibus quanquam

Prouerb.3.

Rom.12.

Ibidem.

quã satis superiùs respõdimus, non tamẽ in hoc loco,vbi agimus de ratione,qua credendũ est catholicę Ecclesię,putamus omittendum quantum errent, & sibi ipsis contradicant, qui Christianam, atque catholicam fidem non aduertunt non tantùm Deo veros fideles subijcere, sed etiam Ecclesiæ. Reuera enim fides integra non est, si tãtùm Deo nos credere dicamus: nisi etiam Ecclesiæ crediderimus.sicut enim iudicio nostro,vt Dei sequamur iudicium,fides docet nos renunciare: ita etiam vt sequamur iudicium Ecclesiæ. Nõ est Ecclesia fatemur fidei nostræ primum stabile fundamentum:sed Christus ipse primò qua Deus, deinde qua homo. Creditis inquit in Deum, & in me credite: hac ratione Diuinitatis. Et rursum secundum etiã humanitatem, Si crederetis inquit Moysi, crederetis forsitan & mihi.Ille igitur fundamentum est, præter quod, vt Paulus inquit, nemo potest aliud ponere: sed post illum proximè est Ecclesia catholica tanquam vnica sponsa, quæ vnum cum illo est.Erunt inquit duo in carne vna,quod Paulus de Christo, & Ecclesia intelligit.Quare quicquid humanum est, quicquid à Christo Deo,& homine deriuatum, omnes gratiæ eius, opus posterius est Ecclesia:nihil illi propinquius quàm sua Ecclesia: in illa abundantior gratia,integriora dona,& perfectiora.Denique omnia charismata diuina in ea sunt,quæ est corpus eius, vt inquit Paulus, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet:plenitudo eius inquit,hoc est, quę vniuersa cõtinet, & complectitur eius & dona, & opera:in ea,& per eam remittuntur peccata,administrantur sacramenta, exaudiuntur preces,donatur perseuerantia. Hæc inquam omnia Christus voluit non nisi per Ecclesiam suam nos consequi: quæ est plenitudo eius.Eadem ratione fidem ipsam,& cognitionem sui reuelat quidem ille, sed in Ecclesia, & per illam. Christo igitur credendũ est, sed agnoscẽda est eius schola, & cathedra quodammodo docentis,quæ non alia est, quàm Ecclesia catholica.Scripturæ credendum est: sed quę nobis tradita est ab Ecclesia,vt superiùs probauimus:nõ igitur homini, nec cõgregationi humanæ innitimur, cùm credimus, & agnoscimus in Ecclesia certissimè,& verissimè Deum nobis loqui. Nihil itaque

Ioan.14.

Ioan.5.

Ephes.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tutius,& tranquillius circa fidei, & salutis causam, quàm semper à iudicio Ecclesiæ pendere: quàm diu sic dispositi sumus, vt à sensu Ecclesiæ nullo modo recedamus,tam diu certè in catholica fide permanemus: hoc expedit nobis iudicare, vt si quid sapimus,aut iudicamus,totum iudicio Ecclesiæ sit subditum,quod non solùm sine nostro ipsorum iudicio, sed contra illud etiam oportet nos sequi. Sed quoniam catholicam hanc Ecclesiam obscurare,& incertam reddere conantur aduersarij,& adhuc Brentius clamat,Quid si Ecclesia contra euangelium: quid si concilium vniuersale contra scripturam definiat?& addit, Si absque iudicio sentētiæ eius standum est,non ergo sequentes iudicium Annæ, & Cayphæ in dānatione Christi peccarunt: quin potius damnabimus Ioseph̃um nobilem illum decurionem, qui non consenserat consilio, & actibus eorum:damnabimus Nicodemum,& ipsam beatissimam virginem eius matrem. Quamuis his omnibus priori loco pro captu nostro quantum satis esse possit respondimus: exigit tamen hic locus, vt de errore,& ignorantia circa fidem, & religionem qualiter,aut excusent, aut accusent apud Deum agamus:quod propter hodiernas controuersias maximè putamus necessariū:vt nouerimus qualiter agentes aut nō erremus, aut excusemur saltem errantes à crimine hæresios, & infidelitatis apud Deum. Hoc igitur vltimo loco iam nobis agēdum est,vt saltem vel ostendamus,vel excitemus eos, qui salutis suæ solicitudinem gerunt,ad cogitandum quid in horum temporum turbulentia, sententiarumque diuersitate agendum,vt excusabiles simus coram Deo.hoc igitur sic exordiendum putamus.

De

De errore,aut ingnorantia circa fidem excusante, vel accusante.

L.a 4.s

Cap.1. De agnoscēda propria humanæ naturæ ignorantia circa ea, quæ ad salutem pertinent.

IGnorantia,& error adeò sunt infirmitati humanæ,& filijs Adæ sub eius damnatione nascentibus communes, congenitæ, & quodammodo naturales:vt nullus sit cui ignorare,& errare nō frequenter contingat: nulli inquam hominum præter eum, qui simul etiam verus Deus est, & ipsa summa sapientia,& prima veritas. De alijs enim omnibus meritò clamat Psalmista, Deus de cælo prospexit super filios hominum,vt videat,si est intelligens aut requirens Deum:omnes declinauerunt simul,quò rogo, aut vnde?nisi à scientia ad ignorantiam:ab intelligendo,& requirendo Deo:ad ignorandum,& amittendum. Quid enim magis facit vt Deum amittamus, quàm illius ignorantia: cùm primus, quo illi appropinquamus,gradus cognitio eius sit:meritò igitur inquit Psalmista,Omnes declinauerunt simul,inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum,non est vsque ad vnū. Et vt Paulus colligit, Contritio & infelicitas in vijs eorum,& viam pacis non cognouerunt:non est timor Dei ante oculos eorum. Quid enim aliud ante oculos timorem Dei non esse,quàm non videre quātum, qualiterq; timendus sit Deus,nec pro dignitate cogitare.Cùm igitur tam familiaris,& cognata nobis sit ignorantia, earū maximè rerum,quæ ad felicitatem nostrā pertinent,& ad Deum, diuinarumq; rerū cōprehēsionem: quis audeat sine magna temeritate se,nō dicā,sapientē,& perfectè doctum: sed vel circa quantumuis minimam earū rerum,quæ ad veram sapientiā satis instructū pertinēt, satis oculatū cogitare? Reuera hęc summa insipientia est sapientem se credere, quem meritò hoc nomine dignum censet Apostolus,qui se putat,inquiens,aliquid scire nondum cognouit,quomodo oportet eum scire. Quid enim hoc aliud est, quàm pronunciare eum, qui se existimat aliquid scire:aliquid inquit quantumuis parum, nihil omnino scire?& meritò quidem quia modum sciendi nondum nouit,

Rom.3.

1.Corint.8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia non attigit, vt aiunt, primis labris scientiam: cuius ratio & modus hic est, vt primò ignorantiam nostram noscamus. Et rursum ait, Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sapiens sit. Quid verò stultũ fieri aliud est, quàm suam agnoscere ignorantiam: suam inquam origine, quodammodo, & natura: propterea dixit si quis videtur sapiens esse in hoc seculo, non si quis est: nam non esse aliquẽ verè sapientem in hoc seculo id etiam ostendit, quod præmiserat: nemo se seducat: & tum subiungit, si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo: innuẽs, quòd nemo nisi seductus sibi sapiens videri poterit: de quo & alibi dixit, Qui se putat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Fieri igitur potest, vt in hoc seculo, in his tenebris, in hoc exilio, & elongatione, qua proiecti sumus à facie Dei, & lucidissima illa paradisi regione sibi, aut alijs quis sapiens videatur: fieri inquam potest, vt inter cæcos videatur sibi, aut alijs videre, hoc est, in hoc seculo sapientem esse: qui tamen si vel tantillum cogitare cœperit, quanta sunt, quę ignorat, & inter ea, quę scire videtur, quàm sint pauca, quę ad liquidum nouerit: & denique quàm facilè omnis sua cognitio hallucinetur, & conuertatur in tenebras: quoties tandem contingat suiipsius obliuiisci seipsum, non considerare, nec attendere, videbit apertè se meritò stultum, & non sapientẽ esse: quod si attentiùs cogitare velit, & vel tantillum conuertere oculos ad radios veræ sapientiæ, qui ex verbis eorum, quos Deus instruere dignatus est, prodeũt, si attendere velit verborum Dei splendorem & lucem, & ab ipso Deo erudiri cœperit: tunc demum incipiet agnoscere quantæ sint ignorantiæ humanæ tenebræ, & quàm verè stultum sit apud Deum, veritatemque ipsam quicquid humanus animus ex sese concipere valet, & cogitare: tunc verè stultus fiet sibi, & huic mundo: deficiet in eo, & obscurabitur lux illa, quæ apud homines videtur sapientia, & ea deficiente incipiet verè aliunde esse sapiens. stultus inquit fiat, vt sapiens sit: cuius rationem statim inferens ait: Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum: scriptum est enim, Comprehendam sapientes in astutia eorum. Et iterum, Deus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. hæc est igi

Ibidem 3.

Ad Gal. 6.

tur

tur Christianæ philosophiæ prima pars: hic est aditus ad scholam Christi manifestè agnouisse, quæ sit ignorantia nostra, & quod verè ex nobis, ex origine, & ortu nostro nihil aliud habeamus, quàm non ignorantiam tantùm: sed errorem etiam erga illa maximè, quæ ad salutem nostram necessaria sunt: iuxta id, quod meritò in Psalmo scriptum est: Alienati sunt peccatores à vulua: errauerunt ab vtero: locuti sunt falsa. quare nisi superiori luce perfundamur, &, vt ita dicam, nouos induamus oculos, nihil possumus solidæ & ad nos pertinentis veritatis agnoscere. Illud igitur primum omniũ nobis in hac diuina schola religionis Christianæ confertur, vt superiores nobis effecti, altioríque luce illuminati proprias natiuitatis nostræ agnoscamus tenebras, hoc est Christianæ sapientiæ principium: hic profectus: hæc denique consummatio. Et vt cætera, quæ ad res alias pertinent, omittamus, mysteria fidei nostræ & scripturæ sacræ sensus quis non intelligat, quàm sint supra vires, & facultatem humani sensus? non nũc agimus cõtra eos, qui scripturam sacram apertam, & per seipsam lucidam asserunt: nam de hoc superiùs satis: sed loquimur quàm difficilè sit mysteriorum fidei vel inuestigare rationem, vel ea pro dignitate cogitare: quod & cupimus ante oculos eorum maximè, qui circa ea versantur, semper esse. Quanta enim profunditas mysterij incarnationis filij Dei? sicut illud etiã diuinitatis ipsius verbi, atque procedentis spiritus, quam excedit omnem cogitationem nostram? Quis (inquit August.) Christianus tacere potest, In principio erat verbum, & Deus erat verbũ? &c. quis capere? sic & cætera incarnati verbi mysteria: in sacramento Eucharistiæ præsentia illa Christi, & veritas quàm abscondita? Quis non apertè intelligat erga ea omnes quantumuis sapientes homines infantes esse? & res quidem ipsas credere eius lumine adiuti possumus, plenè autem nosse, aut inuestigare modum, rationemque earum, non magis nostrarum est viriũ, quàm infantis sapientissimi philosophi sensus cognoscere. Quis enim æternę generationis Filij, atque processus Spiritus sancti ratione intelligit? Quis illius simplicissimæ vnitatis, atque verissimæ trinitatis modum potest cogitare? Quis qua-

Cap. 2. In speciali ostẽditur ignorãtia nostra erga fidei mysteria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

liter Deus verè sit homo intelligere,& vnionis illius inter Deũ & hominem explicare rationem?nónne ad hæc omnia constat sapientissimos quosque non aliter se habere, quàm paruulos? quod si vel tantillum excedere voluerint, & curiosiùs inquirere de his mysterijs:satis nos docuit ipsa experientia in quantos incidant errores.Certè Arius, Macedonius, & Sabellius non alia ratione circa ineffabilis trinitatis mysterium errarũt,quàm quia vltra,quàm oportuit,conatisunt inuestigare:sicut Nestorius, Eutyches circa incarnationis mysterium:omnes etiã, qui de sacramento altaris nunc diuersam ab Ecclesia sententiam sequuntur, non alia certè ratione errant, quàm quòd audent in tantis mysterijs rationi humanæ aliquid tribuere:& sanè necesse est,vt qui circa hæc omnia infirmitatem propriam non agnoscunt,& vltra vires in diuina mysteria irruunt, turpissimè errent,& cadant:dicentes enim se esse sapientes, meritò stulti facti sunt,nec longè ab eorum errore, qui cùm Deum cognouissent,non sicut Deum glorificauerunt:illi enim hoc egerunt æquantes creaturas creatori in cultu,atque veneratione:hi verò diuina proprio ingenio inuestigare cupientes opere ipso ostendunt, se non longè esse ab hac æstimatione, quòd comprehendi, & inuestigari ab homine diuina possint, quasi non in immensum excedant. De sensibus verò scripturæ quantò est difficilius certò statuere in diuersitate, & multiplicitate eorũ,quis scit quẽ significare voluit auctor.si enim vt Aug. inquit absentis,vel mortui hominis voluntatẽ, & sensum nullus potest ita certò intelligere in obscuris,& ambiguis verbis:vt illud sensisse,qui scripsit præter dubitationem affirmare possit: quis Spiritus sancti, à quo multò sumus remotiores, profundissimos illos sensus (quos meritò eodem August. teste dignũ est tantæ immensitatis credere: vt nunquam satis ab homine comprehendi possint) se certò intellexisse affirmare queat? Quare maxima temeritas est, & proprij ingenij nimia fiducia vni sensui mordicus adhærere velle,aut ex eo sensu,qui vni,aut alteri videtur, cùm tamen possit & aliter locus intelligi, certum aliquid fide tenendum, quod aliunde præter omnem dubitationem non probetur,affirmare? aliunde haberi dicimus, vel

Cap.3. De ignorantia nostra circa scripturæ sensus.

Lib. de vtil. credẽdi ca.5.

Lib.12. confeß.

vel ex ipsa scriptura,vel ex sensu Ecclesiæ certo, Quod si considerassent Lutherus, & sui, atque reliqui nouatores non tam obstinatè assererent noua sua dogmata. Puerile reuera est, & graui ingenio indignum,verba hæc,hoc est corpus meum, vel hic est sanguis,nolle alia ratione intelligi posse,quàm quæ tibi videatur. Zuinglius vult solùm intelligi figuratiuè: Lutherus realiter:sed ita vt vtrumque realiter sit & panis,& caro Christi: demus vtrũque significari posse, cur certò vnum, & non alterum significatum volunt? & cùm tertij etiam sensus verba illa capacia sint,cur non etiam ille recipiendus? aut quomodo ex illo loco nisi aliunde certum habeamus,aliquid illorum trium affirmari debet,aut potest?Sic & illa verba,Bibite ex hoc omnes,volunt tantùm vt sibi videtur ab omnibus accipi:atque ita demum in reliquis omnibus hoc contendunt, hoc agunt, vt quod ipsi senserint,teneamur omnes sentire: vt meritò de illis, tam cùm scripturam exponunt,quàm cùm dogmata asserunt, dicam illud Augustini,quod id faciunt, quia suam sententiam amant,non quia vera est,sed quia sua est:nec quia in corde eorum, qui tradiderunt scripturas quid senserint, viderunt, sed quia superbi sunt. De his igitur satis.quæ eò dicta sunt, vt in nulla re ad salutem nostrã,& sacræ scripturæ intellectũ pertinente audeat quis sapientẽ se credere, qua præsumptione nihil certè periculosius,nec reuera aliquid irrisione sapientiũ dignius. Accedendũ est igitur ad hęc,& incedendũ,in eis summa cum humilitate, nulla sui ingenij fiducia,nullo proprię eruditionis supercilio: quod sicut si persuasum esset omnibus, & ab omnibus custodiretur,proculdubio auferret contentiones omnes, & rixas reuera pueriles in diuinis oculis:ita quia omittitur, & nec vel attentè illud cogitare volumus, parit horum temporum contentiones, & grauissima schismata in religione, contra illam Pauli saluberrimam admonitionem, quam Corinthijs commendat:obsecro autem vos fratres inquiens, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & nõ sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu,& in eadem scientia.& quidem cùm inquit,significatum est mihi,quod vnusquisque vestrum dicit, ego sum Pauli,ego au-

Lib.12. confeß.cap.25.

Cap. 4. Amor proprij sensus circa scripturam, quàm irrationalis, et quanti periculi sit.

1.Corint.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem Apollo:hoc dũtaxat in eis arguere videtur, quòd in diuersitate magistrorum gloriarentur:& de ea contenderent:tamen satis ostẽdit dissidia omnia schismata, diuersitatesque opinionum ex amore hominum siue aliorum, siue quod & frequẽtius, & grauius est, suiipsius originem trahere:dũ scilicet, vt ex Augustino superiùs diximus, suam sententiam, aut eius, quem plurimi facit, non quia vera, sed quia sua est, quisque amat. Nam si absque fuco veritas quæreretur,& humiliter: nullus sua mordicus tenebit. Quod apertiùs deinde Paulus exponit dicens: *Eiusdem 3.* Quum enim sit inter vos zelus, & contentio, nónne carnales estis,& secundum hominem ambulatis? cùm enim quis dicat, Ego sum Pauli, alius autem, ego Apollo, nónne homines estis?pro magno itaq; probro dicit Corinthijs, homines estis: siue quod apertiùs est, carnales estis:hoc est longè à diuinarum rerum sensu:quo manifestè ostenditur, tantò minus nos esse capaces mysteriorum religionis nostræ, sensusque diuini in scripturis, quantò vel nostrum, vel humanum aliquem amamus, quantumque nobis ipsis placemus. propterea priùs dixerat, non potui loqui vobis, quasi spiritualibus: tanquã paruulis in Christo lac potũ vobis dedi, non escã: nondum enim poteratis:sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Ecce vbi apertè rationem infirmitatis sensus, puerilisque insipientiæ erga diuina Paulus docet esse humanũ affectum, erga aliorum doctrinam, vel sapientiã, & multò certè magis erga suam ipsius. Vbi vt omittam omnes alios aduersarios, qui vtinam non hoc morbo nimij propriæ sententiæ amoris tam apertè laborassent, vnius Brentij, cũ quo nunc agimus, audi verba in suis his Prolegomenis. Primo enim loco de trinitatis mysterio dicit, se, suosque illud assere re apertissimè: & infert: ac nisi
" fallor sophistis & monachis, vix tantum esset roboris: vt possent noua deliria, quæ his temporibus aduersus hunc articu-
" lum excogitata sint, refutare, si nostri in hac parte suã operam
" non conferrent. in his verbis iudicent alij, quanta sit eruditio-
" nis & sapientiæ suorum in Brentio æstimatio, quantus contemptus aliorum: inter quos cõstat esse, quos Brentius nec nouit, & tamen putat vix tantum roboris in aliquo esse: vt posset à deli-

delirijs hæreticorum mysterium trinitatis vindicare: ab his igitur puerilibus, & hominum, vereque carnalium contentionibus arcet Apostolus eos maximè, qui capaces scripturæ sacræ, diuinorumque mysteriorum fieri cupiunt. Quæ ideo in hoc principio inculcauimus: quoniam tanquam fundamentum cupimus collocari in cordibus eorum maximè, qui de rebus dubijs religionis acturi sunt: & vt ex hac certissima ignorantiæ nostræ scientia illud attẽtè cogitemus, quòd cùm non sit hominum primas partes sapientiæ tenere: vt scilicet nunquam erremus: (cùm hoc supra vires omnes humanas sit: vixque vlli concessum à Deo) vt nouerimus omnes, quòd verè omnis homo mendax: saltem conemur secundum locum tenere, vt quàm minimum fieri potest erremus, & quàm citissimè, & facilimè emẽdemur. Deniq; vt vel errantes, vel in errore perseuerantes saltem excusabiles simus: atque vt omnino ad peccatum nobis non imputetur à Deo: vel saltem non ad maximum. hi enim errores sunt hominum. sic enim errare, vt non diu perseueres: vt non abstinato sis animo: vt facile emendari possis, hominum est infirmorum: & hoc ipso commiserationẽ quandã excitat, & non irã. Errauit Dauid: sed quid ait? Erraui sicut ouis, quæ perijt: hoc est, non malitia, non obstinatione, sed seductione, & lapsu à consideratione debita: & ideo ait: Quære seruum tuum domine, quia mandata tua non sum oblitus. Est ignorantia, & error etiam in iudicio hominum excusatio quædam, quæ veniam impetrat peccati vsque adeò, vt vel sero confitenti ignorasse quid ageret ignoscatur: sicut inquit Saul Dauidi, Peccaui: apparet enim quòd stulte egerim, et ignorauerim multa nimis quantò magis corã diuino iudicio, quod multò est lenius, misericordiæ excusationem habebit? peccauit Paulus, persecutus est Ecclesiam: sed tamẽ, ait, Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Ecce ignorantiam excusantem: & qua factum est, non vt non peccaret, vt non sibi reus etiam incredulitatis videretur Paulus: sed vt misericordiam consequeretur. Sic est illa, de qua Dauid inquit, Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Denique & illa, de qua Christus loquitur Patri, &

Cap. 5.
Propriæ ignorantiæ cognitionẽ plurimum iuuare ne imputetur nobis.
1. Reg. 26.
1. Timot. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

órat pro crucifigentibus se: Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: peccarunt quidem, ideoque ignoscí illis petit Christus: sed ita peccarunt, vt commiserationem culpa illa excitaret. In quo ignorantiæ gradu valde certè considerandum est, quanta sit erga nos diuina bonitas: ea enim ipsa mala, quæ ex nobis habemus, & maximè nobis connaturalia sunt, conuertit in occasionem, atque materiam misericordiæ, & veniæ: quò enim magis agnoscit diuina clementia innatam nobis esse ignorantiam, & incõsiderationem: eò minus imputat nobis peccatum: *Ionæ 4.* idq; maximè, si nos hocipsum agnoscamus. Ionæ inquit Deus, Non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plus quàm centum viginti milia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dextram, & sinistram suam. Vides quantum ignorantia hominum apud Deum possit: & illud quidem de omnimoda ignorantia infantilis ætatis est: tamen satis ostendit quantum confessio, & agnitio eius etiam in maioribus Dei misericordiam nobis cõciliet. Ex quo & illud aduerte, quàm econtra inexcusabiles sint apud Deum quantumque sibi auferant misericordiæ eius, quæ gloriantur in scientia. Nónne quantò magis, qui ignoranter peccant, & id agnoscunt, digni sunt venia: tantò etiam amplius qui se iactant, & placent sibi in sua sapientia, si errauerint, indigni ea sunt? Quàm igitur stultum est, cùm agnoscamus tã subiectos nos esse errori, tamque facilè in illum incidere, auferre à nobis id, quo maximè error noster excusari potest ante Deum? quod certissimè agunt, qui nimium in sua sententia, & eruditione sibi complacent: & se aliquid scire sibi & alijs videri volunt. Horum enim ignorantia, & error longè abest, vt eos excusare possit: cùm potius hæc manifesta superbia, & sapientiç coniuncta maximè accuset. hæc est enim illa, *Rom.1.* de qua Paulus inquit, Dicẽtes se esse sapientes, stulti facti sunt: de quibus & ait, quod sint inexcusabiles. Est itaque ignorantia, quæ apud Deum magis accusat, quòd non solùm ex hoc loco: sed ex multis etiam alijs scripturæ locis manifestè colligitur: & ea quidem multiplex: alia est enim, quam data opera homines nonnunquam volunt: de qua scriptum est, noluit intelligere, vt bene ageret: alia in quam ex socordia, ignauiaque diligen-

Cap. 6. De ignorãtia, et errore inexcusabili, vel excusabili.

diligenter inquirendi, quæ ad salutem nostram spectant, incidimus: contra quam Paulus seriò admonet, Euigilate iusti, & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent: ad reuerentiam, siue ad pudorem vobis loquor: vult enim nos pudefieri torporis, & ignauiæ, quibus fit, vt indormiamus ad ea, quæ salutis nostræ sunt, agnoscenda: alia denique inquam ex impuritate vitæ, & conscientiæ sordibus traduntur à Deo illi: de quibus dicitur per prophetam, Excæca cor populi huius: quę multis rationibus à Deo in pœnã infligitur, aut enim propter prauos, & carnales affectus decipi permittuntur à Deo homines, sicut per Ezechielem cõminatur dicens, Homo homo de domo Israël, qui posuerit immũditias suas in corde suo, & venerit ad prophetam interrogans per eum me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum. Et rursum, Ego dominus decepi prophetam illum, & extendam manum meam super illum: & delebo eum de medio populi mei iuxta iniquitatem interrogantis: sic iniquitas prophetæ erit, vt non erret vltra domus Israël à me, nec polluatur in vniuersis preuaricationibus suis. Quãdoq; verò ob veritatis odiũ cùm scilicet, quia affectibus nostris repugnat, minus amatur: de quo Paulus inquit de Antichristo loquens: Cuius aduentus est secundum operationem Sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & omni seductione iniquitatis his, qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: ideo mittet illis Deus operationẽ erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati. sunt hæ, & quàm plurimæ aliæ causæ, quibus in cæcitatem cordis traduntur homines: sed inter has etiam illa nõ minima est, de qua diximus: quæ propter superbiam, & sui ipsius nimiam complacẽtiam à Deo immittitur, vt Paulus de sapientibus huius mundi inquit, quod tradidit illos Deus in reprobum sensum. Et iterum scriptum est, Perdam sapientiã sapientium, &, stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. Nam hi sunt de quibus etiam inquit saluator: Abscõdisti hæc à sapientibus, & prudentibus. Quare magnopere hęc omnia nobis fugienda sunt, quæ non dubitamus magna ex parte causas fuisse de-

1. Corint. 15.

Esai. 6.

Ezech. 14.

2. Thes. 2.

Rom. 1.

1. Corint. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

defectionis tot millium hominum à vera fide & huius tã grauissimi Dei flagelli in tantarum hæresum permissione mittit enim Deus spiritũ erroris, vt Paulus dicit, in eos, qui veritatis charitatem reliquerunt: atq; ideo (quod in hoc loco præcipuè admonemus) desiderandum est nobis & votis omnibus, atque conatibus agendum: vt si quasi homines errauerimus, saltem error excusabilis sit coram Deo, vt vel non imputetur nobis in peccatum: vel saltem non in grauissimum illud infidelitatis, & defectionis à fide. Exigit igitur hic locus, vt de his agamus specialiùs, non quidẽ circa omnia: sed quod ad hãc causam, & tempora pertinet, circa fidem, & infidelitatem vel hæresim: quæ videlicet ignorantia, siue error sit circa ea quæ fidei sunt, qui nõ imputetur in peccatum infidelitatis & hæreseos: vel saltem minus imputetur, et nonnullam excusationem habeat: qui econtra reum huius criminis, & defectionis à fide agat apud Deum. Multa quidem postulat hic tractatus: sed est nobis restringendus ad ea, quæ vtilitati legentium prodesse possint aduersus horum temporum errores: cuius rei hinc nobis fundamentum sumendum est, & initium.

Cap. 7. Difficile esse iudicare, quãdo, quãtumq; error excusset, vel non: hoc verò maximè est de ignorãtia.

Cùm hominibus difficillimum sit, & ferè impossibile, certum de peccatis iudicium ferre: quòd hoc proprium sit Dei. nec enim solùm de alienis, quæ frequenter occulta sunt: sed nec de proprijs vllus est, qui in alteram partem tuto sententiam proferre possit: vt scilicet aut absoluat, aut condemnet: meritò enim Psalmus inquit, Delicta quis intelligit. Facile pronunciare possumus, quòd homicidium priuata auctoritate, vel iniustè commissum, peccatum sit: quòd adulterium: quòd alienæ vxoris concupiscentia: quòd denique superbia, vel hæresis peccata sint, & quidem grauissima: sed hęc in cordibus nostris deprehendere q̃ difficile sit, Paulus de se loquens nos docet, dum inquit: Nec meipsum iudico, Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Si Paulus, nullius peccati sibi conscius, non audet de se sententiam ferre absolutionis: quis hoc audebit? & vt intelligas, quàm facilè se abscondant à nobis etiã propria peccata, vide quid in Apocalypsi loquitur Deus Laodicesi episcopo: Dicis quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus: vide itaque quanta mala ita latebant hominem, vt etiam oppositа bona se habere crederet: ideoque post pauca dicitur illi, Collyrio vnge oculos tuos, vt videas. Paulus etiam post longum peccatorum catalogum, quæ nouissimis diebus tribuit, Erunt inquiens in nouissimis diebus homines amantes seipsos, cupidi, elati, superbi, blasphemi: & post multa similia tandem inquit, Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes: in quibus considera, quanta peccata sub specie pietatis sese abscondere possunt homini. Res igitur occulta cùm sit peccatum, & soli Deo satis possit manifestum esse quantum sit, quantumque possideat hominem, & quantum, atque qua ratione obnoxium eum reddat pœnæ, diuinæque iustitiæ: maximè verò hoc de ignorantia ipsa dignum est vt cogitemus. Quid enim obscurius ipsis tenebris? ignorantia verò quid aliud est, quàm mentis tenebræ? & quidem in omni peccato tantùm est tenebrarum, quantum erroris (sine errore enim, & tenebris nullum omnino peccatũ est) de hoc enim scriptum est, Errant qui operantur malum. Et rursum, Via impiorum tenebrosa: nescIunt vbi corruunt. & hac ratione sunt omnia difficilia cognitu. at verò vbi totum ipsum peccatum error est: cùm scilicet contra fidem peccatur, totum est obscuritas & tenebræ, meritò illud Euangelij dicemus: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit: si inquam oculus, animæ ratio scilicet obscura sit, & perfusa tenebris: tota mens, vniuersæ eius partes & facultates tenebrosæ erunt. Si igitur errores circa fidem tenebræ sunt, & quidem grauissimæ: totam animam tenebrosam reddunt: qua luce cognosci poterũt, & manifestari? cùm, vt Paulus inquit, Omne quod manifestatur lumen est. Itaque ad liquidum, pleneque scire quanti habendus sit error hominis, & an meritò imputandus sit illi, solus Dei est scire: solus enim ipse nouit, quid sit in homine: solus ipse agnoscit quantum in eo operatus sit: quantam infuderit animæ eius lucem: & denique quantum ex interna illustratione, externisque operibus quisque teneatur agnoscere diuina dogmata & præcepta: quantum ipsa prædicatio & doctrina exterior

2. Tim. 3.

Prouerb. 14.
Prouerb. 4.

1. Corint. 4.

Apocal. 3.

Universidad de Deusto Biblioteca

exterior hominum: quãtum ſcripturæ lectio quemlibet aſtrin
gat ad cognoſcendum,& quando. Vnde de quibuſdam errantibus ait,Si non veniſſem & locutus eis non fuiſſem,peccatum non haberent:nunc autem excuſationem non habent. Et poſt pauca, Si opera ait,nõ feciſſem in eis,quę nemo alius fecit,peccatum non haberent. Quæ de peccato infidelitatis, vt Auguſtinus inquit,dicta ſunt:à quo excuſari potuiſſent , Chriſto aſſerente,etiam non credentes : ſi non tanta opera & miracula vidiſſent.ſed hoc ſolus Chriſtus definire poterat,qui ſolus etiam nouerat, vt diximus, interna , externaque omnia , quæ ad eos pertinebant,quibus accuſari vel excuſari poterant. Itaque certum de hac re,de qua propoſitum eſt agere, iudicium non eſt expectandum à nobis: ſed à Deo tantùm , qui illuminat etiam tenebras noſtras. Quod itaque timorem eius in nobis generare poſſit,& ſolicitudinem excitare, vt cautè inter pericula horum temporũ verſemur,cupimus explicare. & quidem quod nunc agimus de errore,atque ignorantia circa fidem ſecũdum diuerſos hominum ſtatus atque conditiones , debet etiam diuerſimodè iudicari,atque tractari:aliter in his , qui fidem nec receperunt vnquam, in quibus ſunt Gentiles omnes & ethnici:ſiue antequam audierint prædicationem Euãgelij,ſiue pòſt, quos quidem qualiter vel ante auditum Euangelium non excuſet ab idololatria,quòd de vno vero Deo nihil audierint: vel excuſet ab infidelitatis peccato, quia ſcilicet in Chriſtũ non credunt, quòd nihil de Euangelio nunciatum eſt eis : & denique poſt auditum quando peccauerint non credentes agitur à nonnullis: & ſunt in hac parte nonnulla digna conſideratione. Creaturæ ipſæ corporeæ,& naturale lumẽ accuſant eos etiam,qui nihil audierunt:non ſolùm de idololatria,ſed de omnibus prorſus contra decalogum peccatis: infidelitate verò non peccant in Chriſtum, atque Euangelium, niſi poſt prædicationem eius talem,vt merito eos cora Deo aſtringat. nam vt diximus Chriſtus inquit , Si opera non feciſſem in eis , quæ nemo aliis fecit,peccatum non haberent,infidelitatis ſcilicet: verùm hoc circa ſingulos iudicare , res ipſa oſtendit, noſtrum non eſſe: neque nunc de his infidelibus agere ad nos pertinet: ſicut

Ioan. 15.

ſicut nec de obſtinatis Iudæis: vtroſque igitur dimittamus diuino iudicio, de quibus meritò illud eſt Pauli , Quid enim ad nos de his,qui foris ſunt iudicare?Nónne de his,qui intus ſunt vos iudicatis?nam eos,qui foris ſunt, Deus iudicabit . De his tantùm nobis agendum eſt,qui poſt ſuſceptã fidem,poſtquam in militiam Chriſti iurarunt,errant circa illã : nec de his,quòd ad iudicium publicum Eccleſiæ pertinet, quod Paulus proximis verbis illi tribuit,noſtrum eſt hîc dicere : ſed id tantùm, quod ad interiora ipſa noſtra iudicanda pertinet , tradere cupimus:non vt alius alium temere iudicet:ſed vt quiſque ſeipſum in timore contineat,& diligenter ſcrutetur,& conſideret. hoc enim credimus primum eſſe antidotum aduerſus horum temporum errores:vt ex proximè dictis ſatis oſtenditur. Vt gitur hæc diſtinctè doceri , & facilè teneri poſſint : tria nobis pręcipuè occurrũt,quæ meritò in conſiderationẽ venire debẽt quibus vel excuſari vel accuſari errãtes poſſunt. primum à reipſa, quæ agnoſcenda eſt , ſumitur:claritas ſcilicet, & perſpicuitas eius,quæ lux quædam eſt,vel econtra obſcuritas, & difficultas eiuſdem,quæ non aliud ſunt, quàm tenebræ quædam, in quibus latet res ipſa , quæ noſcenda eſt.duo reliqua ex affectu,atque diſpoſitione diſcentium: nec enim etiam circa eandem rem omnes diſcentes eodem ſunt aut ingenio,aut affectu: igitur horum primum eſt ſtudium diſcendi,labor,atque intentio animi, diligentiaque quærendi verum,& recta in quærendo rem:& econtra ignauia,torpor diſcendi,negligentiaque,& prępoſtera ratio quęrendi.hęc enim omnia propria eſſe bona, vel mala diſcentium conſtat.Tertium denique atque vltimum affectus eſt animi erga res , quæ diſcuntur:amor ſcilicet , aut odium rerum ipſarum: præueniens frequenter ſtudium agnoſcendæ,diſcendęque veritatis. conſtat enim & hoc non parum intelligentiam vel adiuuare , vel impedire : affectus enim ille pręueniens rationem,quo cupimus verum eſſe id,quod placet: & permittimus nobis ante plenam cognitionem amare,& cupere,vt id, quod placet,verum ſit,excæcat oculos,impedit ſtudium,& denique agit,vt omnia eò tendant,quò maximè afficimur:atque ita fit,vt quò perſpicacior eſt acies rationis, quò ſo

Cap.8. Tria conſiderãda circa errorẽ fidei.

lertior

lertior intellectus, quò acutior, & velocior, eò minus possit aliud cogitare, quàm quod maximè cupit verum esse: ad id persuadendum subtilissima etiam vnde minus videtur media colligat, & contraria omnia acutissimè reijciat, & soluat, cùm nonnunquam, vbi maximus est affectus, etiam rudes, & hebetes, atque obtusi, acutissimi, & acerrimi fiant. Tria itaque hæc sint nobis ob oculos posita, quibus aut excusatur, aut arguitur magis, & augetur ignorantia, claritas, vel obscuritas rei, diligentia, studium, & rectus ordo verum quærendi, & quæ his contraria sunt: denique affectus ex præiudicio conceptus, quo scilicet, antequam agnoscatur veritas, cupimus iam verum esse quod placet: de quibus iam sigillatim est dicendum.

Cap. 9. Quanta sit dogmatum fidei claritas, quantūq; circa ea nunc errantes peccent.

Obscuritas quidem rerum, quas conamur agnoscere, non ea tantùm credenda est, quæ ex rerum ipsarum natura in sese est: sed illa non minus, quæ non à rebus ipsis, verum ab intellectus nostri imbecillitate orta est: qua fit, vt ea, quæ in se lucidissima sunt, & perspicua, nobis difficilima cognitu sint: cùm videlicet eorum tantam lucem sustinere non valet acies oculorū mentis nostrę: vt verissimum sit, quod philosophi ipsi dixerunt, Ad hæc intellectum nostrum se habere, vt oculus noctuę aut vespertilionis ad solis lucidissimum lumen se habet. Quædam nobis difficilia sunt cognitu ob suum ipsorum defectum propter proprias tenebras, &, vt ita dicam, ob propriam suam paruitatem: quò enim minus quæcunque res habet perfectionis, & bonitatis, eò minus cognosci potest: nō aliter, quàm minutissima quæque, sensus nostros effugiunt. sic materiam illam primam rerum omnium informem August. docet difficilem esse cognitu: quoniam prope nihil est, & si non sit omnino nihil. Iam verò Deus inaccessibilis lux est: Angeli ei præ cæteris omnibus coniunctiores, & lucis pleni, tanquam specula quædam purissima in sese quidem perspicacissimi sunt: atque ideo multum excedunt visus nostri vires. De his itaque nobis etiam, & quidem maximè hic est agendum: quantò aliqua difficiliora sunt cognitu, quantò plus excedunt vires nostras, quantò minus sunt nobis manifesta: tantò eorum ignorantia minus nobis imputari meritò debet. quantò manifestiora, & luci-

lucidiora sunt, tantò turpiùs ignorantur. sunt quidem omnia fidei nostræ mysteria nobis longè superiora, in altissima illa specula diuinæ naturæ, vel voluntatis eius quàm longissimè à nobis eleuata: de quibus meritò dictum est, Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum: & illud, quod de Deo dicitur, Vnusquisque intuetur procul: ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. & quidem adeò nostrum excedunt diuina omnia captum, vt non nisi altiori quodam, & ab eo nobis gratis infuso lumine agnosci possint. Deus, inquit Paulus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. Est quidem diuina quædam lux in scripturis sacris, in prophetis, & Apostolis, quibus meritò Christus inquit, Vos estis lux mundi: sunt in eis verba diuina, à Deo scilicet eis reuelata, verùm nec huius lucis capaces sumus, nisi etiam acies nostra cōfortetur à Deo. Nec enim caro, & sanguis reuelat, sed Pater, qui in cælis est. Nemo enim nouit Filium nisi Pater, nec Patrem nisi Filius, & cui voluerit ille reuelare. nō solùm videlicet ostendendo, sed & nouum lumen, quo videri tam lucida possunt, præbendo. In lumine, inquit, tuo videbimus lumē, & quidem miris, varijsque, & innumeris modis à principio ipso, quo placuit Deo hominibus innotescere, post lapsum maximè humanæ naturæ egit, vt diuina sua paulatim nobis coaptaret: atq; ita ostēderet attēperans splendidissimum illud naturæ suæ, voluntatisque, & operū lumen captui infirmitatis nostræ: atque visum ipsum, aciemque nostram exercens, & paulatim roborans: ne si subitò perstringeret infirmos nostros obtuitus lux illa splendida, refugeremus ad consuetudinem tenebrarum nostrarum. Igitur ex omnibus quæ secundum diuersa tempora diuina erga nos prouidentia operata est, quò ad se cognoscendum erigeret, historia illa noui, & veteris Testamenti contexta est: qua quibusdam doctrinæ gradibus ab infantia ignorantiæ, & stultitiæ, vsque ad virilem prudentiam, scientiamque perfectam, & in hoc seculo, & in futuro perducimur: ita videlicet, vt per illa omnia fides in nobis generetur, & coalescat magis quotidie: quæ veluti opacitate quadam arborum, & foliorum:

Iob. 36.

2. Corint. 4.

Psalm. 35.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed pulcherrima,& amœnissima diuina prudentia nobis coaptat, quam sequentes tanquam viam quandam, quam nobis Deus strauit, vt August.inquit,patriarcharum segregatione,legis vinculo,& prophetarum præsagio, & susceptihominis sacramento,& Apostolorũ testimonio, & martyrum sanguine, & gentium occupatione peruenimus eodem teste incipientes ab humanis, & proximis,ab his scilicet ipsis,in quibus cecidimus,& quibus heremus corporeis,& transitorijs rebus, peruenimus,inquam,à fidei quadam pueritia ab infirmitate,qua vix aliud, quàm carnalia nouimus cogitare : multò verò minus amare, ad liquidissimam cognitionem, scientiamque illam. quam per Esaiam promittit credentibus,qui ait, nisi credideritis non intelligetis: ea enim,non solùm quæ fides nos docet impossibilia non esse, sed etiam conuenientissima Deo, eumque maximè decentia agnoscimus, & videmus : spiritualiaque,& cælestia,atque æterna abiectis corporeis omnibus,ac temporalibus meditamur cum eo,qui dicit,non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.quæ enim videntur temporalia sunt:quę non videntur æterna:qui profectus credentibus omnibus maximè debet cordi esse:vt in hac diuina schola non torpeant, non dormiant: sed vt Paulus inquit euigilent,sicut filij lucis,& diei,nõ noctis,& tenebrarum. propter quod sapiens iustorum vitam luci splendenti confert, quæ procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. profectus enim ipse quodammodo scripturæ sacrę Dei illa continua magis,magisque se, suaque manifestandi nobis cura, satis ostendit:quantum ad proficiẽdum in hac luce conari debeamus: & ad id nos adiuuat conatus ipse,laborque sanctorum omnium, qui nobis faciliora multa fecit:ita vt post Apostolorum prædicationem,post martyrum sanguinem, & conuersionẽ mundi,gentiumque omnium ad fidem,quibus illustrata sunt nobis multò magis mysteria fidei, auctaque diuina cognitio, quàm fuerit olim antiquoribus patribus,vt dicamus meritò,super senes intelleximus: & illud Pauli ratione quadam nobis vsurpemus,Alijs generationibus non est agnitum filijs hominum mysterium Christi,sicut nunc reuelatum est;nec solùm his, sed & se-

De moribus Ecclesiæ cath.cap.7.

Lib. de vera religione.

2.Corint. 4.

Prouerb.4.

Ephes.3.

quentium patrum sanctissimis lucubrationibus, & vigilijs, indefessis episcoporum, assiduisque prædicationibus,grauissimorum conciliorum auctoritate,& definitionibus multò apertiora,multò manifestiora facta sunt nobis mysteria fidei:& errorum,hæresumque diuersarum nebulæ,& caligines dissectæ: dum tanta lumina patrum, & conciliorum nobis accesserunt, quæ etsi rebus ipsis illustrandis necessaria non essent,nobis tamen quàmplurimum profuerunt: reddideruntque omnia ad æternam salutem necessaria manifestiora, atque certiora : vt meritò nunc,si illa spectemus patrum lumina, non solùm iam præcessisse noctem,atque recessisse,appropinquasse verò diem sed etiam profecisse diu,multumq; iam, & ad meridianã illam lucem appropinquasse lucem ecclesiasticæ doctrinæ non dubitemus.quãquam heu socordia nostra,& peccatis factum est, vt cœperit iam adueſperascere, & inclinari dies ille fidei atque doctrinæ Apostolicæ : & impletur in nobis illud Esaiæ : Impegimus meredie,quasi in tenebras. Sed non propterea Ecclesiæ doctrina non profecit,non lucidior facta est tantorum luminum illustratione:vt etiam propter hoc illud sit verum, lux in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehendunt. Iam igitur hæc colligentes ad id, de quo agimus, quantum conferunt,intueamur.Diuina mysteria, fidesque, quæ à principio orbis manifestari cœpit hominibus,vsque ad nos quotidie illustrior facta est,& manifestior:circa illam igitur errantes eò magis peccant.Sicut itaque,qui post Christum, & Apostolicam prædicationem circa fidem gratiæ eius errant, inexcusabiliores sunt his,qui vel sub lege tantùm,vel ante plenam prædicationem Apostolorũ errarunt. Sic qui nunc post August. post Hiero.Atha. & cæteros patres,post Nicænum,& tanta alia cõcilia circa eadem errant:multò sunt maiori reprehensione digni : & peccant simul in omnia : in Christum, in Apostolos, in martyres, in sanctissimos patres,in concilia,& in totum orbem.Si illis patribus visum fuit iam tunc suo tempore post auditam in vniuerso orbe euangelij prædicationem,post confirmatam fidem tantis miraculis,tot martyrum sanguine,tot sanctissimorum hominum exemplis:post denique imperatorum

ipsorum, & totius humanæ sublimitatis subiectionem nō esse de fide, tanquam de nouella re disputandum, nimiamque, & inexcusabilem ignorantiam esse circa tam certissima, & compertissima errare: quid nunc nobis cogitandum est de his, qui adhuc circa hæc ipsa non solùm multa in dubium reuocant, quæ iam diu constituta sunt: sed etiam contraria planè affirmant, errantes quidem, & nescientes: sed minimè excusabiles, quippe qui ingrati sunt luci ipsi, & splendori diuinæ gratiæ: dum nolunt agnoscere quanto Dei beneficio, quæ ad salutem nostram, & fidem pertinent, facta sunt in dies lucidiora? Quid enim aliud agunt, qui de omni re, de qua aliquando, aut ab aliquo dubitatum fuisse agnoscunt, volunt & ipsi non solùm dubitare, non curantes, quòd postea beneficio Dei in Ecclesia liquidissima luce explicatum est, & cognitum: sed etiam contrarium statuere, & obstinatiùs sequi: quid inquam agunt, quàm diuinæ ordinationi, & prouidentiæ in sua gubernanda Ecclesia repugnare? cur enim putamus Deum tot hæreses permisisse in Ecclesia? cur nullum non mysterium fidei sustinuisse à pro-
1. Corint. 11. phanis exagitari, nisi vt, sicut Paulus inquit, qui probati sunt, manifesti fiant: & illa aduersariorū impugnatione, & fidelium, piorumque diligentia manifestiora fiant omnia? Non igitur iam sine graui etiam culpa dubitari, aut errari potest circa omnia, circa quæ olim dubitatum fuit, aut erratum. Nunquid excusabile erit nūc reuocare in dubiū hæreticorum baptismum? circa quē tamen Cyprianus sanctissimus errauit: nec tamen error illi pernicioſus fuit, aut exitialis. Sic de celebratione Paschæ, sic de quibusdam libris canonicis: cur quæ definita sunt in Ecclesia, & illustrata propriis tenebris rursum obscurare conantur nouatores, eò minus excusabiles, quò sibi sapientiores videntur: & specie sapientiæ, atque antiquitatis & decipiuntur, & decipiunt. proni ad inquietandos simplices, faciles ad dubitandum de omnibus, & difficiles ad consentiendum bonis, atque modestis? Igitur si hæc omnia vera sunt: si lux splendidissima fidei non permittit nos præter grauissimam, & inexcusabilem culpam circa eius dogmata errare: magna nobis est cautela nunc viuendum, & magno timore salutis nostræ curandum:

ne

ne errantiū tenebris inuoluamur. Non est nouū, nō est inconsuetū in Ecclesia, sed frequentissimū in maiori lumine, & splendore grauiùs, magisq; errare eos, qui semel cœperint errare: id quod ratio ostendit. Necesse est enim, vt quò maius est lumen, maiores sint tenebræ, quæ illo nō superātur: & quò magis splēdet veritas, maior sit cæcitas, quæ illi opponitur. Certè circa diuinam naturā, eiusq; opera multò magis errarūt, qui post euangelicā prædicationē diuersas hæreses pepererunt: q̄ qui vel sub lege, vel etiā sine lege deuiarūt. Valētiniani, Manichęi, & similes maiora portēta, et indigniora de Deo cogitarūt, quàm ipsi etiā gentiles: nō igitur mirum si aucta luce dogmatum in Ecclesia maior sit errantium cæcitas: atque ideo inexcusabilior: meritò igitur summa diligentia nūc præcipuè nobis omnibus fugienda. Hæc quidem in vniuersum de erroribus omnibus præsentibus maximè sint nobis data: verùm sunt in eis gradus quidam: nec enim omnes errores æquales sunt, sicut nec omnium eadem est perspicuitas: sunt alia alijs euidentiora, & circa ea eò pernicioſiùs erratur, quò lucidiora sunt, quos quidem gradus difficile, aut certè impossibile est in vniuersum discernere. Sed nec id opus est huic proposito: quis satis poterit vniuersa colligere dogmata, & vniuersos circa illa errores? & quis, quæ inter dogmata lucidiora, quique inter errores crassiores sint, definire valeat? satis fuerit, cùm de quocunque agitur dogmate, aut errore, illius lucem, & huius tenebras, quantum fieri poterit explicare: vt non solùm quàm sit falsus error, quàm lucida veritas ostendatur: sed etiam premantur lucis testimonijs ingenia superbiora, & ijsdem illustrētur humilia: vt quàm sint culpabiles errantes, quamque inexcusabiles apud Deum ostendatur. Quod si nunc nobis circa omnes præsentium temporum, & eorum, cum quibus agimus, discipulorum Lutheri errores agendum esset, multùm excederet modum hic tractatus, & rationem etiam eorum, quæ nunc agimus. Non enim de singulis erroribus nunc institutum est dicere: non suscepimus omnes confutare secūdum proprias suas causas & rationes: sed communi omnibus ratione, quàm sint inexcusabiles eos sequentes conamur dicere, ostendentes aduersus quantā,

Cap. 10. Alia alijs lucidiora in Ecclesiæ doctrina: sed circa omnia inexcusabile esse errare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm constitutam, antiquam, & lucidam doctrinam sint omnes: vtpote qui contradicant fidei fundatissimæ, & vel antiquitate ipsa robustissimæ, & in vniuersum omnibus lucidissimis omnium temporum luminibus. Si quid tamen de his lucis gradibus, & contrarijs eis tenebris dici potest, quod horum tenebras ostendat, & errantes quàm sint inexcusabiles manifestet, illud est, quod cùm sint inter hæc & lumina, & dogmata alijs alia lucidiora, sicut alia ab alijs illustrantur. Horum temporum errores contra manifestissimam veritatem sunt. Si enim Brentio, suisque dixerimus: An qui hodie circa mysterium incarnationis Christi, veritatem diuinitatis eius non agnoscunt cum Nestorio & Ario: vel veram carnem cum Manichæo, & Apollinari negant: aut vtrumque cum Eutychete confundunt excusari possint: profectò clamabunt post tantam lucem scripturæ, & conciliorum grauissimorum: post tot seculorum consensum inexcusabiles esse, & meritò grauissimi criminis, & hæreseos reos coram Deo & Ecclesia: si inquam illis videtur horum dogmatum tanta lux esse, vt adhuc errare, non sit aliud quàm odire lucem, & amare tenebras: cur permittunt sibi circa alia disputare, & censere contra non minus lucida, non minus scripturæ, conciliorum, & seculorum consensu stabilita, quàm sint illa? Virginitatem enim gratam esse Deo, & cœlibatum, & hæc digna esse remuneratione æterna, cultumque ei gratissimum scriptura, concilijs, & consensu totius Ecclesiæ, addo & ratione ipsa omnium gentium testimonio agnita, confirmatur. Nam vt illa omittam, quæ ad scripturam, concilia, & omnium temporum cõsensum pertinent, quæ notissima sunt: certè vestales virgines Romanorum & aliarum gentium testimonio sunt, naturæ rationali inditum esse, vitam cœlibem dignam esse honore, dignam anima rationali, & in corpore incorporeæ, spiritualisque vitæ meditationem esse. Nonne igitur meritò inexcusabiles sunt hæc negantes? non minus, quàm qui alia circa Christum negant? eadem ratione & de quàmplurimis alijs horum erroribus ostendere possumus: sacrificium missæ, inuocatio Sanctorũ, pro defunctis suffragia, & orationes: non minus confirmata sunt, & constabilita antiquissimo con-

consensu, quàm priora illa. Cur ergo propter obsusas ab hæreticis tenebras, non certè in res ipsas, sed super corda auertentium se à diuina luce obscuriora putabimus ea, quàm alia, quę eodem lumine perfunduntur? Anabaptistis baptismus paruulorum ignoratur: & tamen quam est manifestus Lutheranis? Zuinglium latet veritas sacramenti altaris: sed quanta luce, quamque antiqua manifesta est! Non itaque patiamur ob errantis cuiuslibet cæcitatem obscurari nobis tam manifestissima lumina, nec minus turpiter credamus agere, vel magis excusabiles esse, quos nunc videmus errantes, quàm qui olim errabant: sed multò magis. Certè tam lucida est fides, tam illustrata dogmata omnia: vt in tanta luce aut vix, aut nullo modo citra grauissimã culpã errari possit. Quanquam enim quædam magis explicata sunt, & concilijs definita, quàm alia, de quibus nunquam actum est, aut controuersum, (hoc enim non parum addit luminis) tantus tamen, tamque diuturnus consensus Ecclesiæ, tam lucida cuncta eius dogmata effecit: vt meritò inexcusabilis credatur omnis cõtra illa error. Adde quod non hæc altissima sunt, & inaccessibilia, vt mysterium trinitatis: sed ipsi rationi consona, & peruia, sacrificare Deo: cœlibatum offerre: Inuocare Sanctos, vt amicos Dei, &c. Sed vt de his gradibus specialius aliquid dicamus, quod hanc tantam cæcitatem ostendat: illud certè constat, ea esse lucidiora, & apertiora nobis, quibus alia illustrantur & confirmantur: vt verbi gratia dicamus, cùm per scripturam docentur & probantur, quæ in dubium veniunt, necesse est, vt ipsa lucidior sit, magisque nobis conspicua, & manifesta cæteris omnibus, ad quæ docenda & illustranda adducitur. Necesse est enim, vt si de aliqua scriptura dubitari cœperit, multò magis de illis omnibus dubitetur, quæ illa confirmantur: vt ex Augustino satis ostensum est. Quoniam verò scripturam ipsam Ecclesia nobis tradidit, vt certissimum est, eiusque testimonio nobis diuinam esse reuelationem constat: meritò necesse est, vt Ecclesia primò, magisque nobis sit cognita. Quare Augustinus, vt explicatum est superius, non dubitauit dicere: quod si ei auctoritas Ecclesiæ dubia fieret & incerta, mox de tota scriptura dubitaret,

Cap. 11. Quam inexcusabilis error, Ecclesiã nõ agnoscere

Contra epist. fundamenti.

bitaret. meritò igitur Deus, qui saluti nostræ, & eidem Ecclesiæ nunquam deest, ipsam præ cæteris omnibus perspicuam & manifestam reddidit nobis, qui Apostolorum prædicationem non audiuimus. Hæc enim sicut tempore prior fuit Ecclesia, à qua & orta est: sic illustrior, & præ cæteris manifestior fuit. de qua Christus primò dicit, Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, sed super candelabrum, vt luceat omnibus. iam verò nobis omnibus, qui succedimus Ecclesiam, vt primum, manifestissimumque externum lumen Deus dedit: quod supra satis ostendimus ex illis Euangelicis verbis, si dixerint vobis, Hic est Christus, aut illic, nolite credere: & vbicunque fuerit corpus, siue cadauer illuc congregabuntur & aquilæ. vbi & testimonia patrum certissima huius rei adduximus, in quibus omnes agnoscunt Ecclesiã Christi ciuitatem illam esse super mõtem positam, de qua Christus inquit, quod non potest abscondi. quare meritò eius tã manifestissimo lumine cætera nobis illustrãtur fidei mysteria: nobis inquã, dixerim, quibus diuina & lucidiora minus comprehensibilia sunt. quare omnia hoc Ecclesiæ lumine attemperata tradita sunt à Deo: dũ ipsa nobis in magistrã, colũnamq; & firmamentum veritatis ab eo data est, cuius magisterium, vt Dei ipsius in ea loquentis vocem, audire debeamus, Ecclesia cathedra est, & schola cui præsidet Christus: Vobiscum, inquit, sum omnibus diebus: præsidet, inquam, per spiritum illum suum, per quem & omnia docet: ille, inquit, docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Quis verò non intelligat, cuiusuis doctrinæ discipulis primò omniũ agnoscendam esse scholam, cathedramque magistri, atque vocem ipsam: quę omnia in Ecclesia sunt. Credat quisque vt volet, & quantum volet euoluat scripturam, perscrutetur, & penetret, doceatq;: certè si extra Ecclesiã id agit, alienus est à schola Christi, etiã si sanguinem fundat pro illo, infidelis est omnino: & vt August. inquit, qui quod vult credit, quod non vult, nõ credit, qui eorum, quæ Ecclesia docet, hoc suscipit, illud reijcit: non Ecclesiæ, atque ideo nec Deo, sed sibi credit. Nulla igitur in eo vera fides: non credit illi, de quo scriptum est, Credidit Abrahã Deo,

Deo, & reputatum est ei ad iustitiam: non est filius Abrahæ, qui est pater omnium credentium: non est hæres iustitiæ, & promissionis Abrahæ, & extra domum agnum comedens ad populum Dei non pertinet. & ideo omnino alienus est à capite, qui corpus non agnoscit: & à doctrina, qui locum ignorat, & vocem doctoris. qui igitur Ecclesiam primùm à nobis agnosci voluit, lucidissimam effecit: atque ideo nõ dubitamus nullum eorum, qui Christo nomen dederunt, excusari posse ab ea agnoscenda. hunc errorem, quo vera ignoratur Ecclesia, vel falsa pro vera suscipitur, inexcusabilem omnino asserimus: sine quo omnem alium meritò excusabilem ab hæresis & infidelitatis crimine credimus, quamdiu Ecclesia agnoscitur, & vera habetur magistra, errari potest: vel quia nondum illa certum aliquid docuit: vel quia nobis notum non est quare in omni errore quicunque Ecclesiam agnoscit, expectat, & vel quærit, vel desiderat eius iudicium. circa quæ peccari quidem potest, dum minus, quàm ratio exigit, quæritur sententia Ecclesiæ, minus desideratur: sed longè hæc ab hæresi, & schismate, quæ ab Ecclesia separant. habẽt etiã in ore schismatici, & hæretici Ecclesiam, & veram Ecclesiam semper clamãt: sed si illam non vident, quam supra montem positam abscõdi non posse Christus dicit & agnoscunt omnes patres: si inquam illã hîc esse, aut illic: si in penetralibus, & secretis, tanquam iustorum tantùm, vel prædestinatorum sit & ideo soli Deo cognitã clamant: apertè se produnt cæcos, & alienos à lumine fidei, frustraque cum eis agetur, nisi priùs Deus lumen infuderit, quo primã, manifestissimamque lucem fidei à Deo nobis datam intueantur. Meritò de his Paulus inquit, quod peccant, cùm sint proprio iudicio condemnati. quo rogo alio proprio iudicio, quàm eo, quo iudicant ignotam esse Ecclesiam, incertam quam audire debent, & in omni fidei dogmate magistram habere: certè in schola Christi non minus dubitantes de Ecclesia reijciẽdi sunt, & omni alia doctrina iudicãdi indigni: quàm in scholis philosophorum excluduntur, qui prima lumina, dignitatesque illas maximas, & principia non agnoscunt: & sicut in illis, qui hæc suscipiunt, si in alijs errauerint, emendabiles

Ad Tit. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt:sic omnino in fide qui Ecclesiã agnoscit,si errauerit,emẽdabilis est, & facilè aut reducetur ad viã, aut continebit se, & fouebitur in schola Christi.Qui tamen aiunt veram Ecclesiam sequimur: illi nos adiungimus, nec tamen nobis nota est, nec illam agnoscimus,quam vniuersus agnoscit mundus,& res ipsa declarat Apostolis succedere : qui inquam successionem hanc,& consonantiam doctrinæ, & vnionẽ cum vicario Christi,de quibus primo loco diximus,non certissima fide tenent, conuincuntur ignorare principia, & quæ Christus abscondi non posse dicit, eis esse abscondita:ex quo fit,vt oculis carere apertè conuincantur:suoque hoc iudicio necesse est, aut illos inexcusabiles esse,aut verba Christi de Ecclesiæ suæ perspicuitate,& luce falsa.Quomodo,rogo,excusari potest,qui non videt aduentum,& præsentiam Filij hominis, vt Christus inquit, qui sicut fulgur totũ illustrat orbem,Ab Oriente, inquit, egreditur,& apparet vsque in Occidentem.Crassissimus est hic error,& maximus:ignorantia est rei maximę,& à Christo primò nobis manifestatæ. Quomodo ergo in hãc incidet,nisi qui sibi ipsi subtraxerit lumen? Sunt quidem occultissima Dei iudicia,& incomprehensibilia nobis,quæ ipsi reseruata sunt; illud tamen non dubitamus post baptismum susceptum, post agnitam semel Ecclesiam, eiusque vel ex parte aliqua doctrinam, non sine magno diuinæ gratiæ, atque lucis contemptum, & iniuria,in tantas tenebras,quibus Ecclesia occulta fiat,incidi posse.Ipsi,inquit scriptura, fuerunt rebelles lumini. Et rursum,Verterunt ad me terga,& nõ faciem. Hæc igitur ignorantia:hic error omnium errorum origo, & mater: omnes alios continet,& inexcusabiles reddit:sicut econtra si abfuerit, reliqui omnes facilè excusantur.Vtamur hoc loco Cypriani exemplo, de quo satis superiùs visum est, & conferamus illud cum Donatistis: Ille repetẽdum hæreticorum baptismum iudicãs, & errans,quia certam Ecclesiam,manifestamque nouerat,non ideo dixit,non est hæc Ecclesia, quæ aliud sentit, non sunt hi veri successores Apostolorũ:atque ideo non se separauit, nec alios à communione sua abiecit,quos nouerat,& certò intuebatur in vnione vnius manifesti corporis Christi permanere:

errarę

errare potuit, sed præter hæresim, præter peccatum. Quid verò Donatistæ ? Primùm se ab Ecclesia separarunt non negantes vnam,veramque Christi Ecclesiam: sed hoc agentes, vt quæ illa esset in dubiũ verteretur:dũ non apud reliquos omnes episcopos,& populos quos sacrorũ librorum proditores, violatoresque fidei, & multis irretitos criminibus causabantur:sed apud se,qui sibi mundi videbantur,Ecclesiam dicerent esse.Itaque non quod Ecclesiã Christi negarent agnoscendam esse matrem : sed hoc duntaxat nomine,quod illam occultam, & incertam ita facerent, vt in suo tantùm angulo crederetur esse,damnati sunt.Idemque error de baptismate hæreticorum repetendo, qui Cypriano imputatus non est, illis perniciosus fuit, & inexcusabilis. Quod si cogitemus apertè,nobis ostendit Lutheri,suorumque speciem,& explicat,quis sit error hic, quo ignoratur Ecclesia.Hi enim Ecclesiam prędicant, glorianturque se ad eam pertinere : at verò nostram, nosque omnes infamant, vt olim Donatistæ, desertionis Apostolicæ doctrinæ, & multorum aliorum criminum, quæ nunquam probarũt,sicut Augustinus de Donatistis inquit : Atq; ita occultam, & incertam Ecclesiam faciunt, peccantes in prima ipsa principia:Eam enim Christus abscondi non posse dicit:hoc nomine illis peiores,quod iuxta ipsorum dogmata, nec apud eos dici possit certò esse Ecclesiam.Cùm enim ex prędestinatis tantùm illam veram, firmamque Ecclesiam doceant constare : necesse fit,vt nulla hominum in hac vita congregatio cognosci possit ea esse: siquidem de nullo certò in hac vita constitui potest, quòd sit prædestinatus.Longe itaque sunt ab exemplo Cypriani. Probent igitur nos damnatum aliquem errorẽ in Ecclesia sequi,& fatebimur iustè nos ab eis reprehẽdi:aut si hoc nõ possunt,si quos errores dicunt,damnati non sunt, expectent iudicium Ecclesiæ. nam nos nullum nisi ex hoc Ecclesiæ iudicio damnatum reijcimus. Agnoscimus enim certã, & manifestam Ecclesiam,quam illi incertam, & occultam dicentes in omnibus alijs non eius:sed proprium iudicium se sequi manifestant. Peccant itaque,& errant in manifestissimam lucem.

Cap.12. Error crucifigẽtiũ Christum quàm inexcusabilis.

Huic errori illum ego simillimum dixerim, de quo loqui-

tur

tur Brentius, sacerdotum, & scribarum, qui Christum non agnouerunt: sed potiùs in mortem eius conspirarunt, de eo meritò nobis dicendum est, vt is de quo agitur detegatur magis. Errorem igitur illum, quo Christum non receperunt principes sacerdotum, & plebis Iudaicæ, lux illa tanta doctrinæ, miraculorum, virtutisque efficacissimæ, qua in animas ipsas operabatur Christus, vitæ eius modestia, patientia, & simplicitas inexcusabilè manifestissimè fecerũt. tanta enim singula horum erant, vt coniuncta omnia omnem superarent, & subijcerent sibi rationẽ, & auctoritatem. Christus cùm venerit, dicebant videntes miracula, Nunquid maiora opera faciet? Et iterum, Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam. De doctrina, nunquam sic locutus est homo, dicebant audientes: Quæ tam efficax erat, vt omnium aduersariorum obturaret ora, & silentium imponeret: ita vt nemo posset respondere verbum, nec auderet quis eum amplius interrogare. Vitæ verò tanta erat innocentia, vt & Pilatus sciret, quod per inuidiam tradidissent eum: & latro clamaret, hic nihil mali fecit. hæc omnia tam publica, tã manifesta, tam lucida, quæ omnes conuincebant, & superabant, in se quidem tantæ erant efficaciæ, vt nullus, nisi qui resisteret tam perspicuę luci, posset non credere. Si verò scripturis prophetarũ, in quibus omnem spem suam populus ille meritò collocauerat, coniungantur, multò erant efficaciora, & doctos maximè illarum scripturarũ ita cõuincebant, vt inexcusabiles omnino redderent: adeò vt miranda sit tanta cæcitas hominum, mirandum inquam, quòd in tanta luce potuerit quis cæcutire. Ita inquit Christus, Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Et iterum, Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam (loquitur verò de Iudæis incredulis) quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic. De testimonijs verò prophetarum inquit, Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos vitã habere: quia illę testimoniũ prohibẽt de me. Et, si crederetis Moysi, crederetis forsitã mihi: de me enim ille scripsit. Meritò igitur hãc tantã cæcitatẽ principũ liber sapiẽtię dãnans, cõsiliumque eorum in morte Christi, referens hæc inquit, Cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim eos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei. Igitur tam manifesta repugnantia lumini principes quidem, & doctores non minus reos fecit: sed multò magis apud Deum, quàm si cognitum fuissent persecuti. Noluerunt enim intelligere, vt bene agerent, quare etiã si non intellexerint, aut minus intellexerint, reputantur feciſſe contra agnitam veritatem, sicut Diabolus ipse, de quo tamen, & membris eius Paulus ait, Si cognouissent nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Et nihilominus Christus in parabola colonorum vineæ inquit illis, quod dixerunt, Hic est hęres, venite, & occidamus eum, & nostra erit hęreditas: dixerũt, inquit, intra se videtes filium. Huic igitur tã manifesto, & aperto errori nullus non solùm tenebatur credere contra Christũ, verum Messiam, verum illum prophetam ipsis per Moysen promissum cum tam graui diuina comminatione, Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. Non itaque solùm non tenebantur credere: sed potiùs tenebantur contradicere, & debuerant quidem aut id apertè facere, aut saltem sese separare à tanto scelere.

Et quanquam, quod superiùs diximus, hoc nihil promissionem diuinam de veritate, & certitudine doctrinæ illi populo promissæ præsente iam Christo impedierit: tamẽn quia ad huc non manifestum erat omnibus, non explicatum cessasse iam veterum illorum sacerdotum, sacramentorum, & sacrificiorum necessitatem, & vim, qua obligatum tenebant populum, quanquam iam presens erat Christus, nec à sacerdotibus illis pendebat auctoritas doctrinæ sed ab illo: quia tamen nondum apertum erat, nec sacerdotes illi, & doctores publicè depositi à gradu, multos ex simplicibus, & infirmis plebis, & ex alijs excusauit apud Deum auctoritas illa principum: quos & Christus ipse excusat apud Patrem: Ignosce, inquit, illis, quia ne-

Ioan.7. Luc.7. Ioan.7. Matth.12. Ioan.15. Luc.11.

Ioan.5. Sap.2. Corint.2. Matth.21. Deut.18.

Cap.13. Qui, & quantum excusabiles fuerint in illo errore.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Act.3. nesciunt, quid faciunt: Et Petrus, Et nunc inquit fratres scio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri. Relinquamus diuino iudicio, quantum, & quouſque excuſati fuerint: multipliciter enim fieri potuit, etiam ſi peccauerint, vt ſci licet vel rei nō eſſent ſanguinis veri ſui Meſſiæ, & filij Dei: hoc eſt, non haberentur apud Deum, ac ſi cognouiſſent, & Meſſiā eum eſſe, & Dei filium quem occiderūt: ſed tātùm vt homicidæ inculpati, & iuſti hominis, aut certè alicuius prophetæ: vel fortè, vt etiam ſi illius grauiſſimi ſacrilegij rei eſſent, non tamē eo vſque imputaretur eis, vt propter illud traderentur in reprobum ſenſum, vel prædicatio euangelij, & donum fidei eis negaretur: ſed potiùs miſericordia Dei, Chriſti merito, atque oratione illos conuerterit: quod non dubitamus multis illorū, qui conſenſerunt morti eius, & illudebant ei crucifixo datum eſſe: cùm ad prædicationem Apoſtolorum Hieroſolymis tot milia conuerterentur: inter quos conſtat fuiſſe illos, de quibus & Lucas ait, quòd multa turba ſacerdotum obediebat fidei. Quacunque itaque ratione, & quocunque gradu excuſati fuerint: conſtat tamen excuſatos eos eſſe ignorantia, &, quod ſatis Petrus illis verbis innuit, eos præcipuè qui alios ſecuti ſunt, qui ſacerdotum, & maiorum ſentētiæ ignorātia magis, quàm malitia conſenſerunt. Per ignorantiam, inquit Petrus, feciſtis, ſicut & principes veſtri: imitātes ſcilicet, & ſequentes eos. Vtri que igitur ignorantes fecerunt: ſed longè alia ignorantia eorū qui noluerunt intelligere, quos Chriſtus in ſua oratione non eſt complexus: ſed potiùs oratio illa Pſalmi ex perſona Chriſti damnat: obſcurentur oculi eorum, ne videant: effunde ſuper eos iram tuam: appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & deleantur de libro viuentium: alia illorum, pro quibus dicit, ignoſce illis. Ex quibus colligamus iam quæ ſunt huic loco accommoda. Ignorantia illa, & error non agnoſcendi Chriſtum, ob quam meritò Iudæis exprobrant prophetæ maiorem ſtupiditatem quàm beſtiarum, Cognouit (inquit alius) bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me nō cognouit. Et alter, Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, turtur, hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus

Act.6.

Cap.14. Ignorare Eccleſiā quàm ſimile erroribus crucifigētiū Chriſtum.
Eſaiæ.1.
Hierem.8.

tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Ignorantia inquam hæc ſumma, & inexcuſabilis, ſimilima eſt ignorantiæ, qua Eccleſia neſcitur. non agnoſcitur, quæ corpus eius eſt, & ſponſa, quam & in hoc ſeculo ſic ornat, illuſtrat, & decorat: vt ſibi ſit quàm ſimilima, & ipſam nobis exhibeat, locumque eius teneat: vnde & is, de quo pater inquit comtemptoribus eius, ego vltor exiſtam: dicit de Eccleſia, Qui eam non audierit, ſit ſicut ethnicus, & publicanus: eamque inhabitat, ſibique fide vnitam tenet, & in futuro ſeculo indiſſolubili vinculo charitatis perfectæ eam ſibi connectit, & ſuæ gloriæ participem facit. Itaque nuſquam Chriſtus ſine Eccleſia eſt: nunquam ſine ea cognoſci verè poteſt à nobis, quibus eam magiſtram dedit. Maximè verò hoc illi debent filij, vt ipſe inquit, nuptiarum, filij ſponſi, quos ſcilicet ex eius vtero per baptiſmi ſemē regenerauit in ſpem illam viuam hæreditatis incorruptibilis. hanc Eccleſiam, quæ corpus eſt eius, omnis Chriſti doctrina loquitur, omnis Apoſtolorum prædicatio manifeſtat: ſanguis martyrum decorat, doctorum, & ſanctorum omnium ſermo, & vita illuſtrat, quæ omnia illam non agnoſcens manifeſtè negat. ſicut itaque Chriſto docente, & prædicante à cognitione eius pendebat omniū ſalus: ille erat omnibus alijs prophetarum, & legis luminibus manifeſtior: ſic & nunc Eccleſia eius eſt eorum, quæ ſunt ſalutis noſtræ, totiusque doctrinæ, & luminis parens, & verè mater: cætera omnia, quę in ea ſunt, ipſa nobis oſtēdit, & manifeſtat. Itaq; reuera poſt Chriſtū, ipſa manifeſtior, & lucidior eſt cæteris: imò cū ipſo Chriſto ita coniūcta: vt qui eā ignorāt Chriſtū ignorare cōuincantur, & illam incertam, & obſcuram conantes efficere meritò crucifixoribus Chriſti conferamus, qui tantum lumē obſcurare conati ſunt, & ex Chriſto, yereque ſanctorum omnium ſancto in oculis plebis maximum ſceleratorum omnium efficere: ſic & aduerſarij Eccleſiæ dum tanto eius lumini clauſerunt oculos, ex ſponſa caſtiſſima Chriſti, ex immaculata, veraque Eccleſia, conantur in oculis ſuorum efficere inhoneſtā, & abominādam, vt ipſi dicunt meretricem. Quanta igitur Dei ira digna eſt tanta blaſphemia, & ignorantia tantæ lucis, quàm inexcu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

inexcusabilis! sed non desunt ais illis rationes, atque illæ quidem haud inefficaces, quibus mouere possint imò & persuadere. quid mirum: nec defuerunt Christi crucifixoribus suæ rationes, quibus persuaserunt populis, vt Barrabam dimitti peterent, & sanguinem Christi, tanquam magnum præstantes Deo obsequium peterent. Non est Ecclesia supra Christum si eum persecuti sunt, quid mirum, si persequantur Ecclesiam? si non defuit, quod aduersus Christum exciperent excæcati malitia eius persecutores, quod simplicium oculos fallere posset, quid miramur si non desit aduersarijs Ecclesiæ, & coniuratis hostibus, quibus illam infament, in oculis simplicium: sed quàm falsò, quàm sine vlla excusatione, vel id ostendit, quod primam illam, & antiquissimam Ecclesiam sub discipulis primis Apostolorum non agnoscunt non errasse: sed potiùs tribuũt illi ergo cultum Dei errorem: agnoscunt enim in ea, vel teste Dionysio, vsitatum fuisse externum chrisma: sed dicunt illud pertinere ad elementa mundi huius, quæ Paulus Chri-
Colloss. 2. stianis docet illicita esse. Si mortui inquit estis cum Christo ab elementis mundi huius, quid adhuc tanquam viuentes tenemini: & partim etiam petitu esse ab vnctionibus ethnicorum athletarum, à quibus in cultu Dei sacrilegum putant aliquid sumere. hæc habet confessio Vvirtenbergensis cap. de baptismo: ex quibus fit, vt Ecclesia illa tempore Dionysij sub discipulis Apostolorum agens, Deum coluerit illicitis, & sacrilegis rationibus. Quid rogo contumeliosius dici potest? aut quid hoc aliud est, quàm illam Ecclesiam grauissimi adulterij infamare atque negare esse Ecclesiam? In concilio Nicæno Brentius non agnoscit veram Ecclesiam illam, cui à Christo promittitur spiritus veritatis perpetuò in ea permansurus: ait enim errasse, & militiam in euangelio probatam damnasse: hoc est contra veritatem euangelij docuisse, de quo superius satis. Sed nunc rursum mentionem fecimus huius, vt ostendamus quanta sit horum cæcitas, & quanta arrogãtia in hoc vno verbo, quo contra euangelium erasse Nicænum concilium asseritur, non tantùm illius temporis Ecclesia, quæ tota summa veneratione concilium illud suscepit: sed omnium sequentium

tium temporum vsque ad nos quæ illud semper quasi vnum ex quatuor euangelij libris venerata est, reijcitur, & conculcatur. hæc similima sunt errori ignorantium, & crucifigentium Christum, & ab his, qui hæc asserunt, reuera patitur Christus in membris suis, & in Ecclesia sua duriora, quàm à Paulo, cum persequeretur omnes confitẽtes Christum: cui dixit, Quid me persequeris. Ille enim ad carceres trahebat fideles, quorũ multis ad coronam hoc erat: hi verò non vnum, aut alterum fidelium: sed totam mille ducentorum annorum, & eò amplius Ecclesiam errori inseruisse, nec agnouisse veritatem euangelicæ doctrinæ asserentes illam blasphemant, conculcant, & in cordibus suis, & discipulorum suorum penitus extinguunt: quo vno opere, aut potiùs verbo, vide quod sanctissimis patribus, doctissimisque, & synceræ doctrinæ flagrantissimis amatoribus iniuriam faciunt: omnibus scilicet, quotquot fuerunt à principio Ecclesiæ. Nónne igitur meritò has tenebras summas dicimus, & hanc ignorantiam omnino inexcusabilem censemus? certè incurabilem, quod ad homines attinet. Cùm itaque Brentius inquit, Si credendum est concilijs: si iudicio Ecclesiæ stãdum: ergo peccarunt, digniq; erant morte, qui concilio Annæ, & Cayphæ in mortẽ Christi nõ consenserunt. Respondemus ei præter cætera, quæ superiùs diximus, errorẽ illum tam apertum fuisse, tam manifestum, vt non solùm illum nullus teneretur sequi, sed manifestè nõ fuisse veram Ecclesiam, nõ dignũ vlla fide concilium, vnde tanta iniquitas emanaret omnibus. principes illi sacerdotũ manifestabat se illos, se esse, de quibus prophetice Iacob pronũciauerat, vasa iniquitatis bellantia. in *Genes. 49.*
consiliũ eorũ nõ veniet anima mea: et in cœtu eorũ, nõ sit gloria mea &c. nullus itaq; eos tenebatur sequi, vt satis ex proximè dictis explicatũ est. Cæterùm excusati sunt vel ex parte *Cap. 15.*
aliqua nonnulli illos sequentes: tãtum valuit auctoritas illa sacerdotum, & Ecclesiæ, tantum profuit his, qui ignorantia quadam, & simplicitate secuti sunt eos: vt vel non peccauerint, vel minùs peccauerint: vel nõ vsq; adeo, vt Deus in perpetua illos cæcitate desereret, multò igitur magis verã & certam Ecclesiã sequẽtes, quam certũ est vsq; ad finẽ seculi permansurã, promis-

Quàm excusabilis omnis error agnoscentiũ Ecclesiam.

sionesque Dei veras,& certas perpetuò habituram,excusabun-
tur, etiam si quid minus intelligerent: si in re aliqua errarent.
Itaque ausim dicere, si Ecclesia minus rectè sentiret, aut erra-
ret erga scripturæ sensum,dogma aut cultum aliquem:quam-
uis certò credamus non permissurum Deum, vt tota vnquam
labatur,aut erret circa hęc:si inquam hoc fieri posset,aut si ali-
quorum errorem,qui Ecclesiæ vniti sunt,quis sequeretur,exi-
stimans Ecclesiæ illud esse,aut expectans eius iudicium, quod
euenire posset,vt in Cypriani,& coepiscoporum eius, totius-
que Aphricani concilij errore, non dubitamus hunc excusare
ab omni hæreseos,atque schismatis peccato: multò certè ma-
gis, quàm crucifixores Christi,pro quibus ipse de cruce orat.
Igitur Brenti,vide ne illud Euangelij in vos dicatur,Cur vides
festucam in oculo fratris tui,& trabem, quæ est in oculo tuo,
non vides? cur ignorantes Ecclesiam clamatis: quid si contra
» Euangelium definiat concilium? Quantò maior cæcitas est,si-
mul de tota causa salutis,& de summa totius fidei Ecclesię,sci-
licet cognitione errare,quàm de vno aut altero dogmate,sine
ritu Christianæ religionis.hoc festuca est, illud trabs maxima.
Certè, vt exemplo dicam apertiùs, etiam si magis Euangelio
consonaret vtriusque speciei communio,etiam si fortè contra
Euangelij germanum sensum esset alterius tãtum speciei sum-
ptio:si,inquam,ita esset (quanquam id nullo modo credamus
teste coram Deo conscientia) sed esto ita esset, non propterea
periclitarentur hi, qui in sua simplicitate,& vnione Ecclesiæ
permanentes consuetudinem hanc in communione alterius
speciei sequuntur.Quod si dicas est contra Euangeliũ:respon-
demus,contra certum, explicatumque sensum Euangelij non
esse.Cùm enim & alius sit sensus illorum verborum,Bibite ex
hoc omnes: quàm vt ad omnes communicãtes referenda sint,
& intelligenda verba illa tanquã præceptum omnibus impo-
situm: cùm inquam contextus ille, & phrasis scripturæ aliter
permittant illa verba intelligi: non est contra certum & indu-
bitatum sensum Euangelij. Si Ecclesia nihil hucusq; definisset,
nónne liceret nobis Ecclesiæ,in qua sumus, consuetudinẽ se-
qui

qui expectantes rem explicari?hoc fecit Cyprianus,vt superiùs
vidimus, in causa baptismatis, cur rogo id nobis non licitum
esset in causa communionis Eucharistiæ?quanquam iam in ea
habeamus Ecclesiæ definitionem:sed sic locuti sumus exempli
causa,vt admoneamus omnes,quàm sit cognitio hæc Ecclesiæ
necessaria, quàm tutum & tranquillum ei adhærere, & vt ad-
uersarij aduertant, non quicquid eis videtur manifestè contra
Euangelium,contra scripturam,vel fidem statim sic esse omni-
bus manifestum:sed potiùs quoties diuersi sensus adferuntur,
non irrationabiliter,non sine auctoritate, fide dignorum Pa-
trum,& consonantia contextus, & aliorum locorum scriptu-
ræ non posse alterum certò constitui:sed expectandum esse iu-
dicium Ecclesiæ.In his igitur,vt aperte dicamus, malumus er-
rare vniti Ecclesiæ, & illam non deserentes, quàm vobiscum,
qui ab illa discessistis,verum tenere: malumus inquam in illud
malum incidere, si in aliquod incidendum est, quàm in hoc.
Mallemus cum Cypriano ante definitionem Ecclesiæ,quando
ille errabat,errare: quàm cùm diuisionem sequentibus rectio-
ra sequi:ille error non est pernicioſus.Hæc autem veritatis co-
gnitio in schismate nunquid melior est sanguinis effusione pro
Christo? & tamen quia est extra Ecclesiam,non est saluti: sed
potiùs in superbiam, & præsumptionem illis conuertitur: sic
& cognitio veritatis extra Ecclesiã, quid aliud est,quàm occa-
sio maioris contẽptus,& scientia illa inflans, de qua Paulus lo
quitur illud, quod Ecclesia ignorat, quod non definiuit, de
quo nihil constituit,sanctè certè ignoratur à nobis, & nihil in
eo constituitur:erratur verò non pernicioſè,sed sanabili & to-
lerabili quidem errõre: idque eò magis, quò tenaciùs veriusq;
Ecclesiæ adhęremus.Hæc igitur dicta sint nobis circa primum
illorum trium, quæ à principio proposita sunt, quibus error
aut excusatur, aut accusatur. Secundum igitur iam
considerabimus,studium scilicet,& rationem inquirendi verita-
tem:hoc enim non solùm ad eam inueniendam plurimum iu-
uat:sed excusat etiam,si in aliquo non negligentia & socordia
eam inquirendi erratum est:sicut econtrario torpor, & incu-

*Cap.16. Stu-
dium & dili
gẽtiam quæ-
rẽdi veritatẽ
fidei in nullo
satis inueniri*

ria eam quærendi non solùm causa est nõ inueniẽdi: sed etiam omnem aufert excusationem: sic & cætera omnia, quæ ad illud pertinent. præposterus enim ordo in veritate quærenda, cùm scilicet quod posterius est, prius: quod minus, maximè: & denique quod ad quærentem non pertinet, quæritur: quantum nocet, quàm inexcusabilem reddit errorem? Sic, & cùm hæc omnia obseruantur, plurimum adiuuant. In hoc igitur loco, si quanto studio & amore quærenda sit veritas fidei, voluerimus dicere, præuenient nos nouarum rerum amatores, & non solùm in hac parte longo interuallo putabunt nos superare: sed vel hoc vno nomine duntaxat nos omnino reijcient & indignos iudicabunt, qui eis conferamur. clamant enim nos non tantùm negligentes in quærenda veritate esse, sed etiam omnino apud nos hanc curam reiectam esse ad infimos & abiectos monachos, qui nihil minus, quàm id curemus, sed nostris vtilitatibus inseruiamus. Nec dubium est nouitatem solere studium quoddam, & ardorem secum deferre: solent enim nouæ quæque magis placere: sicut consueta, & solita fastidiũ quoddam secum adferũt: atque hac ratione damus etiam gratis aduersarijs palmam, agnoscimus enim eos maiore studio, solicitudine impigriori, labore magis infatigabili intẽtos fuisse suis nouis dogmatibus inculcandis plebibus, illustrandis & ornandis, excitandisque animis auditorum ad attendendum, & studendum nouitatibus, quàm nos, nostríque, qui vetustate quadam, & antiquitate ipsarum rerũ seniores fuimus: vt omittam nunc, quòd sua hæc grauiora, & suauiora carnalium, & amantium hoc seculũ affectibus sunt: quippe quæ securitatem quandam, & libertatem secum adferant, & licentiam carnis, atque hac ratione quàmplurimos ad se alliciunt. In hoc igitur loco de publico quidem studio docendi, atque discendi, legendi, & censendi, non est quid gloriemur: agnoscimus exemplis, diligentiaque Lutheri, & suorum, Deum nos paternè admonere, eorumque vigilantia nostram excitare, & condemnare socordiam: sicut Iudæ, & sequentium solicitudine Apostolorũ suorum excitabat somnum. Non est nouum filios huius seculi sapientiores in generatione sua esse filijs lucis. Agnoscimus igitur

tur in hac parte nõ meliores nos fuisse his, qui errarũt, & audimus verbum Christi, putatis quòd hi Galilęi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? non dico vobis, sed nisi pœnitẽtiam habueritis omnes, simul peribitis, sicut illi decẽ & octo, super quos cecidit turris, in Siloë & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Hierusalem? non dico vobis, sed nisi pœnitẽtiam habueritis, omnes simul peribitis. Agnoscimus nõ nostris meritis seruatos nos esse ab erroribus, & diuisione: sed diuina longanimitate, quæ exemplo cadentium nos admonet, atque precantur humilimè, & instantissimè Deum, quotquot apud nos rectè sapiunt, vt det nobis veram pœnitentiam: det ardentem, viuamq; fidem, & propagandæ gloriæ eius, veræque elucidandæ doctrinæ, quam à nobis exigit, curam: & qui minùs hoc agimus, illis nos adiungimus, qui meliùs id agunt, & cupimus eorum fieri participes. Quod verò priuatim, ad quemlibet nostrum attinet, scimus debere omnes, vnumquemque iuxta gradum suum, summum studium, insatiabile desiderium diuinæ voluntati, eiusque doctrinæ agnoscendæ, & implendæ: Beati enim, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: & agimus, vt vel ex parte aliqua satisfaciamus, & quod minus est, laboramus lachrymis, & pœnitentia delere, nullumque contemnimus, nullum irridemus: sed compatimur his, qui ignorant, & errant. Nõ est igitur cur pueriliter contendamus alij aduersus alios: aut scientiam iactemus, & studium dignum fide, doctrinaque diuina: agnoscamus omnes longè nos esse in hoc à dignitate rerum, quas tractamus, cælestium scilicet, & diuinarum, quibus dignè cogitandis, & percipiẽdis nec Angeli quidem sufficiunt. Certè qui in hac schola Christi alterum irridet, & obijcit alijs, atque improperat ignorantiam, & desidiam: ostendit, se non satis sua agnouisse, & cogitasse: & quid aliud agit, quàm quod pueri, qui cùm vix prima elementa attigerunt in schola, solent rudiores, tanquam sint ipsi doctissimi, irridere: tales certè in oculis Dei, & Angelorum homunculi sumus, cùm de ignorantia, & ruditate gratia diuina irridemus alios. Igitur de hoc studio veritatis amandæ, & quærendæ hoc satis huic proposito sit:

Luc. 13.

de quo nunquam satis dixisse, multò minus feciſſe poſſumus.

Cap. 17. Ad modũ quærẽdi verum primò pertinere, vt cõpertũ aliquid habeatur, quod nõ sit quærẽdũ: & hoc esse Ecclesiam.

Sed ordo, modus, & ratio quærendi ſunt nobis in hac parte attentiùs cogitanda: circa hæc enim deliquiſſe, non aliud eſt, quàm non ſolùm ſtudium omne, & laborem quærendi amiſiſſe, ſed etiam illa omnia pernicioſiora ſibi feciſſe: magisque nociua, quàm ipſa obliuio, & negligentia fuiſſet, quid enim aliud eſt, modus, & ordo quærendi, quàm via ipſa, qua incedendum eſt, ſi hæc recta ſint, rectam viam nos tenere arbitremur: ſi eo ordine, atque ratione, qua quærenda eſt veritas, à nobis quęritur, rectè incedimus: ſin ſecùs, obliquè, & deuiè. Vt igitur cum Auguſt. dicam, ſicut quò quis velociùs extra viam currit, eò magis errat: ſic omnino qui non eo ordine, ac ratione, qua veritas quærenda eſt, illam quærit, quò maiori ſtudio, diligẽtiaque id agit eò magis neceſſe eſt, vt erret. Verbum hoc: Quærite, & inuenietis, quod antiqui hæretici in ore habebãt,

Lib. de proſcrip. aduerſus hæreticos.

Tertullianus eis auſert, vt in ſcholijs, & ſuperiùs diximus. Ratio, inquit ille, dicti huius in tribus articulis cõſiſtit: in re, in tẽpore, in modo: rem ad id, quod quæritur, refert: tempus, quando: modum, quouſque, & apud quos quærendum ſit, docet includere. Quædam igitur inquit quærenda non ſunt: vnũ enim, ait, & certum conſtitutum eſſe à Chriſto, quod credere omni modo debeant omnes: illud vel quærendum non eſſe, vel ſaltem non quærendum, niſi vt credamus. Quis non videat, quod ſicut motus omnis primam aliquam originem habet, & principiũ, & illud quidẽ ſtabile, & immobile: ſic omnino inquiſitio omnis ab aliquo principio ortũ habet. Dicent aduerſarij, hoc eſſe ſcripturã ſacrã, verùm quia negare non poſſunt, & quę ſit illa, & quis ſit eius ſenſus in dubijs ab Eccleſia nobis oſtenſum eſſe, de quo ſatis ſuperiùs dictum: cur non eam primum eſſe, vnde inquiſitio omnis eorum, quæ ad fidem pertinent, procedat, agnoſcent. ſtudium igitur omne quęrendi non cognita Eccleſia vanum eſt, ipſam, vt oſtendimus, non videntes omni lumine fidei carent. fruſtrà itaque quærunt, & intempeſtiuè. vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, meritò eis dicimus, fruſtrà ſine lumine fidei in ſcripturis verſantur: ſed quid dico fruſtrà, imò magno cum dãno, & periculo. neceſſe eſt enim, vt curren

tes

tes in tenebris labantur in præcipitia, & confringantur. hoc ergo primum ad modum quærendi pertinere agnoſcamus: vt Eccleſia conſtet, &, vt Tertul. ibi inquit, non niſi in ea, & ab ea quæramus, vbi, inquit ille, quæri oportet: non apud hęreticos, vbi omnia extranea, & aduerſaria noſtræ veritati, quod exemplo ſerui, & militis oſtendens, nec enim ille cibaria ab inimico domini ſui ſperat, nec hic ab hoſtibus ſtipendium captat, niſi tranſfuga ſit, & deſertor. Tandem inquit, nemo inde ſtrui poteſt, vnde deſtruitur: quæramus à noſtris, in noſtro, & de noſtro.

Cap. 18. Stuã diũ quærẽdi, quæ ad fidem pertinent, nõ eſſe huius tẽporis, Chriſtus docet.

Iam reliqua duo quàm ſunt manifeſtiſſima, tempus quęrendi certum, & definitum neceſſe eſt, vt ſit: & quidem inquit Pſalmus: Quærite dominum, & confirmamini: quærite faciem eius ſemper: quam diu enim in hac vita ſumus, ad quid aliud viuimus, quàm vt tendamus, ſuſpiremus, atque ita quęramus cæleſtem illam beatitudinem, & viſionem Dei. Cæterùm quod credamus non ſemper quærendum eſſe, nónne apertè docet nos Chriſtus, cùm de nouiſſimis tẽporibus loquẽs, tũc, ait, *Matth. 24.* Si dixerint vobis, ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic, ecce in deſerto eſt, nolite exire, nolite crędere. Et rurſum, Multi enim venient *Luc. 21.* in nomine meo dicentes, quia ego ſum: & tempus appropinquauit, nolite ire poſt eos. Quid eſt nolite exire, & nolite ire poſt eos, niſi nolite quærere? & quidem verbum illud, tunc, ſatis oſtendit, non omne tempus eſſe quærendi: tunc, ait, in nouiſſimis temporibus, cùm ſurgent multi pſeudoprophetæ, & pſeudoapoſtoli, nolite exire, nec ire poſt eos: vbi præter alia omnia, de quibus ſuperiùs nonnihil diximus, quæ in expoſitionem huius loci dici poſſunt, duo nobis huic propoſito cõuenientia obſeruãtia illius tẽporis, de quo Chriſtus loquitur, oſtẽdit. Quia enim de nouiſſimis temporibus loquitur, nónne admonet nos veritatẽ ſuam, doctrinæ ſcilicet ſacramentorũ, & cultus, non eſſe nouiſſimis temporibus quærendam: ſed certos nos eſſe debere, Deum, cuius curæ commiſſa eſt Eccleſia, non eam vſque ad finem ſine certa doctrina, ſacramentis, & cultu deſerturum: ſed mox à principio per Apoſtolos ipſos, omnia conſtituenda eſſe, & deinde perpetuò ſeruanda, ſucceſſuque temporis confirmanda magis eſſe, & elucidanda, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

abolēda:ita vt in nouissimis diebus de his omnibus nihil opus sit,quasi ignotum,aut nouum,quærere:cùm omnia compertissima esse debent: quod ratio temporis, & cura illa, quæ Deo est de Ecclesia sua,ostendunt.tunc igitur, inquit, in nouissimis diebus non est tempus quærendi, vbi est Christus, quis eius cultus.Non potuit verus cultus vsque nunc latere in Ecclesia, nec ita mutari,qui primo fuit,vt non manifestum id esset,& publicè reijceretur, quicquid contra antiqua esset:quod satis superiùs dictum est. Quorsum ergo nunc noua quæruntur?rursum quia inquit surgent pseudoprophetę, & pseudoapostoli: & statim addit, tunc nolite exire,nolite sequi, satis etiam docet,non esse tunc tempus inquirendi veritatem, cùm diuersitas sententiarum circa religionem,atque studia partium,& dissentiones vigent:non tunc opus est,vt speremus nouam lucem oriri in Ecclesia, sed potiùs ad quieta, & tranquilla tempora recurramus: & quid ante ortas controuersias pacatissima luce in Ecclesia obseruatum sit, intueamur, & post illa nullam iam aliam rationem quærendi, nullum nouum inquisitorem suscipiamus.hæc igitur de tempore inquirendi.

Cap.19. Quãta includat modus quærendi, et sciendi: & q̃ præposterè seruetur à nonnullis amatoribus.

Modus porrò,de quo vltimo Tertullianus loquitur,multa certè requirit, refert quidē ille modum ad hoc, vt quousq; quærendum sit,cogitetur:vt tandem finis sit inquisitionum, & in fide quiescamus.Fides inquit tua te saluum fecit,non exercitatio (ait ille) scripturarum:& infert, nobis ergo curiositate opus non est,post Christū:nec inquisitione, post Euangelium, cùm credimus,nihil desideramus vltra credere.hæc quidem illa le. Verùm & multa alia modus quærendi includit: Bernardo tria quædam importare videtur: vt scilicet scias quo ordine, quo studio,quo fine quæque nosse oporteat. Quo ordine vt id priùs,quod maturiùs ad salutem:quo studio, vt id ardētiùs, quod vehementiùs ad amorem:quo fine, vt non ad curiositatem, aut inanem gloriam,sed ad ædificationem. Quanta rogo tria hæc includunt? aut quis satis vniuersa hæc aut aduertere, aut obseruare poterit: in quibus omnis damnatur curiositas, omnis vanitas, & denique quicquid non à vera, humilique sui cognitione proficiscitur: vnde solùm ad salutarem Dei scientiam

Serm. 36. super Cantica.

tiam peruenire potest. Sed nec hæc satis sunt, vt modus quærendi cognitionem rerum,quæ ad salutem pertinent,seruetur: nec ab homine omnia quærenda esse, vt vtiliter agnoscantur, putamus:sed ab eo potiùs,de quo scriptum est, qui docet hominem scientiam:Beatus enim ille,quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Modus sciendi, atque quærendi nónne id primò exigit,vt nouerimus in qua potissimùm re constitita sit inquisitio: nō enim lectione solùm vel auscultatione doctorum veritas quęritur,non solùm meditatione, & attentissima consideratione: sed oratione in primis humili, atque obedientia, & assiduo exercitio diuinorum mandatorum, vt proximo loco abundè explicatum est, A mandatis inquit tuis intellexi,quod est,ab eis,& eorum executione mihi intelligentiam comparaui:& meritò inquit Sapiens: Fili concupiscis sapientiam,conserua iustitiam,& Deus præbebit illam tibi.Et de oratione idē inquit,Inuocaui,& venit in me spiritus sapientiæ. hæc itaque omnia si rectè expendamus, nónne suspectam reddent diligentiam omnem,& solicitudinem quærentium,& studentium nouitatibus?fatemur veritatis inueniendæ desideriū, & studium quęrēdi q̃plurimū prodesse,& quidem cum Augustino fatemur,fieri non posse diuina quadam prouidentia, vt seipsos, & Deum quærentibus inueniendi veritatem facultas desit·quærentibus inquam,sed religiosis animis, & vt ille ait, piè,castè,ac diligenter quęrētibus. Sed quantò hæc quærendi cura vtilior est, tantò si non ordine,non recta ratione, & piè, casteque quæratur,pernicioſa est,& ad præcipitia quęque perducit. Non omne studium sciendi probatur: sed sciendi tantùm,quæ ad nos pertinēt:multa satiùs est ignorasse,& vt omittamus nunc aliorum reprehensionem, illud certò asserimus hoc tempore, in hac tanta nouarum doctrinarum confusione, in tanta sciendi,& de scientia etiam præsumendi cura, in tanta obliuione rectè operandi:deumque,& proximum amandi nullo modo expedire præcipuam operam scientiæ dare: nulli inquam,neque quidem doctori in Ecclesia,episcopo, & cuicūq; etiam,cui maximè conuenit repellere aduersantes veritati, & docere infirmos, conueniens esse præponere studium sciendi,

Lib. de immortalitate animæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& lectionem orationi, feruori spiritus, & exercitationi pietatis: quæ certè hoc tempore maximè necessaria sunt, & præcipua aduersus hereses, & errores arma: in quorum defectu quid prodest magna lectio, & attentissima perscrutatio abditorum, & secretorum omnium? non aliud certè hæc sunt, quàm scientia inflans. Iam verò simplicioribus, & denique omnibus, quibus non incumbit in Ecclesia docere: multò magis hoc cogitandum est. nouerint locum suum, nouerint eruditionem, & ingenia, tempus, & ocium, & sciant id, quantum est temporis, quantum à necessarijs illis obsequijs, quibus tenentur proximis inseruire, liberum manet: orationi & pijs meditationibus multò vtiliùs se daturos, multò securiùs, quàm lectioni. quod si lectioni aliquid ocij dandum est, nõ curiosæ: sed ei, quæ pietatem generet, opus est, vt detur: atque vtinam in hoc tempore nouissimo, & inquieto ignorent, & aures claudãt nouis dogmatibus populi Christiani: nec quicquã aliud cogitent, quod attinet ad fidem suam confirmandã, quàm quòd antiqua tempora in quiete, & pace obseruarunt. Doctrinis varijs, inquit Paulus, & peregrinis nolite abduci: optimum est enim gratia stabilire cor: gratia inquam, quæ humilitate, timore Dei, piaq; oratione acquiritur & cõseruatur stabiliendũ est cor. Firmamentũ, inquit Psalm. est Dominus omnibus timentibus eum, testamentum ipsius, vt manifestetur illis: timentibus itaque eum, & in eo timore constabilitis notum facit Deus testamentũ suum: doctrinæ autem variæ, & peregrinæ quid aliud agũt, quàm vt abducant à stabilitate, & tranquillitate fidei, & à simplicitate, inquit Paulus, quæ est in Christo Iesu: abducant inquam non subitò, aut manifestè, non violentè & durè: sed paulatim, & sensim, dulciter, atque suauiter, nouitate quadam delectantes: quod multò est periculosius. itaque hoc tẽpore maximè ad ignorantiam, sed sanctissimam vocamus omnes: ad illam inquam ignorantiam, ad quam eximius doctor ille Paulus omnes suo exemplo exhortatur: nihil inquiens, iudicaui me scire inter nos nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. nam veni, ait, ad vos fratres non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ: & prædicatio mea non in doctis, aut in persuasibilibus humanæ

Hcb. 13.

1. Corint. 2.

manæ sapientiæ verbis: sed in doctrina spiritus, & in ostensione spiritus, & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Quis in Ecclesia maior doctor? quis vtilior & efficacior Paulo, & is non iudicat se aliquid scire, nec aduersus hæreticos agit in doctis humanæ sapientiæ verbis, etiam quum ea loquitur inter perfectos, quę nemo principum huius seculi cognouit: at verò cum infirmis Christũ Iesum crucifixũ tantùm se scire arbitratur: non aliud certè agens, quàm vt illos nihil aliud scire, aut quærere doceat. Hæc est igitur sancta ignorantia, in qua abscõdit Deus illos, de quibus scriptum est, Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum: qua quid rectiùs intelligemus, quàm contẽtiones, & rixas hæreticorum non disputando, non legendo, & inquirendo: sed fugiendo, & latitando in timore Dei. multò rectius euaditur error, & inuenitur veritas, quàm magna inquit prius multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, in hoc abscondito timoris Dei verè saluantur nõ simplices tantùm, & humiles: sed reuera omnes. reliqua enim omnia sine hoc fructrà sunt: huic nihil aliorum deest. Claudamus igitur iam hunc articulum hac breuissima admonitione: ratio, & studium inquirendæ veritatis, quam nouitatum amatores commendant, & inculcant, posthabita Ecclesia, & patribus in sola scripturæ sacræ scientia nulla ratione infirmitatis proprię prius habita, nulla obseruata discretione temporum, & officiorum: denique rerum ipsarum nulla considerata diuersitate, sicut non est via ad veritatem, sic nullam adfert excusationem errantibus: sed accusat maximè eos, quòd data opera errare velint, qui nullo seruato modo irruunt in secreta diuina, eo maximè tempore, quo minimè hoc Deus exigit: omisso eo, quod maximè vrget. Qui facit inquit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cælorum: &, Nõ omnis qui dicit mihi Domine, Domine, quod ad cognitionem quandam referre possumus: nã & proximè dictũ est, multi dicent mihi in illa die, Domine nõnne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia

Matth. 7.

quia nunquam noui vos. Vbi vides, quod inter ea, quæ ad salutem minimè pertinent, inter miracula, & virtutes reponit etiã prophetare, quod ad scientiam & eruditionem in explicandis scripturis, & docendo euangelio pertinet. Vtamur in hoc loco Augustini errantis exemplo, quem sicut Deus Ecclesiæ suæ in viam veritatis iam reductum maximum lumen dedit: sic & errores vtiles nobis ipsius verbis, & confessione effecit. Errauit ille, & quantum, quamque diu, fatetur ipse: sed errauit magno studio, & affectu inueniendi verum, & dum, vt ipse ait, in Manichæos incidisset amore agnoscendæ veritatis, quod illi promittebant, in tam crassissimos errores incidit, irridens veteris Testamenti patres, vt crediderit magis præstandã esse misericordiã fructibus, q̃ hominibus. Si enim esuriens, inquit, ficum peteret qui non esset Manichæus, quasi capitali supplicio damnanda buccella videretur, si daretur ei. credebat enim, vt Manichæus, diuinitatis particulas fructibus illis immixtas liberari, cùm ab electis suis manducarentur: sed præcisionem illorum fructuum graue peccatum ducebant. & dum diu, multumque Manichæis adhæret, tandem apud eos desperans veritatis cognitionem inueniri posse, alienatur quidem ab eis, & dum sedulò, vnde malum sit, inquirit, eo se fatetur venisse, vt de veritatis inuentione desperaret: quibus vijs tandem ferè in omnimodam perditionem venisset, nisi eum omnipotentis misericordiæ manus subleuasset. itaque si de studio, diligentia, & labore quærendi, & desiderandi verum agitur, quis hoc magis, quàm tunc Augustinus habere credendus est? quis tamen magis, quàm ille errauit? sed nec in hoc errore vlla se ille ratione excusat, quin potiùs agnoscit, & deflet errores suos, sibique tribuit, & præposteræ illi rationi, qua nec sobriè, neque castè veritatem quæsiuit. Libet, inquit ille, quodã loco cõsiderare nũc, ac deplorare illam meam miseriam. si enim mecum sobriè, diligenterque cõsideraſſem mente in Deum supplici, & pia, fortassis mihi satagenti apparuisset, nullam esse omnino vitam, quæ ad ipsum vitæ principium non pertineat. Hæc ille inquit aduersus errorem, quem de duabus animabus habuit, ostendens manifestè quãta humilitate, pietate, & sobria cogitatione opus

Cap. 20. Exẽplo Aug. & testimonio periculũ ostẽditur immodicæ inquisitionis circa diuina.

Lib. 3. cõfeß. cap. 10.

Lib. 7. cõfes. & lib. de vtili. cred.

Lib. de duabus animabus contra Manichæos.

opus sit ad veritatem fidei intelligendam, & quàm sint inexcusabiles, qui aliter quærentes errant. Multa, inquit, erant, quæ facere debui, ne tam facile, ac diebus paucis religionis verissimæ semina mihi à pueritia salubriter insita, errore, vel fraude falsorum, fallaciúmue hominum effossa ex animo pellerẽtur. Hęc Augustinus inquit, propter errores, in quos nondum baptizatus, sed catechumenus solùm inciderat, & vel parua semina nondum per plenam illam fidei, & baptismatis gratiam: sed solo auditu, & instillatione piæ matris insita animæ deplorat se amisisse, nec sine magna sua culpa, & multorũ, ad quæ teneba tur, omissione sibi ablata: vt videas quantò inexcusabilior sit, quantò magis sese lamentari debeat, qui contra ea, quæ professus est, & per pleniſſimam baptismatis gratiam persuasus est credere, errauit. Certè nullum, qui, quam tenetur ex baptismatis professione fidem seruare, deserit, Augustinus excusari putat, si erret: nec errare, nisi quia multa omittit, quæ meritò fieri debuissent. hæc igitur nobis admonuisse eos, qui se putant studio, diligentiaque verum agnoscendi, aut multum proficere, aut excusari saltem, sit satis. Postremùm igitur vel paucis attingamus diximus enim affectum illum præcedẽtem: cùm id verum cupimus esse, quod placet, & impedire plurimũ cognitionem veritatis, & inexcusabilem reddere errorem. hoc fit, vt meritò magna requiratur ab affectu omni, cùm veritas inquirẽda est, libertas: ab omni inquam alio affectu, quàm veritatis ipsius, non minus, quàm in iudice necesse est, vt omnis misericordia ira, amor, vel odium partium longè absit. Circa hoc igitur illud in primis obseruandum, quòd cùm omnis affectus peccati cõtrarius sit sanæ fidei sententiæ, sicut reuera cõtrarius est omni rectè institutæ rationi, quò affectus peccati magis dominatur menti, eò magis fides, eiusque grauitas displicet, & ingrata est: nec enim fieri potest, vt libenter quis audiat, aut cogitet quod affectibus suis repugnat. vnde meritò Paulus inquit, Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Et rursum, Sapiẽtia carnis inimica est Deo: legi enim Dei nõ est subiecta: nec enim potest. caro, & sanguis nõ reuelat nobis filium: sed

Cap. 21. Affectus omnes impuros veritati inuestigẽdæ pluri-mum obesse, & inexcusabilẽ reddere errorem.

1. Cor. 2.

Rom. 8.

Matth. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed potiùs obscurat, & abscõdit: omne porrò peccatũ ex affectu carnis, & sanguinis est: necesse itaq; fit, vt quò magis peccata placent, eò magis fides displiceat: et ecõtra, quò magis fides placuerit, eò etiam amplius displiceant peccata. Libet itaque attentè intueri perpetuum quoddam bellũ intra nosipsos: inter affectus carnis, & peccatorũ, atq; fidem: illa semper clamat aduersus peccatũ, fœditatẽ illorũ, & indignitatẽ detegit: &, vt odio habeãtur, totis viribus agit. quũ igitur peccatũ est in cõscientia, cùm regnat affectus eius, non permittit fides quiescere peccatorẽ, nisi fiat ei violẽtia: clamat semper, Exite de medio eorũ, & separamini dicit Dominus: & immundum ne tetigeritis. Quæ enim participatio iustitiæ, cum iniquitate: aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Qui autem cõsensus templo Dei, cum idolis? docet fides peccatum omne iniquitatem esse, tenebras esse, & idolum, quod fabricatur in animo in contemptum Dei: & contra, illud clamat, Vos estis templum Dei viui, estis lux, estis iustitiæ participes. Quomodo ergo cum peccatis conuenire vobis licet? his igitur fidei vocibus non possunt peccata non cõtradicere. Agunt igitur & illa, si prævaleant in animo, aduersus fidem: & superata iam charitate, mox contra eã, quasi contra hostem armantur. Et clamãt veluti euersores veræ illius Hierusalem, atque filij Edom, Exinanite, exinanite, euertite, diruite cuncta, quæ sunt in Hierusalem, omnia Christiana ædificia vsque ad fundamentum, inquiunt, quod meritò fidem intelligimus quæ prima est, & initium reliquarum virtutũ omnium. Huc itaque tendunt omnia peccata, huc dirigit peccatorum omnium primus auctor Sathanas aciem suam, vt fidem euertat: quàm diu enim illa etsi infirma, etsi verè mortua manet, nondum putat Sathanas se satisfeciſſe, manente adhuc in animo voce illa, & reprehensione fidei. hoc itaque bellum, & hæc Sathanæ violentia, heu nunc maximè increduit, & quidẽ prævaluit plurimum cadentibus tam multis à fide: quare debemus vel hac experientia certissima oculos aperire ad cognoscendum perpetuum hoc bellum, quod statim non aduertisse, magnæ socordiæ, & grauissimi periculi fuerit. Inter animam nostram,

Esaiæ.52.

2. Corint.6.

Psal.136.

stram, & in nobis ipsis est hoc bellum: quinimo à nobis contra nos agitur, nos cædimus, & cædimur: vulneramus, & vulneramur: denique occidimus, & occidimur: & tamen corruentibus in nobis etiam nobis agentibus virtutibus diuino amore, atque timore, obedientia & pietate, non hæc satis sunt, vt expergiscamur, & proprio sensu magis, q̃ aliena experientia Christum, & Antichristum intra nos ipsos cum virtutum, & vitiorum exercitu perpetuo in hoc seculo pugnantes intueamur, & sentiamus. Reuera à primo illo tempore, quo peccato consentimus, non quiescit illud, illiusque princeps Diabolus: sed aut sensum, aut manifestè, prout permittitur, laborat funditus euertere animam. Itaque, etsi cùm primò peccatur, non omnino placeat peccatum: sed cum quodam etiam conscientiæ timore comitatur, tãquam superante nos, & vincente inimico, atque in captiuitatem trahente: displicet enim superatum esse, & captiuum: verùm si diutiùs maneat peccatum, si repetatur, & frequẽtetur, incipit minus displicere, & cõsuetudine quadã, & obliuione: denique in consuetudinem versum defenditur, etiam & laudatur, & gloriamur in eo. Hinc iam incipit displicere quicquid contra illud est: horret futuri seculi cogitatio, mortisque memoria, admonitio, & exhortatio pia ingrata est: & denique fit, vt ab his omnibus fugiat animus: sequunturque etiam peccata in Spiritum sanctum, & odium ipsius Dei, de quo Christus inquit, Oderunt & me, & Patrem meum: citato etiam testimonio Psalmi, quia odio habuerunt me gratis: nulla scilicet causa, nullo fructu. Horum exemplo malorũ, & operum Sathanæ admonitos nos esse oportet: vt nõ minori odio, & inimicitia persequamur peccata vsque ad fundamenta ipsa, quæ amor nostri peruersus, & concupiscentia præsentis seculi sunt: Filia inquit Babylonis misera: Beatus qui retribuit tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis, hoc est, misera iniquitas: beatus qui iuxta opera tua tibi retribuit: &, quod ipse agis in virtutes, in te etiam exequitur: vt dicat, Euertite, & destruite vsque ad fundamenta. & hoc est quod sequitur in eodem loco, Beatus, qui tenebit, et allidet paruulos suos, aut tuos potius ad petram: hoc est, qui neque principia ipsa, & peccatorum

Ioan.15.

Psal.136.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum motus in se sustinet: sed fortitudine illa petræ, quæ Christus est, illos etiam exterminat. hæc paulò fusiùs prosecuti sumus, quod cupimus ea ante oculos nostros semper esse: vt nouerimus, quàm sint nobis fugienda peccata, maximeque diuturnitas, & consuetudò illorum: si nolumus periclitari in fide.

1. Tim. 1. Et enim vt Paulus inquit, Hi, qui bonam cõscientiam reliquerunt, circa fidem naufragantur: hoc est, iacturam eius faciunt. & iuxta eundem, cum his, qui auaritiam sectantur, timendum est nobis: aut illam, aut quoduis aliud peccatum sectantibus ne à fide erremus: nunc maximè, cùm tantos errare conspicimus. Sit igitur vel ex his omnibus cõstitutũ nobis, & apertum, affectus puritatum, & rectitudinem, quam in desideranda, & quærenda veritate necessariam esse ostendimus, intelligendam esse primò immunitatem ab affectu omnis peccati: vt scilicet nullum placeat, nullum ametur. Ostẽdimus enim, quantum hic affectus fidei repugnet, & reuera suspectum debet nobis esse omne nostrum iudicium, omnis deliberatio, & quicquid decernimus, aut sentimus circa id, cui nimium nos affectos agnoscimus. non potest, vt iuxta Pauli dictum illud de auaritia, loquamur, qui toto affectu illi studet, rectè de vsuris illicitis commercijs, & negotiationibus sentire sunt enim hi, vt Paulus inquit, Homines mente corrupti, æstimantes quæstum esse pietatem: sic neque, qui seruus factus est carnis, rectè valet sentire de castitatis pulchritudine, & decore. Vnde enim credi potest emanasse Lutheri illud iudicium inuerecundum sanè, & impudicũ, quo ausus est publicè edito libello de cõiugali vita asserere, commixtionem maris, & fœminæ necessariam esse, vt cibum, potum, & somnum: nec magis posse hominem hoc carere, quàm mutare sexum, quàm ex immundo carnis affectu? Nonne hæc tam aliena ab euãgelica auctoritate, sunt qui se castrauerunt propter regnum cælorum: &, Bonum est viro mulierem non tangere, apertissimè ostendunt cæcitatem illam mentis ex seruitute libidinis contractã fœtidissimi, & spurcissimi illius doctoris. Animus ergo peccato alicui, & sordido affectui deditus, & Deo iustè puniente, & natura ipsa exigente, nõ potest limpidissimam veritatem circa id intueri: frustrà igitur illam

Matth. 19. 1. Cor. 7.

illam quærit. Admonendus est potiùs, vt prius se purget, ne iuxta quod comminatur Ezechiel propheta, illum quæ ponit immunditias suas in corde suo, etiam cùm interrogat prophetas, cùm legit sacros libros, decipiet Deus gratiæ suæ lumen subtrahens. Hæc omnia communia sunt & nobis, & aduersarijs. clamant ipsi & hoc contra nos, quòd pecuniæ cupiditas sacrificium missæ, & defunctorum suffragia, & ipsa etiam peccatorum manifestatione, & satisfactione inuexerit in Ecclesiam, sicut indulgentias, & multa alia, quæ referunt. In hac igitur parte ne frustrà contendamus, sed potiùs ædificemus: hoc in primis sit & nobis, & illis dictum, debere nos affectus omnes mundi, & carnis in nobis purgare nunc maximè: cùm tantos errare cernamus, ne cuiquam præsumptuosè, & superbè alios contemnere, aut immodestiùs arguere licitum esse: cùm satis quisque apud se habeat, quod meritò argui, & lachrymis deleri, & purgari debeat. cui studio vtinam nauaremus operam potiùs, quàm vlli alteri lectioni, aut doctrinæ, quod quia omittimus venerunt super nos mala hæc. Cæterùm post hoc curandum est, vt quia nunquam satis tuta nobis esse potest nostra ab affectibus peccatorum puritas: remedijs quibusdam vtamur aduersus impuritatem hanc, & periculum grauissimum. Duo verò præcipuè nobis occurrunt. Vnum vt iudicia aliorum sequamur, & testimonia eorum, quos constat ab hoc malo fuisse magis alienos. Alterum, vt si non ab omni peccati affectu possumus esse immunes, ab his saltem caueamus, quibus præsentes errores magis seruiunt, & fauent: de vtroque igitur horum paucis dicamus. In omni itaque controuersia, vt satis secundo loco diximus, meritò ad antiquos patres, & ad eos, qui ante motas controuersias floruerunt, recurrendum est, duplici, quod ad hunc locum attinet, ratione. Primò quoniam constat multò eos fuisse sanctiores, multò puriores ab omni immundo affectu viuentibus omnibus nunc. & præsentibus: quod vita ipsa, miraculaque, & totius Ecclesiæ, & seculorum præcedentium consensus manifestant: quare nullus est, qui præter manifestam, & intolerabilem arrogantiam non eis cedat, & quod ad sanctitatem vitæ pertinet, superari

Cap. 22. Duo obseruanda aduersus affectus peccati, ne in errorẽ nos trahãt

Cap. 23. Patrũ, antiquorum & probatißimorum in Ecclesia sententias sequi necessariũ ostenditur contra impuritatẽ nostram.

superari ab eis se non agnoscat. Deinde quod ab affectu omni partium, & studio alterutris fauendi, aut superandi alios manifestè alieni sunt: quippe qui de rebus, de quibus nulla erat controuersia, locuti sunt, quare meritò iudices sunt, & testes omni suspicione, & exceptione maiores, & in hac quidem causa, quicquid dicant aduersarij, & persuadere conentur his, qui aut eos nō legerunt, aut obliti sunt, manifestè eos superamus. & hoc nomine coram Deo, & hominibus credimus, & apertè ostendimus nos esse magis inculpabiles, quàm illos. In omni re, de qua agimus, in primis sensum imò consensum patrum requirimus: nec quicquam aduersus hanc auctoritatem molimur: sed vt diximus, quod ab omnibus, quod vbique, quod semper asseritur, nullo modo negamus: vbi verò nihil horum est, sequimur consuetudinem, & auctoritatem maiorem. Itaq; recipimus hos patres, & veteris Ecclesiæ consensum, vt fide dignos, & veritatis amatores testes: vt quos nulla animi impuritate credi potest excæcatos in agnitione veri. Et denique, qui neutri parti ex nostris aut infesti, aut amici fuerunt. Nónne si hos sequentes, vel pro viribus, vt sequamur, conantes errauerimus, digni sumus venia, & misericordia? at verò aduersarij quid agunt, quàm quod Lutherus à suo mox principio cœpit, & Brētius in suis his Prolegomenis. Dicit, ille respondens regi Angliæ: Ego aduersus dicta patrum, hominum, Angelorum, Dæmonum oppono non antiquum vsum, nō multitudinem, sed diuinæ maiestatis æternum verbum. Augustinus Cyprianus, sicut omnes electi errarūt. Et Brentius nunc eius discipulus inquit, errant, & sunt in eis alienæ interpretationes à sensu scripturæ, & inter se pugnātes: & quod satis ostēsum est, nec antiquæ Ecclesiæ, nec ipsis concilijs fidem habet. Nónne ergo dignum est, vt hoc duntaxat nomine causa cadant? Agam igitur cum eis, vt Augustinus cum Pelagianis: ostendam eis, Augustinum Hieronymum Cyprianum Chrysostomum Cyrillum, & reliquos patres, qui sacrificium altaris, suffragia defunctorum, sanctorum inuocationem apertè, & consonè credunt, & docent, dicamque eis, vos ante istos in vestro corde constituo, quos non amicos vestros, aut nostros in his disceptationibus cognitores constituí: nec eos, qui nunquam

Lib. 2. contra Iuli.

nunquam fuerunt, aut quorum sententiæ de hoc, quod inter nos disputatur, incertæ sunt, confingimus: sed sanctos, & in sancta Ecclesia illustres antistites vos ergo respondete, quid faciatis, quo fugiatis? nos à Luthero, ad istos, vos ab istis, ad quos? nunquid istos cæcos dicere audebitis? & vsqueadeo permiscuit imis summa longa dies: vsque adeo tenebræ lux, & lux tenebræ esse dicuntur, vt videant Lutherus, Brentius, Bucerus: & cæci sint August. Cyp. Chrysostomus, & reliqui omnes patres. Multa in hanc sententiam August. eo in loco aduersus Iulianum loquitur, quę omittimus: & ibi sanè Iuliano inquit, qualiscunque homo sis, tamen quia homo es videor mihi videre verecundiam tuam: respondens, absit, vt audeam cæcos istos viros vel cogitare, vel dicere, cùm tamen hoc ausit Lutherus, & Brentius: nónne cæcitas est omnis error, & omnis scripturæ sensus alienus ab ea, quæ tamen illi patribus istis tribuunt. Quomodo ergo vlla excusatione digni sunt, qui tam manifesto remedio aduersus cæcitatem propriam, & impuritatem affectuum vti nolunt? Iam si illos affectus cogitemus, quibus præsentes errores blandiuntur, & fauent: quis non videat, quòd negare necessitatem enumerandi peccata sacerdoti plurimum faueat carnali sensui, & humanæ illi, atque à primis parentibus tractæ infirmitati: de qua inquit Iob, Si abscondi quasi homo peccatum meum? Libertatem similiter ab omni abstinentia, & discretione ciborum, & ieiunijs ab Ecclesia inditis, ab omni voto, & promissione obedientiæ, & castitatis, quis non videat quantum faueat carnali sensui, & habenas laxet hominibus deditis illi? negotio porrò omnis satisfactionis purgatorij, & affirmatio solius fidei iustificātis, & cum his omnibus certa illa, & indubitata fides non solùm remissionis peccatorum, sed æternæ etiam salutis, quàm docēt non minus certam esse debere, quàm quæ de mysterio trinitatis, & incarnationis filij Dei est, quantùm blandiuntur affectibus? si hæc vera sunt, quàm sine vlla difficultate, sine vlla carnis mortificatione, sine vlla verecundia, aut difficultate, sine vllo anxio timore viuent, qui carnem, & seculum hoc amant? Certè vel duo hæc, confessio peccatorum, & perpetuus ille, anxiusque

Cap. 24. Quàm carnali sensui, & affectibus impuris faueat Lutheri doctrina, & catholicæ ecclesiæ quantum repugnet.

que timor, quo iubemur de remissione peccatorum non esse sine metu, multò verò magis de perseuerantia vsque in finem timendum esse, dicente Paulo, Qui se existimat stare, videat ne cadat: si auferatur, miram quandam libertatem conferunt animæ infirmæ, & carnali: & tam dulcia sunt, vt non mirandum sit, quòd doctrina, quæ hæc aufert, gratissima sit carnali affectui: cùm contrà euangelica doctrina crux quędam est, & mortificatio eius. Igitur, quod ad hoc attinet, certum est, nouum hoc euangelium Lutheri maximè carnis libertati fauere. quare necesse est, vt & ipsi deditu plurimùm faueant huic euangelio. esse autem, quod certissimum est, multò plures inter Christianos carnales, & infirmos homines, quibus quàm sunt difficilima, & durissima hæc omnia, quæ nouum euangelium damnat, & reijcit, quàm verò dulcissima, quæ probat quis non intelligit? Non mirum ergo si plurimi sint, qui illud sequantur, illud est certum, affectus hos puriles, & infirmos carnalium hominum, quàm plurimum hac doctrina delectari. Rari igitur sunt maximè in populo, qui iudices esse possunt, & quorum sententia non sit valde suspecta: idque duplici causa. Primò quòd his consentientes ostendunt sensum carnalem, & puerilem, indignum, qui de rebus fidei censeat. Deinde quòd manifestè etiam se ostendunt non esse sine affectu partium: amant enim hanc libertatem, & cupiunt verā esse, antequam iudicēt. Nostra verò antiquitus fundata in Ecclesia doctrina illis omnibus est cōtraria: quæ enumerare peccata sacerdoti præcipit, dolore affligi, macerari ieiunijs, seruare castitatis & obedientiæ atque pauperpatis vota: & inter hæc non sine timore esse, carnali affectui planè contradicit: quo nomine euangelio, & cruci Christi magis consonat, nec habet, quare peccati affectui grata sit. Igitur vel ex hac parte ostenditur, non emanasse ex aliquo carnis affectu. Quòd verò aut gloriæ, aut auaritiæ nostræ inseruire dicunt ista, quæ docemus, & ex his affectibus orta: certè vt nihil nisi modestè loquamur, hi affectus, vel causæ eorum communes sunt omnibus: nec enim illi sine vllo vel laudis, vel cōmodi fructu ex hoc suo euāgelio sunt. Nonne Lutherus, & sui, gloriā magnā auctoritatē apud principes putant

tant se consecutos? & quot sunt inter eius discipulos, qui ex hac doctrina plurimum & fauoris, & emolumenti habuerunt? cur ergo in catholicos reijciūt commoda omnia, vtilitates: vel iudicant eò his inseruire? meliùs est vt non inuicem eos iudicemus, vel calumniemur. non desunt, fatemur in vtraque parte, qui habeant gloriam, & vtilitatem ex doctrina. Conari certè debemus omnes his affectibus magis, magisque in dies liberari, & hoc agere, vt q̄ minimū illis tribuamus, aut quæramus, vel oblatū etiā recipiamus, quod eis videatur fauere. Cupiunt omnes pij apud nos, vt sacrificium altaris, doctrina, cæteraque ministeria ecclesiastica, sic administrentur, vt nullum inde turpe lucrum, aut quæstus sordidus exerceatur: & quod legitimo iure obuenerit in Ecclesiæ vtilitatem, & proximorū salutem expendantur: ita videlicet, vt non solùm propter bona illa non ministretur in Ecclesia Christi: verùm nec vlla species in ministris Ecclesiæ apparerent, & iuxta Paulum non solùm à malo, sed à specie mali abstinerent. hac ratione agentes & nobiscum coram Deo, & cum proximis coram Ecclesia non dubitamus multum adiuuandam doctrinam catholicam, & nosipsos corā Deo, & hominibus exhibebimus fide dignos: immunesque ab omni praua suspicione, eiusdem doctrinæ testes, quæ sanè ex se maximè repugnat prauis omnibus affectibus. Det Christus & nobis & aduersarijs in veritate conari, vt nosipsos nostrosque affectus non palpemus, non dissimulemus: sed synceré amemus veritatē, vereque quęramus. Inuenitur enim ab his, qui non tentant illum, inquit de Deo Sapiens: Quod si fieret, *Sap. 1.* non dubitamus quieta omnia, & tranquilla futura in Ecclesia, quæ domus est pacis, & tranquillitatis illius dono, qui habitare facit vnanimes in domo, & dedit credentibus animam vnam, & cor vnum, datque veram illam sapientiam, quæ consentientes bonis omnibus nos facit. Hoc desideramus impensissimè Brentio: hoc suis omnibus, precamurque illis à Domino, & his tenuibus quidem scriptis nostris hoc ipsum adiuuamus, quantum in nobis est: quę quidē oppositā à nobis sunt Prolegomenis Brentij. Cæterùm quoniam, cùm hæc absolueremus, reddita est nobis prior eius Apologiæ pars, nec adhuc

ſicuit eam legere: cùm reliquas duas, quas promittit, abſoluerit, & ad manus noſtras venerint: ſi aliquid quod reſponſione egeat aduerterimus, vel dederit Dominus, quod ad elucidandam catholicæ Eccleſiæ doctrinam vtile iudicauerint pij, & docti reſpondebimus: nunc interim legant hæc, qui volunt, & legentes à Deo quærant doceri, quod nos cupimus, & nobis, & omnibus. Solus enim ipſe eſt vnus magiſter, quem agnoſcere debeamus: nos omnes diſcipuli, & vt de me dicam vtinam non omnino indignus, & ineptus. Amen.

Peroratio

Peroratio de ſtatu cauſæ inter me, & Brentium, imò totius præſentis de religione controuerſiæ.

NVnc, Lector optime, iam tempus eſt, vt poſt tam longam diſputationem, quaſi colligentes vela, pauciſſimis ante oculos tibi proponamus ſummam totius huius cauſæ, quæ inter me & Brentium acta eſt: vt cognoſcas, in quo ſit nunc ſtatu conſtituta, non ſolùm quantum ad nos pertinet, ſed etiam quantũ ad vniuerſum diſſidiũ religionis: quod cùm tam diu agitatũ ſit, & quàm longiſſimè progreſſum, ex vltima hac Brẽtij agitatione tota ipſa cauſa videtur ad vltimum peruenìſſe. Putauimus igitur nos operæpretium tibi facturos, atque rem gratam, & certè vtilem præſtaturos, ſi cuncta breui compendio comprehenſa oſtenderimus. Primum itaq; de cauſa ipſa, de qua in his omnibus egimus, poſtea de alijs audies. Cauſa ergo, de qua Brentius primùm egit, & nos deinde ad agendum compulit, nõ tam eſt de aliquo ſpeciali articulo controuerſo: (quauis & hoc habeat) quin potiùs id reſpicit, quod ad omnes articulos pertinet, & omnibus commune eſt: quę ſcilicet ſit vera Eccleſia, quod verum iudiciũ in dubijs fidei, quæ ratio, & quis modus in controuerſijs finiendis ſeruandus vel ab ipſa Eccleſia, & concilio, vel à priuatis etiam, vt vel veritas inueniatur, vel ſaltem non diſcedatur à fide. hæc vides quàm ſint verè comunia omnibus, & fundamenta quædam: quibus rectè collocatis ſuperædificari poſſit ſtabile ædificium: ſecus autem, & peruerſè conſtitutis, non aliud conſtrui, niſi quòd ruat, & caſu ſuo obruat omnes. Brentius itaque me arguit & damnat, quòd vnicam Domini ſpõſam, eius ſcilicet veram Eccleſiam infamem: dum viſibilem manifeſtamque eſſe, & peccatores habere dico. Oſtendit enim ille quòd alij Lutheri diſcipuli apertiùs docent, baptizatorum cœtum aliquando dici Eccleſiam, ſed non illam, cui Chriſtus promittit, quòd portæ in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

feri non prealebunt aduersus eam. Hanc enim veram esse Ecclesiam, quæ cum Christo in æternum beata est, & ex gratuita Dei electione constat. atque alicubi ait, quod in his mihi contradicam: quia aliàs etiam eam absconditam dico. Deinde addit, quòd scripturæ sacræ maiestati detraham: dum illam obscuram, atque insufficientem esse dico: & traditiones Apostolicas non minoris auctoritatis facio ipsa scriptura, atque humanæ auctoritati eam subijcio, dubium eius sensum à patribus, & concilijs petendum esse docens: & in his similiter quòd mihi contradicam, accusat: quia alibi fateor concilia posse errare, & quædam errasse: alibi autem negem Spiritum sanctum permissurum, vt ea errent: & quòd cum patribus videar honorē deferre: tamen si contra me citentur, dicam eos exponendos prudenter & modestè: aut ad speciales leges dispensationis pertinere, quæ ex illis afferuntur. & denique de eo me acriter accusat, quòd in rebus fidei principes, nec audiendos putauerim: sed episcopis tribuam auctoritatem dubia definiendi, & cæteris imposuerim necessitatem standi illorum sententiæ. Ille igitur ad seculares principes, & ad eos, quos ipsi in consilium vocauerint, pertinere iudicium de dubijs fidei, & nulla ex parte ad episcopos asserit. atque illos esse membra Ecclesiæ nobilissima. hos autem iuxta ministerium suum seruos, & mancipia, etiam si sint pij: nostros verò, quotquot agnoscunt sedem Petri, hostes Christi, & Ecclesiæ veræ esse: & tandem ad scripturam, quæ sufficiens est ad omnia, & per se aperta, omnem exigendam esse cuiuscunque doctrinam: nullumque quantumuis priuatum, posse aliquam recipere nisi priùs eam expenderit, & iudicauerit consonam esse scripturæ, & in eo iudicio expectandum esse Christum, qui vel vniuersaliter, vel particulariter suam sententiam patefaciat. In his habes breuissimo compendio, quæ quatuor locis agit Brentius: eius de his omnibus verba satis, superque retulimus. Vbi vide, quæso quo potest vlteriùs progredi diuisio, & schisma in Ecclesia, nisi vt, cùm diuersæ sententiæ de fide sunt, & cum eundem locū scripturæ alius aliter interpretatur, neque vllum agnoscamus iudicium, nullum concilium, nullum episcopum: & denique nullam omnino

no creaturam, etiam Angelum, cuius sententiæ stādum sit: sed quilibet teneatur expendere scripturam, & iuxta suū iudicium credere: itaque nullus, etiam si velit, obedire alteri possit: nec inuenire quidem, cui tuto obediat circa fidem: sed expectare debemus, quousque Deus sententiam ferat, sicut veri prophetæ in lege veteri, cùm aduersus eos alieni & falsi starent, sustinuerunt, quousque Deus veritatem ostenderet. Sic Michæas, sic Hieremias, sic Apostoli, sic denique patres, qui cōtra Arrianos steterunt: quasi verò quilibet in suo sensu, & iudicio diuinam reuelationem habeat, non minus quàm prophetæ: aut certum consensum Ecclesiæ, sicut qui Arrio restiterunt: interim cùm iudicia Dei occulta sint, & quædā permittat iratus, quædam verò etiam misericorditer operetur: omnes etiam contraria sequentes, persuadebunt sibi suam sententiam à Deo esse. Neque igitur cōcilia, aut nationalia, aut vniuersalia quicquam proderunt, nisi quantum cuique visum fuerit. Quàm misera, quàm diuisa & iactabunda est conditio credentium in tanta incertitudine! itaque meritò diximus non esse, quò vlterius rebellio, & pertinacia procurrat: non inquam esse valet maior vel inordinatio in Ecclesia, vel in fide incertitudo, vel denique in ratione societatis humanæ miserior conditio. Quare illud certum est, hanc maiorem esse confusionem illa Babylonicæ turris: ideoque non solùm nullam seruari posse vnitatem. vbi tāta est diuersitas: sed necessariū esse, vt à seinuicem discedant, & separentur ij, quibus neque eadem vox, neque idem sensus est. quid denique apertiùs rationi & fidei cōtradicit? quæ maior temeritas & libido audendi, sequendique circa fidem quicquid libuerit? Postremò vsqueadeo à ratione aliena est hæc B. sententia, vt neque possit ipsa sibi constare: neque certè sensus hominis, à quo in lucem est edita. Vt igitur breuiter hoc colligamus, nō solùm in hac parte, sed in omnibus etiam illis quatuor locis, quos tractandos suscepi, & in quàmplurimis alijs sibiipsi Brentium contradicere non est difficile videre ei, qui attentè legerit. Verùm omissis cæteris, horum quatuor locorum præcipuas repugnantias iam audiamus. In primo quidem de principum auctoritate, dat ipsis potestatem dubia fidei definiendi,

niendi,& seuèriter animaduertendi in eos,qui aliter senserint exemplo Dauidis & Ezechiæ,ac legis auctoritate:atque in eodem loco disertè asserit, nullum debere cuiusquam sententiæ stare, nisi illam priùs exegerit ad scripturam, & eidem consonam iudicauerit. Et denique, vt proximè diximus,solum Christum esse agnoscendum iudicem,in quibus(vt omittam,quòd omni seditioni & rebellioni aperuit viã) apertè priora destruxit,dans auctoritatem principibus: cui tamen nullus obedire teneatur, nisi sibi id visum fuerit, de quo satis paulò ante dictum est. In secundo verò loco scripturam dicit per se manifestam,& ex se sola exponendam:atque in eodem clamat,esse in patribus sensus alienos ab ea.Symbolum fidei, decalogũ, & sacramenta omnibus manifesta esse dicit:& circa hæc in plurimis confessio Vvirtenbergensis ab eo edita vniuersam damnat Ecclesiam,& sensum Christi ignorasse asserit:vt in communione alterius speciei,in sacro chrismate & vnctionibus. Quæ apertior repugnantia, quàm scripturam dicere per se manifestam esse, & eius sensum latuisse Augustinum, Hieronymum, & reliquos patres? Denique cùm in sua confessione fateatur, Ecclesiam habere auctoritatem exponendi dubios sensus scripturæ: clamat hoc loco contra me, qui nihil amplius in hac parte assero, quòd subijciam scripturam sensui humano. In tertio deinde loco negat traditiones Apostolicas pares esse auctoritate cũ scriptura: imò esse aliquid,quod non sit scriptum recipiendum certa fide:sed scripturam esse sufficientem ad salutem:& tamen in eodem diserté dicit,quòd Apostoli nonnulla tradiderunt, & instituerunt, quæ non sunt literis comprehensa: & Pauli auctoritate confirmat, Tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem,siue per epistolã,vbi si quæram, an hoc præceptum Pauli sit obseruatum in Ecclesia an non?negare seruatum à Pauli discipulis & successoribus,quod Paulus præcepit ad Ecclesiæ necessitatem, nescio quomodo possit: quod si seruatum est, ergo Apostolicæ traditiones seruantur sine literis. Quomodo igitur stat cum his, scripturam omnia continere:nisi quia,vt diximus, traditiones sine scriptura recipere,& stare sententiæ Ecclesiæ,scriptura iubet,vbi omnia

nia incluſit?ſed hoc irridet Brentius magna facilitate.Quomodo demũ ſtat,quòd ille fatetur eos libros canonicos eſſe,quos omnes Eccleſiæ pari conſenſu recipiunt, & certiſſima fide tenendos ſola traditione non ſcripta: & tamen negare alia, quæ eodem teſtimonio,hoc eſt,conſenſu omnium eccleſiarũ probantur, & ab Apoſtolorum tempore ſemper ſeruata ſunt non recipienda eſſe,niſi ſcriptura probentur.In vltimo loco de Eccleſia vera,quam vocat,dicit,quòd ex electione Dei pendet,& inuiſibilis eſt,atque incerta. Quod in confeſſione priori aſſerunt:neque ſciri poſſe, quis ad eam pertineat,& tamen, cùm de auctoritate ſuorum principum loquitur,manifeſtè ait, eos verè Eccleſię membra eſſe nobiliſſima:neque de incertis hoc, ſed de ſuo ipſius principe:quem hortatur,vt agat ex auctoritate, tanquam nobiliſſimum Eccleſiæ membrum. Deniq; ait, quòd ſicut Paulus vocat Eccleſiam Corinthiorum,& Theſſalonicenſium:ſic principes,qui agnoſcunt Chriſtum,ſunt Eccleſiæ membra.Rurſum peccatores admiſceri Eccleſiæ & miniſteria eorum integra eſſe dicit:& clamat contra me,quia dico illos eſſe membra mortua,ſed miniſteria eorum non inutilia,& vana eſſe. Itaque in tota hac cauſa, de qua agit, non poteſt ſibi conſtare: qui non pro maieſtate ſcripturæ, aut Eccleſiæ ſanctitate: ſed pro libertate ſenſus ſui, & impuritate egit. Verùm audi iam ſententiam catholicam certis teſtimonijs à nobis confirmatam.Docet enim hæc,primùm agnoſcere vnã, certamque Eccleſiam: & ideo viſibilem, de qua Paulus dixit: quòd ſit columna, & firmamentum veritatis, ac nullo modo duas eſſe Chriſti Eccleſias, aut de duabus ſcripturam loqui, ſed de vna ſemper: & ſi quædam dicantur in ea propter ſolos bonos,qui ſunt viua eius membra:quædam autem propter ſolos malos,qui eidẽ altari,atq; templo,& orationibus participãt: neque tamen Eccleſiã ipſam,aut iuſtos in ea inficiũt, quando, vel quia neſciũtur,vel quia ita expedit, tolerantur quod Aug. & Aphricani omnes epiſcopi,imò tota Eccleſia cõtra Donatiſtas definiuit. Charactere autẽ verũ huius Eccleſiæ ab Apoſtolorũ prędicatione,et auctoritate,vnde illa orta eſt,ſumendũ eſſe docet ſana fides.Is verò eſt cõſenſus cùm doctrina Apoſtolorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

lorũ, nulliusque nouitatis cõtrariæ ijs, quæ publicè in Ecclesia ab ipso initio prædicationis Apostolicæ recepta sunt, admissio, agnitio itẽ episcoporũ legitimè succedentium Apostolis: atque vnius vicarij Christi succedentis Petro in Ecclesia Romana, Sic docuerunt nos antiqui patres post fundatas ab Apostolis Ecclesias, omnem doctrinam, contra quam de nouitate excipi possit, suspectam habendam esse: & eam sequentes alienos esse ab Apostolicis Ecclesijs. hæc est vera Ecclesiæ vnitas: à qua discessisse proprium hæreseos est, & schismatis. hæc apertissimis scripturæ, & patrum testimonijs confirmatissimus: quæ manifestè conuincunt, Ecclesiam esse certam, & visibilem: prædicario Apostolorum nunquam aut extingui, aut obliuioni tradi potuit: semper manifesta fuit & ipsa, & cœtus ille hominum, qui eam suscepit: hæc diximus sine vlla contradictione, ac dubitatione. falsi quidem sumus imbecillioribus ingenijs rationem vnitatis Ecclesiæ obscuram nonnunquam esse: sed nos tamen eam explicuimus. neque hoc impedit, etiã si obscurum sit, Ecclesiæ perspicuitatem. Certè perspicui sunt Petrus, & Ioannes, quos videmus: illosque esse homines constat, etiam si ratio, qua homines sunt, sit obscura insipientibus. hac vna agnita Ecclesia, ostendimus in omni dubitatione de fide, atque religione ad illam confugiendam esse: ita vt quamdiu quid circa hæc sentiat illa, nobis ignotum est, nihil certò affirmare debeamus: sed inquirere, quid Apostoli tradiderint, idque testimonijs consonis patrum maximè eorum, qui ab Apostolis ordinati sunt episcopi in Ecclesijs, quas instituerũt, & qui illos postea sequuti sunt. Cùm verò de hoc dubium est, cogi debet concilium siue vniuersale, siue prouinciale, & in eo veritas inquiri: quæ si inuenta fuerit, & definita, tenenda est, neque ab vllo inferiori in dubium reuocanda: ita tamen, vt sal ua semper sit vniuersalis Ecclesiæ, & concilij auctoritas. Nihil itaque hic varium, & inconstãs: sed omnia certissimè constituta sunt. Cùm autem scriptura dubia est, & in diuersos sensus trahitur, ex Apostolorum prædicatione, & traditione est exponenda. hæc traditio testimonijs consonis patrum confirmatur: de quibus, cùm dubium est, in concilio generali inquiritur, quid

quid ab omnibus, quid vbique, quid semper prædicatum est. hic sensus consonus patrum est summæ auctoritatis: quod verò iuxta proprium sensum illi asserunt, longè inferioris auctoritatis est. Concilia autem legitimè congregata, si rectè se gerant: &, qua opus est humilitate, & diligentia quæratur veritas, nõ permittit Christus ea errare: qui dixit: vbicunq; fuerint duo, vel tres, &c. Verùm si non, vt opus est, veritas quæratur, & affectibus indulgeatur, Deo ita permittente, errabunt, sed certò credimus non permissurum Deum, vt error ille præualeat. Nam promissio illa Christi portæ inferi non præualebunt aduersus eam, nunquam deficiet. Hæc est, quam asseruimus in hac causa, vnde omnia alia dissidia religionis pendent; doctrina: in qua nihil est, quod non modestiam, & tranquillitatem publicam, & priuatam contineat: quare non est, quod pluribus agam. Quærit quidem Brentius multa alia extra causam, quàm in Prolegomenis egit: in quibus & me, & catholicam fidem nobis repugnare conatur ostendere: vt de contritione, & satisfactione, quibus dicimus peccata remitti: item de meritis bonorum operum. Sed illa missa faciamus, vt quæ ad rem præsentem non pertineant: ea proprijs locis si opus fuerit, explicabuntur. vnum omittendum non est quòd vi magna verborum contra me clamat Brentius, qua dixi prædicationem cuã gelij ad literam occidentẽ pertinere: dicit enim in epistola ad illustrissimum ducem, quòd Paulus vocat potentiam Dei in salutem omni credenti, & administrationem spiritus: hoc furiosus homo vocat literam occidentem. quod etsi etiam alterius negotij sit, hoc tamen loco nolui tacere, vt aduertas hominis huius vel attentionem, vel iudicium circa præcipuum caput huius noui euãgelij, cuius ipse doctor est. Nonne Paulus suam prædicationem dicit alijs esse ad mortem, alijs ad vitam? Imò Christus ipse remissius inquit agendum esse cum Tyro, & Sidone, q̃ cum multis, qui eius prædicationem audierunt. Si igitur prædicatio Pauli, & quidem ipsius Christi multis fuit lapis offensionis, & scãdali, quomodo non ad literã occidentẽ pertinet? nunquid prædicatio euangelij est spiritus Dei viui? quo, & non atramento, inquit Paulus, inscribitur cordibus. quod

exte-

exteriùs prædicatur? Nónne potiùs ea prædicatio pertinet ad exterius illud ministerium plantandi, atque rigandi? Nunquid prædicatio euangelij est incrementum dare? hæc omnia cùm apertissima sint, & certissima consensu Ecclesiæ definita: vide, rogo, quâta incõsideratione à B. ego furiosus vocor, quia hæc dixi. imò vide, quos etiã furiosos vocet. Augustin. proprio loco de hoc agens, ita dicit aduersus Pelagianos: Hæc gratia si doctrina dicẽda est, certè sic dicatur, vt altiùs, & interiùs eã Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, nõ solùm per eos, qui plantant, & rigant extrinsecus: sed etiam per ipsum, qui incrementum suum ministrat occultus: ita vt non ostendat tantũmodo veritatem, sed impartiat charitatẽ. & post pauca quædam apertiùs hunc locum claudẽs, sic inquit: Qui autem nouit quid facere debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundũ gratiã, sed secundũ legem: nõ secundũ spiritũ, sed secundũ literã. Et quid est opus multis in hac re? Tota Ecclesia aduersus Pelagiũ, cuius Brentius maximũ inimicũ se ostẽdit, manifestè definiuit anathema esse eum, qui dixerit gratiam Christi ad doctrinam pertinere. hic enim erat error Pelagij: quo putabat gratiã Dei esse, quòd nobis diuina præcepta, & beneficia prædicentur, & quòd legamus eius scripturã, & verba. Quod nunc B. docens, nónne dignus est, qui Pelagianus vocetur? Sed, inquit, Paulus vocat euangelium potentiam Dei. Et hìc etiam illum corruptionis scripturæ meritò accuso. Quis non nouit consueta phrasi scripturæ nuncium pro re ipsa, quę nunciatur, aliquando sumi? quo sensu Paulus non prædicationem suam, sed res eas, quas docebat, merita scilicet Christi, gratiam Dei, potentiam vocat in salutem omni credenti. Ex qua inconsideratione vides, in quãtum errorem lapsus fuerit B. quod vltimo loco putaui ponendum esse, quoniam primò ille contra me id dixit. His igitur finem iam imponamus, precãtes Deum, vt Spiritu sancto suo det nobis omnibus cogitare, & quærere quæ, vt verbis Psalmi loquar, ad pacem sunt Hierusalem.

Lib. de gratia Christi cap. 12.

FINIS.

Nota.

El Mtro Pedro de Soto. Español, confesor de Carlos 5.º y primer Teólogo del Papa. Disputó con Brencio en Trento, en donde murió en 1563. habiendo nacido en Córdoba en 1

Escribió el Tratado de la Instruccion de los Sacerdotes, obra muy apreciada de los sabios: La Defensa de la fé católica; y la esplicacion de la fé católica, y ademas un Catecismo dogmatico en latin, impreso en Dilinga en 1563. y otra vez en 1564.

El sapientísimo Polaco Estanislao Hosio Obispo Varmiense, despues Cardenal y Presidente del Concilio tridentino escribió una preciosa obra contra los Prolegomenos del perverso Brencio en defensa del docto Dominicano Mtro. Pedro de Soto.

Universidad de Deusto
Biblioteca